BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
14 N
2

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

COMMENTARIVS

IN TITVLVM IVRIS CANONICI DE INIVRIIS, ET

damno dato, accommodatus vſui ſtudioſorum tam Theologiæ, quam vtriuſq; iuris.

AVCTORE PETRO BINSFELdio, Suffraganeo Treuirenſi Doctore Theologo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

1. Ad Theſſalonicen. 5. cap.

Patientes eſtote ad omnes, & videte ne quis malum pro malo alicui reddat: ſed ſemper quod bonum eſt ſectamini inuicem & in omnes.

AVGVSTAE TREVIRORVM,

Ex Officina Typographica Henrici Bock.

ANNO CIϽ. IϽ. XCVIII.

Cum gratia & Priuilegio Cæſar. Maieſt. ad decennium.

AD DIVAM CATHARINAM ALEXANDRINAM VIRGINEM, AC MARTYREM STVDIORVM ACADEMIARVMQVE SINGVLAREM PATRONAM.

B. BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

AB omnibus qui libros in lucem emittunt, frequentiori calculo receptum eſt, vt aliquem genere & auctoritate potentem, aut nomine celebrem virum deligant, cuius præſidio clypeoque libri ab iniurijs Zoilorum vindicentur, necnon à lubricarum linguarum ſagittis protegantur. Hunc communem auctorum morem ſecutus, ne hic commentarius de iniurijs & damno dato, naufragium patiatur in hoc vaſtiſsimo mari, aut incautè ſerpentinis morſibus exponatur, decreui eundem etiam alicuius celebris hominis tutelæ inſcribere. Sæpius autem cum ancipiti cogitatione hærerem, ſub cuius protectione ſecurius prodiret, mentem meam à mortalibus exemplum quorundam recentiorum doctorum

pietate eruditioneque præcellentium ad immortalem pertraxit. Ad tuum ergo patrocinium confugiendum duxi, Catharina virgo nobilliſsima, regia de ſtyrpe prognata, & martyr clariſsima, quæ merito ab omnibus literarum cultoribus, nec non antiquis Catholicæ religionis Academijs communis patrona delecta es: A primis ætatis initijs liberalium artium, humanæ cœleſtiſque Philoſophiæ abditiſsima ſecreta cum fidei noſtræ ardore coniunxiſti: atque ante maturam ætatem tam perfectum eruditionis gradum conſecuta es, vt præſtantiſsimos quoſque illius ſeculi Philoſophos ſolidiſsimis rationibus conuiceris, atque in tuam Chriſtianam ſententiam non quidem perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ, verbis, vt Apoſtolus loquitur, ſed oſtenſione ſpiritus & virtutis Dei adiuncta tamen ſubtilitate ingenij adduxeris. Viciſti quinquaginta Philoſophorum, qui ad te vincendam conuocati cõuenerant, ingeniorum acumen, & falſam ſapientiam. Viciſti impij Maxentij potentiam & machinas quas ad te ſubuertendam ſtudioſiſsimè inuenerat: Sed nihil

hil virium habebant aduerſus veram prudentiam ſubdola aſtutaque conſilia, debiles erant omnes aduerſus conſtantiam machinæ: inutilis aduerſus DEI conſilium multitudo. Hunc ergo meum laborem tibi in omni ſcientiarum genere clariſsimæ offero, & dedico, precorque vt tua protectione plurimum gaudeat. Nemo enim ſanæ mentis dubitat te multum poſſe apud regem cœlorum, & ita facilimo negotio impetrabis, vt præſens de iniurijs commentarius, iure optimo nihil aduerſitatis experiatur. Nec etiā te præterire decebat, aut gratitudinis ratio permittebat, O beata virgo; cum tuum ſingularem fauorem, quem ſæpius expetere ſoleo, frequentius in ſucceſſu ſtudiorum expertus ſim, quoque adhuc vſque ad extremum vitæ ſpiritum indigeo, ne ad dextram, aut ſiniſtram declinem. ſed regiam veritatis in doctrina viam teneam. Memento ergo mei, & intercede apud Dominum vniuerſorum, in cuius conſpectu aſsiduè verſaris, vt qui te ab infantia omni Philoſophia, & diuinæ ſcientiæ dono ornauit, mihi lumen

ſuæ ſapientiæ deſuper emittere digne-
tur, vt mecum ſit, mecumque laboret
in ſecula ſeculorum. Amen. Tre-
ueris. 6. Kalend. Septemb.
Anno 1597.

AD

AD STVDIOSVM LECTOREM.

SI Diuinas literas, ſanctorum dicta, nec non exempla prima fronte intueamur, altiusq; contemplemur, rectius agere iudicantur, qui acceptæ iniuriæ memoriam obliuione delent, & ſcuto patientiæ expugnant. Hoc ſacræ literæ clarè edocent: Non quæras vltionem: nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Leuit. 19.
Prouerb. 12. & 26.
Fatuus ſtatim indicat iram ſuam: qui autem diſsimulat iniuriam, callidus eſt. Non reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſimilis ei efficiaris, & alibi. Ne litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius. Eccleſ. 8.
Non contendas cum homine locuplete, ne forte contra te conſtituat litem tibi. Non litiges cum homine linguato, & non ſtrues in ignem illius ligna. Benedicite perſequentibus vos. Benedicite & nolite maledicere. Rom. 12.
Non voſmetipſos defendentes, chariſsimi, ſed date locum iræ: ſcriptum eſt enim. Mihi vindictam, ego retribuam. Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum: Si ſitit, potum da illi, hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius. Noli vinci à

malo: ſed vince in bono malum. Et D. Petrus: Quæ eſt enim gratia, ſi peccantes & colaphizati ſuffertis? Sed ſi benefacientes, patienter ſuſtinetis: hæc eſt gratia apud DEVM, & ſimilibus ſacra ſcriptura abundat. Hoc etiam ſancti patres atteſtantur. Chryſoſtom. Illius diſcamus exemplo noſtras quidem iniurias magnanimiter ſuſtinere: DEI autem iniurias neque vſque ad auditum ſufferre: Quoniam in proprÿs iniurÿs eſſe quemlibet patientem, laudabile eſt: iniurias autem DEI diſſimulare, nimis impium eſt. Idem Chryſoſtom. Non iniuriam pati, ſed iniuriam facere, aut neſcire pati, malum eſt. Quot quantaſque iniurias ferebat Dauid? Quot quãtaſque faciebat Saul? Vter enim iſtorum fortior, ac beatior fuit, & vter miſerior & miſerabilior. Nonne qui iniurioſè faciebat. Plurium patrum ſententias ad propoſitum collegit Gratian. Sed quoniam plus mouent, vehementiuſque ad Chriſtianam pietatem exempla quam verba excitant, factis aliorum oſtendendum eſt. De Dauide clarum eſt teſtimonium: Qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates: Ego autem, inquit, tanquam ſurdus non audiebã, & ſicut mutus non aperiens os ſuum, Et A-

Hom. 5. in opere imperfecto.

Hom. 43. in Math.

23. q. 1. & 4.

Pſal. 37.

poſtoli Pauli, cuius laus magna eſt in Eccleſia, vox eſt: Maledicimur, & benedicimus. Perſecutionem patimur, & ſuſtinemus. Blaſphemamur, & obſecramus, Tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema vſque ad huc. & Apoſtoli ibant gaudentes à conſpectu concilij, quia digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati. Sed & multi viri ſancti, quorum res piè fortiterque geſtæ in patrum monumentis memoriæ traditæ ſunt forti alacrique animo iniurias pertulerunt, & nihili fecerunt. Nec deſunt ad hanc ſententiam illuſtrandam memorabilia veterum Ethnicorum, & ſapientum apophtegmata. Philippus Rex Macedonum pater Alexandri Magni dicere conſueuerat, ſe habere gratiam principibus Athenienſium, quod ſuis conuitijs ipſum moribus ſermoneque indies efficerent meliorem. Dum conor, inquit, illos dictis pariter ac factis mendacij conuincere. Is etiam cum narratione aliorum didiciſſet, quod Arcadion quidam Achiuus non deſineret de ſe maledicere, rogatus ab amicis, vt maledicum puniret; nec enim, aiebant illi, oportet negligi tantam petulantiam. Philippus autem cum occurriſſet homini familiariter

1. Cor. 4.

De his multa apud Marcum Marulum, de ratione bene viuendi lib. 5. cap 2. & 3.

Plutarchus in Apophtegmatis & in lib. de cohibenda iracundia.

cum eo collocutus, mox etiam donis & xenijs affecit: Poſtea iuſſit eos percunctari, quomodo iam de ſe loqueretur apud græcos: cunctis autem teſtimonium ferentibus, eum hominem iam mirum in modum Philippi laudatorem agere. Ego igitur, aiebat Philippus, melior medicus, quam vos. Suetonius in vita Augusti. *Auguſtus Cæſar Tiberio conquerenti, quod plurimi de eo petulanter loquerentur, in hæc verba reſcripſiſſe fertur: Aetati tuæ mi Tiberi, noli in hoc indulgere, & nimium indignari quenquam, qui de me male loquatur: ſatis eſt enim, ſi hoc habemus, ne quis nobis male facere poſſit.* Seneca lib. 3. de ira, cap. 22. *Rex Antigonus, cum duos manipulares regio tabernaculo excubantes, ſibi maledicere audiuiſſet: pallam quæ inter dicentes, & audientem intererat, leuiter commouit, Et longius, inquit, diſcedite ne vos rex audiat, nec præterea quicquam dixit. Et pulchrum eſt illud cuius idem Seneca meminit de quodam qui in* Lib. 1. de ira, cap. 13. *cultu regum conſenuerat: Cum illum quidam interrogaret, quomodo rariſſimam rem in aula videlicet ſenectutem conſecutus eſſet: iniurias, reſpondit, accipiendo, & gratias agendo de ipſis. Nec parua vtilitas eſt in patientia iniuriarum, præſertim earum quæ verbis inferuntur, non raro*

ſuper-

ſuperbiam omnium vitiorum reginam, ſupprimunt, iuxta illud Gregorij relatum in decretis. cap. Sunt plurimi. 6. q. 1. Sunt plurimi, ait, qui vitam bonorum fortaſſe amplius, quam debent, laudant: & ne qua elatio de laude ſurrepat, permittit omnipotens Deus malos in obtrectationem, & obiurgationem prorumpere vt ſi qua culpa ab ore laudantium in corde naſcitur, ab ore vituperantium ſuffocetur. Hinc eſt ergo, quod doctor gentium ſe in prædicatione currere teſtatur per infamiam & bonam famam, &c. Chriſtiano ergo homine maximè digna eſt patientia iniuriæ. Non tamen hæc ideo in medium producta ſunt, vt nullus debeat eſſe locus actioni iniuriarum, ſic enim iura legeſque ruerent, labor in hoc commentario collocatus, nullius momenti foret, improbis occaſio adminiſtraretur ſine delectu vnumquemque etiam optimum lædere; & impunitæ iniuriæ exemplum omnibus iniuriandi periculum præpararet. Ad reprimendam ergo maleuolorum audaciam, qui bonos alias paßim contumelijs & iniquis moleſtijs afficerent, nec non propter bonum multorum, quorum profectus impediretur, ob iniurias illatas auctoritate publica quæ iuribus ac legibus regitur expedit iniurias

Lib. 9. epiſtol. 39 ad Theoctiſtam patriciã.

coer-

coërcere; nunquam tamen proprio Marte id fieri debet, niſi neceſſariæ moderatæq; dedefenſionis occaſio expoſcat. Tum enim qui ſuo iure vtitur, nemini iniuriam facit. Paratus enim ſemper debet eſſe homo iuſtus, & pius patienter eorum malitiam ſuſtinere, quos fieri bonos quærit, vt numerus potius creſcat bonorum non vt pari malitia ſe quoque numero addat malorum. Quando enim ſcandalum amouendum, & Chriſtiana diſciplina conſeruanda, nec aliud prudentiæ lex præſcribit, nihil prohibet quin Chriſtianus poſſit ſuæ iniuriæ ſatiſfactionem iuris ordine ſeruato expetere. Qui enim dixit: Non reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſimilis ei efficiaris, etiam addidit: Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuã, ne ſibi ſapiens videatur. Reſpondendum ergo ſtulto cum modeſtia, quando proximi charitas perſuadet, & leges prudentiæ præſcribunt, aut aliqua vtilitas coniuncta eſt: Alias ſilere laudabilius quam reſpondere. Sed quoniam nunc ea eſt mortalium infirmitas, vt nulli ſua iniuria parua videantur, multiq; eas grauius ſæpè æquo ferant, iura formam puniendi, vt omnia moderatè fiant, adhibent ita vt nec iniuria affecti rationis habenas proprio amore ducti tranſeant ad in-

Auguſtin. in ſermone de puero Centurionis, & refertur 23. q. 1. cap. paratus.

Prouerb. 26.

iuſtam vindictam, nec etiam iniuriantes nimia licentia, deteriores efficiantur. Cum autem omnis iniuria committatur, aut cum læſione corporis: aut diminutione dignitatis ſiue honoris: aut cum detrimento vel damno temporalium, ſic hunc commentarium textui canonum accommodauimus, vt de omnibus iniuriæ ſpeciebus agatur, & quia varietas delectat, quantum, Deo fauente, fieri potuit omnia direximus in vtilitatem ſtudioſorum tam Theologiæ, quam iuris, atq; omnibus modis curauimus, vt quæ breuius in hoc titulo à Doctorib. attinguntur, latius extenderemus in vſum multorũ. Faxit Deus, vt Chriſtiana charitate incenſi, & patientia armati æquo animo noſtras iniurias feramus, illatas ſtatim obliuione, quæ optimum iniuriarum remedium eſt extirpemus, & proximis noſtris ſicut nobis fieri cupimus faciamus.

RVBRICA,

DE INIVRIIS ET DAMNO DATO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

COMMENTARIVM ſcripturus in præſentem titulum de iniurijs, & damno dato; in primis vt ordo, ſine quo nihil rectè agitur, ſed omnia confuſa ſunt, ſeruetur, in Rubricam quædam notabilia præmittentur, quæ faciliora & clariora reddant., tam ea quæ in Rubrica continentur, quam reliqua omnia quæ toto hoc titulo definiuntur. Deinde ſingulorum capitum verba ponentur, quibus poſitis, ſi quæ pro textus elucidatione neceſſaria ſunt, adferentur: his tandem præmiſsis quæſtiones circa materiam cap. mouebuntur, vt latius explicetur, quod ſtrictius in canone comprehenditur.

Primum Notabile. Pro continuatione huius tituli cum ſuperioribus. Quoniam in antecedentibus, actum eſt, de varijs exceſsibus & criminibus, quibus non rarò iniuriæ & damna coniunguntur, in hoc titulo agitur de iniurijs & damno dato.

Secundum Notabile. In hoc titulo, vt ex ſerie capitulorum, & aliorum quæ à Doctoribus inſeruntur, colligitur: materia plurium titu-

lorum iuris ciuilis inuoluitur. Vt de iniurijs C. & ff. nec non etiam Inſtit. eod. tit. & ff. ad leg. Aquil. & ff. Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur, ac ff. de his qui deiecerint vel effuderint, &c.

Tertium. Hæc rubrica in duas ſecatur partes. Prima eſt de iniurijs. Secunda de damno dato, vt clarius alijs diſtinxit Speculator in hoc tit. & ſatis patet ex Hoſtien. in ſumma eod. tit. Summiſtis in verb. Iniuria & Damnum; Henning. Goden in conſ. 1. num. 21. de iniurijs. Vol. 9. ſtatim in principio: Hinc etiam duæ diſtinctæ actiones ſunt iniuriarum, & de damno dato, & hæc duo ponuntur, vt diuerſa per coniunctionem copulatiuam (&) in rubro de iniurijs & damno dato, prout obſeruauit Speculat. Sic quandoque contingere poteſt, vt remiſſa actione iniuriarum, ſalua perſiſtat actio de damno dato, iuxta Speculat. in titulo de accuſato §. 1. verſ. Quid ſi vulneratus col. 8. Panormit. in cap. 1. huius tit. & alios, vt plenius infra eodem cap. conſtabit. Quæ enim in iure ſub diuerſis titulis comprehenduntur, diſtincta etiam ſunt; cum diuerſitas titulorum diuerſitatem arguat criminū. Oldrad. in conſ. 210. incip. Regularis habet traditio quod in omni. Panormit. in conſ. 57. lib. 1. Dominic. Gemiman. in conſ. 54. Aymo Crauet in conſ. 6. & alij alibi. Nunc de prima parte Rub.

Quartum Notabile. De notione nominis iniu-

rię. Syluest. in ſumma. verb. Iniuria vult quod iniuria, ab, in id eſt non, & ius dicta ſit: quaſi non iure, aut contra ius facta: aut ſecundum etymologiam quaſi iniqua iura.

Quintum Notab. Vt terminorum cognitio lumen præbeat intelligentiæ, memoriæ tradendum, quod iniuriæ nomen generaliter & ſpecialiter ſumatur. Generaliter pro omni eo quod non fit iure. cap. Quid dicam. 14. q. 4. & l. 1. ff. de iniur. & Inſtit. eod. Specialiter autem tribus modis præcipuè ſumitur. Primò pro contumelia, re, verbo, ſigno aut alio modo illata, & ſic in d. l. 1. ex Gloſſ. ibid. ſuper verb. Contumelia. Secundo pro damno culpa & non iure dato. Inſtit. De lege Aquil. §. iniuria, & alibi. Tertio pro iniquitate & iniuſtitia iudicantis, quando iudex iniuſtè aliquẽ ſententia grauat. De his acceptionibus Speculat. in hoc titul. Hoſtien. in ſumma eod. Summiſtæ in verb. Iniuria DD. Inſtit. eod. in princ.

Sextum Notab. Tribus maximè modis iniuria infertur. *Re ſiue facto.* Vt ſi quis alicui manus inferat violentas, verberet, aut pulſet. 17. q. 4. c. Si quis ſuadente. Inſtit. de iniurijs §. Sed & lex Cornelia, & l. lex Cornel. ff. eod. cuius verba ſunt: Lex Cornelia de iniurijs cõpetit ei, qui iniuriarum agere volet ob eam rem, quod ſe pulſatum, verberatumque, domumue ſuam vi introitam eſſe dicat. Et hoc loco etiam obſeruandum iniuriam facti commi-

mitti etiam ſi quis verè & realiter alium non tangat, nec percutiat, ſed tantum manum in altum leuet ad percutiendum, aut inſtrumentum aptum ad percutiendum & lædendum admoueát, per text. in l. Item apud Labeoné. §. Si quis pulſatus. ff. eod. & hunc text. vt vnicum & ſingularem notant Bartol. Alberic. & Angelus Peruſinus ibidem. Iaſon in l. 1. §. hæc autem verba. ff. Quod quiſque iuris. numer. 15. Marſil. in l. Is qui cum telo. C. ad Legem Cornel. de ſicar. col. 3. Anton. Gomez. tom. 3. cap. 6. nũ. 3. & hæc eſt cõmunis doctrina clarè comprobata per d. §. Si quis pulſatus, ait, quidem non eſt, verum manus aduerſus eum leuatæ, & ſæpè territus eſt, quaſi vapulaturus, non tamen percuſsit, vtili iniuriarum actione tenetur. & nota pro text. in d. l. Lex Cornelia, quod differentia conſtituitur inter verberare & pulſare. ibid. §. Inter pulſationem, quod verberare eſt, cum dolore cedere, pulſare ſine dolore, & ita declarant DD. vt ait Ioan. ab Anan. in Rub. de cleric. percuſsore, & id expreſſe ac formaliter in d. §. dicitur. *Secundo iniuria committitur verbo*, quando quis conuitia & contumelias in aliquem conijcit. L. 1. ff. de iniurijs. l. Si non conuitij. C. eod. tit. & ſeq. *Tertio iniuria irrogatur ſcriptura*: ſub qua continentur libri famoſi, carmina, cantilenæ, rythmi; aut etiam publicæ actiunculæ, & omnes ſcripturæ, quibus alterius fama dilaceratur, aut honor læditur ſiue conſpergitur l. 1. §. Si quis

quis libellum ff. eod. & L. vnica. C. de famoſis libellis. Ad has tres iniuriarum ſpecies referri poſſunt iniuriæ quæ geſtibus & ſignis aliquando inferuntur, vt ſi quis vtatur veſte lugubri aut ſqualida in iniuriam alicuius: aut gerat habitum monachorum in eorum contemptum: aut pingat cornua in alicuius ianua, aut in alicuius contumeliam linguam exerat. De his & ſimilibus DD. Inſtitut. de iniur. §. Iniuria Angel. in ſumma verb. Iniuria in princip. Sylueſt. & Aurea Armilla in eod. verb. Damhaud. in rerum criminal. praxi, cap. 139.

Septimum Notab. Quædam iniuria dicitur atrox ſiue enormis: Alia leuis. cap. Cum illorum, de ſentent. excommunic. §. Atrox. Inſtitut. de iniurijs & l. prætor edixit. §. Atrocem iniuriam. ff. eod. DD. in eiſdem locis. Summiſtæ in ſummis verb. Enormis. in d. §. Atrox. declaratur quando dicatur atrox iniuria, his verbis: Atrox iniuria æſtimatur, vel ex facto, veluti ſi quis ab alio vulneratus ſit, vel fuſtibꝰ cæſus; vel ex loco, veluti ſi cui in theatro, vel in foro, vel in conſpectu prętoris iniuria facta ſit, vel ex perſona, veluti ſi magiſtratus iniuriā paſſus fuerit, vel ſi ſenatori ab humili perſona iniuria facta ſit: aut parenti patronóq; fiat à liberis, vel libertis: ex his & alijs quæ DD. annotãt in d. §. atrox, et Sumĩſtę in d. verb. Enormis, poſt alios in d. cap. Cũ illorũ, colligitur iniuriam atrocem æſtimari maximè ratione qua-

tuor circumſtantiarum. *Primo ratione facti*, quã- do iniuria in ſe eſt magna ob magnitudinem vulneris: aut ſi mutilatio alicuius membri ſe- quatur, aut abundans ſanguinis effuſio in par- te, vnde non facile fluit. *Secundo ratione perſonæ tam iniuria affectæ quam iniuriantis*: iniuria affectæ, vt ſi plebeius iniuriam inferret perſonæ in di- gnitate, aut publico officio conſtitutæ: arg. in d. capit. Cum illorum, & in L. atrocem. C. eod. perſonæ iniuriantis, vt ſi filius patri, ſer- uus domino, &c. iniuriam faceret, quæ fortè leuis eſſet, ſi ab extraneo committeretur arg. L. Sed ſi vnius. §. Quædam iniuriæ. ff. eod. *Tertio ratione loci*, & id duplici conſideratione tum loci in quo committitur iniuria, vt ſi in publico, in conſpectu præſidis aut magiſtra- tus, aut in iudicio, aut in templo & ſacro lo- co: tum etiam loci in corporis conſtitutione ipſius iniuriati ſic atrox vulnus poſsit eſſe illa- tum in facie quod leue eſſet in dorſo, aut cru- re. *Quarto ratione temporis*: vt ſi iniuria fiat tem- pore celebris conuiuij, aut ludorum arg. l. prætor. §. atrocem. ff. eodem; aut in magna a- liqua feſtiuitate. Sed quoniam circunſtantiæ iniuriarum nunc ſignificatæ ſæpè variantur, & ex varijs euentibus dependent, certitudo ex iure haberi non poteſt, ideo atrocitas iniuriæ arbitrio iudicis æſtimanda ſecundum Hoſti- enſ. in ſumma, de ſententia excommunicat. §. Si quis. verſic. Septimus, quem refert & ſe- quitur Andr. Tyraquell. in l. Si vnquam, in

verb. Omnia, vel partem. num. 30. non longe à fine C. de reuoc. donat. Quibus conſentiunt Abbas, & Felinus in d. cap. Cum illorum. & poſt alios plures Menochius de arbitr. iudic. qq. lib. 2. caſu 262. num. 2. In quam ſententiam etiam tendunt Summiſtæ Angel. Syluest. Aurea Armilla & alij in verb. Enormis, ſiue enormitas, dum in fine quærunt; Quis habeat arbitrari, an ſit enormis iniuria, & reſpondēt quod ille qui habet abſoluere & ligare, an ſit ſuæ iuriſdictionis, &c. Vt tamen iudex rectius ſuum iudicium formare valeat, cum exempla maximè rem illuſtrent, & dirigant iudicium, aliquot exempla iniuriæ atrocis cum Menochio libet ſubiungere.

Primum atrocis iniuriæ exemplum, quando iniuria infertur magiſtratui, L. prætor edixit, §. fin. ff. de iniur. Bartol. in l. Non ſolū. §. Si mandato. ff. eod. Bald. in cap. 1. §. iniuria, de pace iuramen. firmand. Et id ex ſuperioribus quoque conſtat. Sic etiam iniuria atrox eſſet quæ inferreretur Epiſcopo, aut Abbati, argum. eius quod habetur in d. cap. Cum illorum.

Secundum exemplum atrocis iniuriæ, ſi quis iniuria afficeret rectorem Vniuerſitatis ſiue gymnaſij: Is enim principis perſonam tenet, & dignitate alios antecellit, vt ex ſtatutis Vniuerſitatum claram eſt. Sic capite plectuntur qui rectores iniuria afficiunt, vt Papiæ & Piſis factum, Menochius prodit.

Tertium exemplum, cum quis iniuriá infert doctori, Doctores enim munus iudicandi habent. Auctent. Habita. C. Ne fil. pro patr. quod intelligitur de Profeſſoribus inter ſuos ſcholaſticos. Quod non ſolum intelligitur de doctoribus & profeſſoribus iuris, ſed etiam Theologiæ, medicinæ & philoſophiæ; Cum & hi ſint doctores & non raro iuriſconſultis, præferantur iuxta ſcribentes in L. Cum quid. ff. Si certum petatur. Intelligendum hoc exemplum, quando iniuria naſciur ex occaſione ſine cauſa proueniente ab exercitio doctoratus.

Quartam, cum quis coram ipſo magiſtratu iniuria afficitur, vt ſupra inſinuatum, & ſatis probatur ex §. Atrox. Inſtit. de iniur. Quintũ, ſi quis in facie vulneretur, aut percutiatur, per dicta ſupra.

Sextum, & hoc loco vltimũ atrocis iniuriæ exemplum, quando quis famoſo libello alicuius famã lædit: grauitas enim pœnæ arguit atrocitatem iniuriæ. Cum ergo aduerſus cõponentem & ſcribentem famoſum libellum capitalis pœna ſtatuta ſit. L. vnica. C. de famoſis libellis, ſatis colligitur talem iniuriam eſſe atrocem. Sed de hac materia latius infra cap. 1. q. 13. agetur.

Octauum Notabile. Pro quacunque iniuria, ſiue illa realis, ſiue verbalis ſit, ſiue leuis, ſiue atrox, ciuiliter & criminaliter agi poteſt c. Cũ te, de re iudicata. §. In ſumma. Inſtit. de iniurijs.

rijs. DD. in his locis. Robert. Maranta in ſpeculo aureo 4. part. d. 1. à. num. 9. Roman. in conſ. 97. Crauet. in conſ. 53. Didac. Couarr. lib. 2. variar. reſolut, cap. 10. num. 7. verſic. Sic iniuriam paſſus poterit, &c. Anton. Gomez. tomo 3. variarum reſolut. cap. 6. num. 7. Andreas Gaill. obſeruat. practi: lib. 1. obſeruat. 65. num. 1. Iulius Clarus. lib. 5. ſentent. §. Iniur. num. 4. & alij communiter alibi. Textus clarus eſt in d. §. In ſumma. vbi ſic ſe verba habent: In ſumma ſciendum eſt de omni iniuria, eum qui paſſus eſt, poſſe vel criminaliter agere, vel ciuiliter, & ſi quidem ciuiliter agitur æſtimatione facta ſecundum quod dictũ eſt, pœna reo imponitur: Sin autem criminaliter; officio iudicis extra ordinaria pœna reo irrogatur. Ciuiliter agitur pro iniuria, quando eam paſsus, agit ad æſtimationem iniuriæ & petit ſibi pro iniuria illata pœnam pecuniariam applicari, exempli gratia, in libello offert ſe malle carere ducentis aureis, quam tantam talemq; iniuriam ferre. text. cum Gloſſ. in l. Iniuriarum æſtimatio ff. eod. Bartol. ibid. & in l. fin. ff. de priuat. delict. text. cum Gloſ. in §. pœna Inſtit. de iniur. Criminaliter autem actio iniuriarum intentatur, quando iniurians conuenitur coram iudice, à quo petitur in libello, vt iniuriantem puniat pœnis iuris, ſiue in corpore, ſiue in pœna pecuniaria fiſco applicanda. Gloſſ. & DD. in d. §. In ſumma.

Decimum Notab. Quando actio vtraq; ciuilis

& criminalis tendit ad vindictã, tunc vna electa ſiue intentata tollitur altera, nec amplius ei locus eſt, text. in l.1.C. Quando ciuilis actio crimin. præiud. Bartol. ibid. & L. prætor edixit. §. Si dicatur. ff. de iniur. Gloſſ. & DD. in d. §. In ſumma. Speculat. in hoc tit. §. 1. verſic. Sed queritur. & in tit. de furt. §. 1. verſic. Sed nunquid. Maranta in 4. part. d. 1. num. 9. Anton. Gomezius tom. 3. variar. reſol. cap. 6. num. 7. Panormit. in cap. Tuæ. nũ. 5. de procurat. Andr. Gaill. practic. obſeruat. l. 1. obſeruat. 65. nũ. 1. & alij comuniter alibi. Exemplũ ponit Marãta: Si aliquis dat alicui alapã, vel dicit verbũ iniurioſum, nullũ facit damnũ iniuriã paſſo, & tamẽ ex tali delicto iniuriarũ poteſt agi de iure cõmuni ciuiliter & criminaliter, & vtraq; ciuilis & criminalis, tendit ad vindictã, quia nullũ damnũ paſſus fuit agens: tunc vna per aliã tollitur. Ante tamen actionẽ inceptã, eſt in electione agentis, quã velit intentare ciuilem, vel criminalem. Quando vero actio ciuilis & criminalis tendunt ad diuerſa, vtpote hæc ad vindictam, illa ad perſecutionem rei familiaris, & emendationem damni ex L. Aquil. tunc vna non tollitur per aliam, & ſic electa vna, adhuc poſtmodum poteſt aliam proſequi, & hæc eſt communis concluſio, vt atteſtatur Maranta loco cit. quam tenent Bartol. in d. §. Si dicatur. & DD. in d. §. In ſumma. Gail. loco cit. & alij paſsim alibi.

Vndecimum Notabile. In actione iniuriarum quando

quando ciuiliter agitur, communis & recepta praxis eſt, vt pars iniuriata ſiue actor in primis iniuriam æſtimet, & in libello exprimat ſummam, ſiue taxã, & eam iudici offerat, ſalua eius taxatione. Iudex deinde conſideratis circumſtantijs, & accepta informatione, moderatur æſtimationẽ oblatã, & poſtea actori ſiue iniuriã paſſo defert iuramentũ, & tunc ei cõceditur iurare vſq; ad ſummã taxatam, vel minus, non autẽ ei licitũ transgredi illam ſummã: pręſtito autem iuramẽto procedi poteſt ad ſententiam definitiuã definiendo, & iudicium ferendo in ſummã iuratam. Panormit. & Felinus in cap. Cũ te. de re iudicat. Cynus in L. Si nõ conuitij C. de iniur. Maranta loco cit. nũ. 10. Iul. Clarus in d. l. 5. §. Iniur. num. 6. Andr. Gaill. pract. obſeruat. l. 2. obſeruat. 102. qui dicit ita vbiq; obſeruari, & ait Bertrand. conſ. 47. numer. 6. libr. 8. vt eum rẽfert Clarus, quod hæc eſt Theorica quam ponunt doctores in hac materia. Panormit. in d. c. Cum te. num. 23. ponit huiuſmodi iuramenti formam, nempè: Iuro quod potius voluiſsem centum de meo perdidiſſe, quam hac iniuriã pati; quæ deſumpta eſt ex verbis Gloſſæ in cap. Si clerici de offic. ordin. in 6. & Bartol. in L. iniuriarum æſtimatio ff. de injur. & alijs. Quod ſi autem iniuriam paſſus, nolit iurare ad admonitionem & taxationem iudicis, eo quod minus ſua æſtimatione & expectatione taxatum ſit: Tunc locũ habere poteſt apud iudicem interlocutoria

cum

cum comminatione abſolutoriæ ſententiæ,& pertinacius recuſanti iudex iniungere poteſt, argum. text. in L. Si non fuerit cum L. ſeq. ff. de iureiur. & ita in Camera obſeruatum eſt teſte Gaill. in d. obſeruat. numer. 11. Primo tamen obſeruandum circa hæc,quod tunc iudex arbitrio ſuo poteſt taxare iniuriam, quando eius æſtimatio certitudinariè per probationes haberi non poteſt. Secus autem ſi ſit facta probatio per teſtes, tunc non ſuo ſtabit arbitrio, ſed ſequetur probationem, vt poſt Socin. ſeniorem conſil. 146. incip. Viſo proceſſu agitato. num. 17. verſic. Secunda difficultas. lib. 1. & Boſsium in practica criminali. titul. de iniur. poſt num. 2. obſeruauit Ioſephus Maſcard. de probationib. vol. 2. concl. 903. num. 2. Rationem hanc reddit: Licet enim probatio fieri poſsit mediante iuramento partis,tamē per hoc non prohibetur pars, quo minus poſsit probare per teſtes, vt animaduertit Rayn. de Furliuio in repetitione l. 1. num. 60. C. de ſententia quæ pro eo quod intereſt. Secundo obſeruandum, quando dictum eſt partem debere declarare ſummam à iudice taxatam, aut infra, nec debere transgredi, id ſibi locum non vendicare, quādo pars vult augere æſtimationem probando alias qualitates, ex quibus æſtimatio poteſt recipere incrementū, tunc enim licitum eſt parti tranſgredi iſtam taxationem, vt cauit Rota in tit. de iniurijs & damno dato deciſ. 4.

alias

lias 486. incip. Ad æſtimationem, in nouis.
gid. Bellamer. in deciſ. 722. Maſcard. in d.
oncluſ. num. 6. AEſtimatio autem in hoc ca-
fieri poteſt, vt annotat Maſcard. per teſtes æ-
imantes & probantes quod homines eiuſdē
onditionis æſtimarent tanti illam iniuriam.
continuus §. Cuncta. in verſic. plerumque
uſdem conditionis. ff. de verbor. obligati.
bi Barthol. notat de probatione intereſſe.
rtio dubitari poſsit, quia dictum eſt taxationem
iuriæ debere fieri à iudice, an hoc ſolum ſo-
im habeat quando agitur ciuiliter pro iniu-
a an etiam quando ex leg. Cornelia in caſib.
e quibus in L. lex Cornelia. ff. de iniur. locū
beāt; Gloſſ. in d. l. lex Cornelia, à principio
ult iuramento partis, & non per iudicis arbi-
ium in dictis caſibus taxari, ſed hanc Gloſsā
pudiant Bartol. in l. Iniuriarum æſtimatio.
eod. & poſt eum Rota in deciſ. d. & Bellam.
co cit. & poſt alios Cynus in l. Si nō conui-
ij. C. eod. Salycet. ibid. Philippus Corneus
conſ. 8. incip. Conſuluit D. Bartholomæus,
ol. 3. & alij alibi, hi enim indiſtincte volunt
e agatur l. Cornelia; ſiue actione prætoria
timationem faciendam iuramento partis &
inde taxandam per iudicem.

Duodecimum Notab. Pœna iniuriarum quan-
actio criminaliter intentatur, conſiſtit in
itrio iudicis, ſiue pro reali, ſiue pro verba-
niuria agatur. Iudex inſpectis facti circum-
ntijs, & perſonarum conditionibus, ſimili-
busque

buſque conſiderandis quod ęquum iuſtumue fuerit decernet. Inſtit. de iniur. §. In ſumma: DD. ibidem. Panormit. & Felin. in d. cap. Cũ te. Maranta loco cit. num. 16. Iulius Clarus. vbi ſupra num. 7. Gomez. in d. cap. 6. num. 7. & ſic communiter DD. ſentiunt. Ratio, quia quando à lege pœna taxata non eſt, tunc relinquitur in arbitrio iudicis. Varij autẽ ſunt doctores, an etiam iudex in hoc caſu ſuum arbitriũ extendere poſsit ad pœnam mortis incluſiue? Gloſſ. in d. §. in ſumma, in verbo. Extraordinaria exiſtimat quod in iniuria, aut alio delicto, quãdo pœna eſt arbitraria iudici, poſſit eam extendere vſque ad mortem, & illam Gloſſ. vt ſingularem ad hoc probandũ obſeruant Angel. ab Aretio, & Ioan. à Platea ibid. Ioannes Immolen. l. 2. ff. de public. iudic. col. 4. verſic. Quid autem ſi in aliquo caſu. idẽ in cap. Ex literis, de conſtitutionibus. Panormit. & alij ibidem, & illam Gloſſ. communiter in d. cap. Ex literis. Doctores ſequi atteſtantur, Andreas Barbat. in conſ. 11. incip. Scripſit belliſsimè Eccleſiaſt. c. 2. num. 8. volũ. 1. & Maranta in ſpeculo, vbi ſupra num. 59. & num. 69. & in diſput. ſua 3. Decius in d. cap. ex literis num. 4. Franciſcus Viuius in lib. cõmun. opin. in verb. iudicis arbitrio. And. Alciat. in fine reſponſ. ſiue conſilij 472. & alij alibi. In contrarium Gloſſam illam communiter reprobari voluerunt. Decius ſecundum modernos in L. Qui iuris dictioni num.

ſi num. 9. ff. de iuriſdict. omnium iudic. Chaſſen. ſuper conſuetud. Burgund. Rub. 1. Des iuſtices verſ. Al'arbitraige du iuge. Et pluresalij quos refert Iul. Clar. l. 5. ſentent. §. fin. pract. crim. q. 83. num. 11. & ſic hi doctores ſentiunt in arbitrarijs iudicem non poſſe imponere pœnam mortis naturalis, quã ſententiã etiam apprehendũt Hyppolitus Marſil. in conſ. 24. incip. Munda cor meũ. num. 34. Alberic. in l. 1. ff. de furib. balnear. per text. ibid. Iaſ. in L. Etſi legib. C. de leg. & in L. Qui iuriſdictioni pręeſt. col. 2. ff. de iuriſd. omn. iudic. Alexand. in conſ. 111. incip. Ponderatis verbis inquiſitionis. num. 7. l. 1. & conſ. 13. incip. Attentis his quę in themate. n. 15. l. 7. & eod. lib. conſ. 55. incip. In cauſa inquiſitionis formatæ cõtra Ioan. Crauet. in conſ. 224. n. 2. Chaſſen. loco cit. Boerius in deciſ. 317. nu. 2. Iul. Clar. in d. q. 83. n. 11. & alij alibi. Itaq; ſunt duæ celebres ſententię in hac re dubia in qua Cęſarea deciſione opus eſſet, vt ait Marãt. in d. par. 4. d. 1. nũ. 59. Fundamẽta vtriuſq; partis ponit idẽ auct. ibid. & in d. diſput. 3. vbi ex profeſſo hoc argumentũ tractat. Puto Gloſſam & eam ſententiã quam ei DD. attribuunt, eſſe verã à toto genere, in hũc ſenſum, quod aliquando talis poßit eſſe iniuria tã grauis & atrox, quod iudex poſſit cõſideratis circũſtantijs arbitriũ extenderẽ uſq; ad mortẽ incluſiuè, & ſic in duob⁹ caſibus quos colligit Antõ. Gomez. in d. cap. 6 poteſt verificari illa Gloſſa. Primus eſt attenta quali-

tate ali-

tate alicuius grauiſsimi facti arg. text. in l. reſpiciendum ff. de pœnis. text. in l. hodie. eod. tit. & in l. Pædius. §. 1. ff. de incend. ruin. & naufrag. & l. 1. §. expilatores. verſ. idcirco. ff. de effractor. c. expil. & DD. vtrobiq;. Secundus caſus eſt, quādo pro ſimili iniuria, aut delicto commiſſo ſolet dari & imponi in illo loco pœna mortis, arg. text. in l. ſaccularij. verſ. hanc rem ff. de extraord. crimin. & in l. 4. ff. de cuſtod. reor. in his caſibus iudex poterit arbitrium ſuum extendere ad mortem, & veritatem obtinet Gloſſ. in d. verb. Extra ordinaria. Hanc Gomezij ſententiam, etiam cum declaratione longius perſequuntur Maranta locis cit. & Menochius de arbitrarijs iudicū qq. lib. 1. q. 86. qui doctè à num. 10. vſq; ad finem dictos duos caſus iuribus, & allegationibus amplificat. Ex dictis infero cum Marantæ in d. diſt. num. 71. quod ſi iudex vellet procedere ex modica iniuria verbali ad mortem, non poſſet, quia non eſſet pœna cōueniens delicto, ſed maior, vt ſentiunt etiam Angel. ab Aretio in d. §. In ſumma. de iniur. & Abbas. in d. cap. Ex literis col. fin. alias poſſet appellari, vt notat Gloſſ. in l. Si qua pœna & ibi Bartol. in fine ff. de verborum ſignificatione. Argumenta etiam pro vtraque parte, Maranta ſoluit.

Decimumtertium Notab. Condemnatus actione iniuriarum efficitur infamis ſecundum communem DD. ſententiam cap. Cum te à

B. de

dereiudic. L. Infamem ff. de public. iudic.
furti§. Qui iuſſu, ff. de his qui notantur in-
mia. Doctores communiter in ll. & iurib.
eg. Summiſtæ in verbis: Iniuria, & Infamia,
uod ſecundum omnes DD. obtinet quãdo
iuria eſt atrox ſiue grauis ex ſententia An-
li in d. L. Infamem. An autem damnatus
o modica & leui iniuria infamis efficiatur,
n conueniunt DD. Quidam videntur ſen-
e pro modica & leui iniuria non effici ali-
em infamem, Gloſſ. in d. cap. Cum tẽ à B.
verb. minima. Auguſtin. ad Angel. in tract.
maleficijs in verb. Dictum Sempro-
im. num. 4. & in verb. Verba iniurioſa.
m. 17. Præpoſ. in tit. de pace iurament.
nand. in verb. iniuria num. 1. Albertus
imus, in tractat. ſtatut. articul. 9. num. 101.
lij alibi. Aliqui etiam Angel. in d. L. In-
iem, pro hac ſententia allegant, qui tamen
ius in contrariam inclinat: Nam cum aſſe-
ſſet damnatum pro graui iniuria infamia
ci ſecundum omnes, ſubiungit: Sed & pro
dica videtur damnatus infamis. Pro hac
tentia faciunt iura quæ modica non curan-
ignificant. Vt de modico non curat præ-
L. Scio. ff. de reſtitut. in integrum. Gloſſ.
l. in verb. ſummam. Actio etiam de dolo
datur pro modico. L. Si oleum, in fine. cũ
ff. de dolo. neq; in integrũ reſtitutio obti-
quãdo de modica læſione agitur per text.
L. Scio. & Bartol. ibid. & in modica dona-

tione nõ habet locum diſpoſitio, L. Si vnquã, C. de reuocand. donat. Decius in conſ. 581. incip. Viſo puncto controuerſiæ num. 3. & dicit cõmunem opinioné. Bald. in l. 1. nũ. 16. C. de inoffic. donat. Late Andr. Tyraquell. in d. L. Si vnquã. in Gloſſ. verb. Omnia, vel partẽ aliquam. à num. 6. vſq; ad 31. & alias ſemper modicus exceſſus non attenditur. L. Continuus. in princip. ff. de verbor. oblig. Gloſſ. ibid. Alij contra ſentiunt etiam pro modica iniuria condẽnatũ infamiã incurrere Felin. in d. cap. Cũ te. num. 9. & dicit eſſe cõmunem. Corſetus in tract. de minimis. 2. part. verſ. 26. Iul. Clarus in d. §. Iniuria. num. 8. & Andreas Gaill. practic. obſeruat. lib. 2. obſeruat. 102. num. 6. dicit quod hæc magis cõmunis opinio videtur. Verum condemnatus de leui iniuria facilius in integrũ reſtituitur, vt Felin⁹ & alij fatentur. vt autem infamia euitetur, quæ condemnationem in actione iniuriarum comitatur, duo remedia de iure ſuppetunt. Primum vt conuentus actione iniuriarũ ſi timeat dubiũ litis euentum non perſonaliter, ſed per procuratorẽ in iudicio cõpareat, tum enim non efficitur infamis. Quandoquidẽ in hoc caſu ſentẽtia in procuratorẽ concipitur & ꝓnunciatur, & ſic neq; principalis, neq; procurator infamia notãtur. per L. furti. §. Si quis alieno. ff. de his qui notãt. infam. Gloſſ. Bartol. & alij ibidem. Gloſſ. in d. cap. Cum te. Felin. ibid. nũ. 7. Angel. in tract. malefic. in verb. Verba iurioſa. Cæpola

cautel.

utel. 12. & alij paſsim alibi. Alterum remediũ
l euitandum iniuriã, vt conuẽtus actione in-
riarum, ſoluat iniuriæ ęſtimationẽ ante ſen-
ntiam, vel litis conteſtationem; tunc non cõ-
emnatur ſed abſoluitur; ideoq; infamiã non
currit. Panormit. in d. cap. Cum te. Bartol.
d. L. Infamem. Bald. in L. Si reus ff. de pro-
irator. Cæpol. loc. cit. Angel. in ſumã. verb.
famia. §. 6. & poſt alios Gaill. in d. lib. 2. ob-
ruat. 102. & 103. vbi plurima notabilia pro
axi ad hanc materiam pertinentia declarat.
is præmiſſis obſeruandũ etiã quod priuatã
ıctoritate ſine infamia non poteſt aliquis trã-
gere ſuper iniuria; eò quod tranſigens crimẽ
ıodammodo confiteatur. L. Quoniam ff. de
s qui notantur infamia. Eadẽ eſt ratio, ſi quis
ciſcatur mediante pecunia, aut pacto non
atuito: tale enim pactum æquiparatur trãſ-
ctioni. Bartol. in L. Athletas. §. Item ſi quis
eod. Auffrer. ad deciſ. 127. Capella. Tholoſ.
ope finem. Angel. in verb. Iniuria. num. 8.
yueſt. eod. verb. prope finem. Gaill. in d.
oſeruat. 102. prope finem. Quando autem
anſactio in actione iniuriarum fit auctorita-
iudicis & magiſtratus, non incurritur infa-
ia, vt DD. locis cit. atteſtantur. Iudicis enim
ſſus licitũ facit, quod alias eſſet illicitũ iuxtã
loſſam receptam in d. L. furti. §. Qui iuſſu.
Decimumquartum Notab. Non ſolũ faciens, ſed
iã procurans fieri effaciter iniuriã mandato,
ſilio, cõſenſu, pſuaſione, & alijs modis ſimi-

libus particeps redditur iniuriæ & poteſt conueniri actione iniuriarum. §. Non ſolum. Inſtit. de iniur. & L. Item apud Labeonem §. feciſſe conuitium, non tantum is videtur, qui vociferatur, verum is quoque qui concitat ad vociferandum, &c. quem text. ibidem Angel. notat contra concitantes pueros ad iniuriosè vociferandum contra alios.

Decimumquintum Notab. Iniuria alicui duplici modo inferri poteſt: Aut immediatè ratione propriæ perſonæ. Vt e. g. Petrus Ioanni Senatori iniuriam realem, vel verbalem infert: Aut mediatè, quãdo alicui infertur, qui noſtræ poteſtati ſubiectus eſt, vel etiam ratione ſanguinis: Quod enim noſtris fit, nobis fieri dicitur: vt ſi Petrus iniuriam inferat Senatoris ſeruo; aut filio nec dum emancipato, aut vxori. De his inſtitut. de iniur. §. patitur autẽ. & DD. ibidem. & in l. 1. §. Item aut per ſemetipſum. ff. de eod. per hæc verba: Item aut per ſemetipſum alicui fit iniuria; aut per alias perſonas: per ſemetipſum, cum directe ipſi patrifamilias; vel matrifamilias fit iniuria: per alias, cum per conſequentiam fit; cum fit liberis meis, vel ſeruis meis, vel vxori nuruiúe, & ibid. DD. Quemadmodũ iniuria illata vxori tangit maritũ, & ei cõpetit actio; ita iniuria ſponſæ obiecta, ſpectat ad ſponſi contumeliã, quando cognita fuit eius eſſe ſponſa, & ſponſus poteſt contra iniuriantẽ actionẽ inſtituere L. Item apud Labeonem. §. Sponſum quoque. Hoc tamen

duertendum vxori non competere iniuriarum actionem pro iniuria marito illata. Dendi vxores à viris, & non viros ab vxoribus quum eſt. l. 2. ff. eod. Obſeruant tamen Faer & Angel. alijque recentiores in d. §. Patir autem, hoc veritatē habere niſi ipſa vxor riter iniuria afficeretur, vt ſi marito obijrētur, eum maritum eſſe meretricis. In hoc ſu mulier pro iniuria propria ageret, licet rba prolata eſſent in conſpectu mariti: Siidem etiam abſenti iniuria fieri poteſt. l. Apud Labeonem. §. Conuitium. 2. Ex diis elicitur quod iniuria facta famulo, aut alius familiari in contumeliam domini, dicir facta domino, ita vt poſsit agere: alias non r text. in d. L. Item apud Labeonem. §. Indum. & §. Sed ſi libero. Inſtit. eod. & ibi. D. Bartol in l. 1. §. fin. ff. eod. Innocent. in p. Contingit. de ſent. excomm. & in c. Dileis. 2. col. de appellat. Huic confine eſt, quod ferens etiam iniuriam perſonalem in perſom alicuius executoris, vel officialis iniuria cta cenſetur domino cuius iuriſdictionem erçet iniuriatus, & ſic domino competit ao iniuriarum. Guido Papæ. q. 557. Sic iniu facta officiali regis, regi facta dicitur, ſendum Alexandr. in L. Quamuis. ff. de in s vocando. Multa ad propoſitum habet arſil. in conſ. 1. & 68. & 115. Chaſſen. ſuper nſuetud. Burgundiæ. Rub. 1. des iuſtices & oiets. §. 7. verb. De ſimple reſcouſe. num 40.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Haud diſſimile eſt, ſi iniuria fiat alicuius cadaueri, aut defunƈto, cenſetur facta hæredi, & ipſe accuſare ſuoq; nomine agere poteſt. l. 1. §. Quotiens. ff. de iniur. Gloſſ. ord. Bartol. & alij ibidem. Angel. in verb. Iniuria. num. 3. Sylueſt. in eod. verb. num. 8. Idem eſt iudicium, ſi fama defunƈti ſit laceſſita d. l. 1. §. Sed ſi fortè cadaueri.

Decimumſextum Notab. Actio iniuriarum etiã quandoq; tollitur, vt amplius ei locus non ſit, vt cõmuniter notant DD. in §. fin. Inſtit: de iniur. DD. in practicis criminalibus in tit. de iniur. Damhaud. in cap. 136. à nũ. 28. Iulius Clar. lib. 5. §. Iniuria. Gomez. loco cit. nũ. 15 Angel. Syluest. & alij Summiſtæ in verb. Iniuria. *Primo* iniuria tollitur remiſsione expreſſa, vel tacita: expreſſa quando ob preces, aut ſupplicationem, ſeu interceſſionem ab iniuriante, aut eius nomine interpoſitas, iniuriatus expreſſe condonat, & remittit iniuriam. 23. q. 4. cap. Si illic. Gloſſa ibidem in verb. Recidiuo. DD. communiter locis cit. Remiſſione tacita quãdo iniuria affeƈtus ſiue offenſus familiariter cum iniuriãte & offendente cõuerſatus eſt, vt beneuolè cũ eo locutus, humanè ſalutauit, ioco & riſu familiarẽ habuit ſermonẽ conuiuando vltro ſe illi adiunxit, ac ſimilia ſingularia amicitię ſigna exhibuit: per hæc tacitè cenſetur remittere iniuriam, L. Non ſolum. §. 1. ff. eod. tit. Gloſſ. Faber. Ioan. de Platea, & alij cõmuniter in d. §. fin. Bald. & recentiores in L. fi-

io quem.ff.de liber.& poſthum.Iaſ. in l.1.nú.
5.ff.de pactis.& alij loc. cit.De materia remiſ-
ionis iniuriarũ plenè & latè tractabitur infra.
ap.1. q. 10. *Secundo* diſſimulatione actio iniu-
iarũ interit, ita vt iniuriatus cõtra iniuriantẽ
mplius neq; ciuiliter, neq; criminaliter valeat
ntentare, quando videlicet vltra annum of-
enſus diſtulit offendentem coram iudice cõ-
enire. text in d.§. fin. & DD. ibid. & in L. Si
on cõuitij, in fin. ibi: Cum iniuriarum actio
nnuo tẽpore præſcripta ſit. C. eod .tit. & cõ-
nunis ibidem, nec eſt dubium de hac re apud
DD. Verum non conueniunt, an annus ille
ntelligatur continuus, an vero vtilis: vel vt
larius proponatur in gratiam diſcentium; an
nnus incipiat currere à tempore illatæ iniu-
iæ, vel à die ſcientiæ, quando primum ad no-
itiam venit, iniuriam ſibi illatã ab iniuriãte:
Nam vt alibi etiam admonuimus, certum eſt
niuriam verbalem etiam abſenti poſſe fieri.
Annum illum cõtinuum eſſe & à tẽpore illatæ
niuriæ initium ſumere exiſtimant Accurſius
n d.L. Si non conuitij. Cynus & Alberic.ibid.
DD.rotæ in deciſ.. 2. num.1. de iureiur. in no-
is. Faber in §. Sed & lex Cornelia. Inſtit. hoc
it. & hæc eſt communis opinio, vt atteſtatur
Cuman. in conſ. 74. num.5. & poſt eum Iulius
Clarus loco cit. num. 9. Fundamenta pro hac
ententia talia ſunt. Primum.d. L. Si non con-
itij, ſimpliciter anni meminit; Sed quoties in
are ſimpliciter fit mentio ãñi, ſine additione

vtilis, intelligitur de continuo, per text. in l. Genero ff. De his qui notant. infam. text. in l. fin. ff. de diuerſ. & temp. præſcript. & in L. Siue pars C. de dilat. Secundum. Actio iniuriarum eſt odioſa, ideoq; reſtringenda potius, quam extendenda. L. Interpretatione. ff. de pœnis. cap. Odia de regul. iuris in 6. In contrarium hunc annum eſſe vtilem, & currere à die ſcientiæ opinantur Bartol. Inſtit. de iniur. §. 1. num. 2. in fine. Bald. in d. L. Si non conuitij num. 2. & poſt alios Maranta in 4. part. d. 1. num. 99. quorum ſententiam apprehenderunt. Hieronymus Schurffius in conſ. 61. incip. Licet in præſenti, qui & ſoluit fundamenta contraria, centur. 1. Andreas Gaill. practic. obſeruat. lib. 2. obſeruat. 105. & atteſtatur ita in camera Imperiali cõcluſum, VVeſenbec. in annot. ad Ioannem Schnedevvinũ in d. §. Sed & lex Cornelia. adducit etiam conſtitutionem Saxon. 46. part. 4. ſic declarantem: Quare in tribunalibus Germaniæ ab hac poſteriori ſententia non putarem eſſe recedendum, quæ etiam ſuis non caret argumẽtis. Primum in omnibus actionibus prætorijs tẽporalibus tempus intelligitur vtile. Prætores enim ſolent loqui in edictis ſuis de anno vtili text. in §. 1. Inſtit. de perpet. & tempor. action. Secundum. Quod modo prædicto iniuriarum actio tollatur eſt quædam præſcriptio per text. expreſſum in d. L. Si non conuitij. in fine, quando ait: Cũ iniuriarum actio anno tem-

uo tēpore præſcripta ſit. Præſcriptiones au-
em contra actiones pœnales prætorias tem-
orales currunt tantum ob moram negligen-
iamque non agentium, & ideo neceſſe eſt in
nitio ponere ea quæ negligentiam inducunt.
1. §. fin. C. de ann. except. & Bartol. L. Ge-
ero. ff. de his qui notant. infamia. Ignoranti
utem nulla negligentia imputanda in eo
uod ignorat, & ſic per conſequens non cur-
t contra eum præſcriptio. Vnde cum ibi non
t negligentia ex defectu ſcientiæ, præſcrip-
oni initiū eſſe nequit. &c. Pluribus Schurff.
Gaill. hæc extendunt. Vt autem talis actio
oſt annum locum habere poſſit, & actor eam
roſequi valeat, & perpetuetur, ſufficit ipſam
ctionem infra ſpacium anni inſtitutam, & li-
m eſſe conteſtatam per notata à DD. in d. L.
non conuitij. Marant. loc. cit. Rota deciſ. 2.
e iniur. in nouis nec in hac re eſt dubium.
ndreas Gaill, tamen practic. obſeruat. lib. 1.
bſeruat. 64. num. 6. fatetur in Camera Im-
eriali Spiren. ſola citatione & eiuſdē repro-
uctione abſq; litis conteſtatione perpetuari
iuriarum actionem ob multitudinem cau-
rum, & certam ex ordinatione procedendi
rmam, quibus litigantes plerunq; impedi-
itur, vt ad litis conteſtationem infra annum
uenire non valeant, & ita non voluntate,
d tempore & ordinatione iudicij exclu-
intur à litis conteſtatione: & ita temporis
rſus agenti non præiudicat. *Aliud dubium hoc*

loco occurrit: An actio iniuriarum quæ de iure ciuili deſcendit ex Leg. Cornelia, ſit temporalis ita, vt expiret poſt annum, vel ſit perpetua? Actio iniuriarũ ex L. Cornel. in tribus caſibus oritur. L. Lex Cornelia. hoc tit. quãdo ſcilicet quis pulſat⁹, vel verberatus eſt ab alio, vel domus eius per vim introita. Hãc actionẽ eſſe perpetuã tradũt Gloſſ. in d. L. Lex Cornelia. Bald. Angel. Salyc. Petrus & Cyn. in d. L. Si non conuitij: Hoſtien. in ſumã tit. de iniur. §. fin. Capella Tholoſſana in deciſ. 140. incip. Item fuit quæſitum. An actio iniuriarũ deſcendẽs ex L. Cornelia. Bald. de præſcript. 4. par. 4. partis principalis. q. 1. Maranta loco cit. Iul. Clar. in d. §. Iniuria. nũ. 9. Faber. & alij. in §. Sed & lex Cornelia. Inſtit. eod. & hæc eſt cõmunior opinio, & huic innititur fundamento, quia omnis actio ciuilis de iure ciuili eſt perpetua. §. 1. Inſtit. de perpet. & tempor. action. & L. Sicut in rem. C. de præſcript. 30. vel 40. añor. In cõtrariũ quod hæc actio etiã ſit añalis & non ꝑpetua volunt. Gloſſ. in d. L. Si non cóuitij. & alibi. Iacob. de Butrio & quidã alij ibid. Azo in ſumã. C. de iniur. col. fin. quorũ ſententiã etiam amplectitur. Ant. Gomez. tom. 3. variar. reſolut. cap. 6. nũ. 16. Iſti DD. fundant ſuã ſententiam in d. L. Si non cóuitij, quæ L. certè in nullo eorum ſententiã iuuat. Nam loquitur de iniuria verbali, vt clarè ex text. liquet, & rectè obſeruauit Ioannes Schnedevvinus in d. §. Sed & Lex Cornelia. num. 3. Igitur non habet locum in reali deſcédenti

dentiex L. Cornel. Prima itaq; opinio communior & verior eſt de iure. *Tertio*, iniuriarum actio remouetur, pacto vel tranſactione. text. in L. Si tibi decem. §. primo. ff. de pactis, vbi ſic dicitur: Quædam actiones per pactum ipſo iure tolluntur, vt iniuriarum, item furti, &c. Bartol. & alij ibidem. & L. Non ſolum. §. 1. verſic. proinde, in hæc verba. Proinde, & ſi pactum de iniuria interceſſit, etſi tranſactum ſit, & ſi iuſiurandum exactum erit, actio iniuriarum non tenebit. *Quarto*, iniuriarum actio etiam tollitur per mortem iniuriantis & iniuriati ante litem conteſtatam, tunc enim iniuriarum actio non tranſit ad hæredes. L. Iniuriarum 1. & L. Item apud §. iniuriarum actio. ff. eod. De his latius. Platea in §. fin. Inſtit. eod. tit. His prænotatis obſeruandum, quod etſi his modis cenſeatur ſublata actio iniuriarum, non tamen per hoc perit actio ad damna, expenſas, & intereſſe, vt DD. in memoriam reuocant, & nos infra latius oſtendemus, ſed hîc occaſione horum breuiter hoc dubium reſoluendum. *Quæ actio competat pro damnis & intereſſe in hoc caſu?* Antoni. Gomez. in d. capit. 6. num. o. hoc mouet & ſoluit. Primo videtur quod competat officium iudicis incidenter. argum. text. in L. Interdum. 2. §. Qui furem. ff. de furt. Vbi determinatur quod pro crimine furti poteſt agi criminaliter, principaliter ad pœnã, & incidenter ex officio ad rei conſecutio-

conſecutionem, & per hunc text. ad propoſitum reſpondet Angelus Peruſin. in d. L. Item apud Labeonem. §. Si quis ſeruo verberato, Bald in L. dominum. C. eod. & ita practicatur, vt ait Gomez, & iſta ſententia eſt vera ſecundũ eundem; tamen etiam ſuppetit aliud remedium, ſcilicet actio vtilis L. Aquil. argũ, text. in L. liber homo. ff. ad L. Aquil. ibi: Liber homo ſuo nomine vtilem Aquiliæ actionem habet. Gloſſ. & alij ibidem. Bartol. cum Gloſſ. & alijs in L. Qua actione. §. Si quis in colluctatione. ff. ad L. Aquil. Panormit. & alij infra cap. 1. Ex his aliud dubium ad propoſitum huius loci exurgit. *Quanto tempore duret iſta actio ad damna & intereſſe?* Gomez. etiam monet, & dicit ſe in hoc caſu conſuluiſſe. Non durat hæc actio tantum anno, cum non ſit actio iniuriarum ſed diſtincta ab eadem ſcilicet L. Aquil. vnde videtur quod duret triginta annis, ſicut alia actio de iure ciuili. Gomez. tamen tenet quod duret per viginti annos, argum. text. in L. Querelam. C. de falſ. vbi deciditur, quod omnis actio, vel accuſatio deſcẽdens de delicto etiam de iure ciuili durat tantum per viginti annos. Ergo iſta actio L. Aquil. pro damnis & intereſſe licet ſit de iure ciuili, tantum durat per viginti annos, cum deſcendat de delicto, & ita præſcripta, & ſublata actione iniuriarũ per lapſum anni, remanet ad 20. annos actio ad damna & intereſſe.

Decimumſeptimum & vltimum notabile ſuper prima parte

parte Rubric. Iudex timens Deum; amans charitatis, & pacis publicæ ſtudioſus in actione iniuriarum ſemper laborare debet, vt partes redigantur ad concordiam, & iniuriæ ſopiantur. Vt admonet poſt Speculatorem Matheus de Aflict. in §. Iniuria. de pace iurament. firmand. Schnedevv. in §. fin. num. 3. Inſtit. hoc tit. Damhauder. in rerum criminaliũ praxi, cap. 136. num. 18. pro quibus eſt text. in cap. Studendum. 90. diſt. & in L. AEquiſſimũ: in princ. ff. de vſufr. Huiuſmodi enim actiones iniuriarum plerumq; ex ira & odio originem trahunt, & ſic generant diſcordiam, odium & indignationem & ſcandala, ſi multum agitentur, & in foro deducantur: Si autem ſopiantur, animi litigantium redeunt ad pacẽ; & quieſcunt, ac iniuriarum memoria obliuione facilius deletur.

Nunc deueniendum eſt ad ſecundam partem Rubr. de damno dato.

Primum Notabile. Damnum & damnificatio ab ademptione & quaſi diminutione patrimonij dicta ſunt. l. 3. ff. de damo infecto, & hæc acceptio generalis eſt, comprehenditque ſub ſe furtum, rapinam, & alias iniuſtitiæ ſpecies, quibus proximo ſuum iniquè aufertur. Qui enim clam, aut violenter aliena rapiunt; dicuntur ſic damnum inferre; quia alterius contra iuſtitiam ſubſtantiam diminuunt. Alias ſpecialius damnum accipitur pro corruptione, læſione & deterioratione rei. Gloſſ. re-

cepta

recepta in L. Qui occiderit. §. in hac verb. feciſſe. ff. ad leg. Aquil. & ſic damnum diſtinguitur contra furtum & rapinam, & diuerſi ſunt tituli in iure de furtis, raptoribus & dãno dato. Hinc DD. Inſtit. de leg. Aquilia, fundantes ſe in Gloſſ. 1. ibidem, diſtinguunt inter actionem furti, & vi bonorum raptorum, & L. Aquil. quod illa datur, quando rem meam tecum aufers: hæc autẽ quando eam deſtruis, lædis, corrumpis, aut occidis.

Secundum Notab. Damnũ duplex eſt. Quoddam dicitur infectum, quod nec dum factum, ſed futurũ veremur. l. 2. ff. de dãno infecto, & de hoc agitur eod. tit. Exempli gratia, vt res clarius intelligatur, vicinus meus habet ædificium, quod ruinam minatur, niſi reſtauretur; & ſi ceciderit, meas vicinas ædes, damno afficiet: Si reſtaurare nolit, poſſum ipſum conuenire pro cautione de damno infecto. Aliud exemplum. Molitor habet aquæ ductũ, & aggerẽ, quem cõſeruare tenetur, ex negligẽtia, & incuria ruere permittit, qua occaſione iudicio & arbitrio virorũ prudentũ maximũ mihi imminet damnũ in agris vicinis, agere poſſum ad cautionẽ dãni nec dum nati, ſiue infecti argũ. text. l. 4. & L. Si finita. ff. de dãno infecto. Aliud eſt dãnum iam datũ ſiue illatũ, & de hoc agitur in Rubr. & tit. noſtro, & in lege ciuili, eiuſq; peritis in inſtitut. & ff. ad leg. Aquil. Quæ dicitur lex Aquil. ab Aquilio Tribuno, cuius auctoritate populo approbante introducta eſt, nomenq;

nomenq; obtinuit. l.1.in d.tit. qua lege agitur ad recõpenſationẽ damnorũ iniuſtè illatorũ.

*Tertiũ Not.*Ex Speculatore ſuper 2. parte hui⁹ tit.Hoſt. in ſum̃a ibid.Roſr. in tract. libellorũ part. 4. de action.L. Aquil. directa. DD.cum text.Inſtit.de leg. Aquil.§.penult.& fin. Dãnũ aliquando de corpore in corpus datũ dicitur, quãdo ex vtraq; parte corp⁹ im̃ediate interuenit, vt ſi manu mea occidã ſeruũ tuũ.Aliquando dãnum datur de nõ corpore in corpus,vt ſi quis impellat animal alteri⁹,vt ſe precipitet & moriatur. Vel poti⁹ det cauſã præcipitationi nõ manibus attingendo,ſed alio modo incitãdo,fugãdoq; ad curſũ,quo mediãte precipitatur,& collũ frangit: aut aliquis includit vicini ſui pecora,nec curã eorũ gerit,& ſic ob incluſionẽ fame moriuntur.Aliquándo autẽ damnũ è contra datur de corpore in nõ corpus,vt exẽpli gratia, vt ſi quis manu alterius excutiat annulũ, qui cadit in aquã ꝓpinquã & perditur. Quandoq; autẽ damnũ datur de non corpore in nõ corpus, vt ſi quis miſericordia motus liberat alienũ ſeruũ incluſum à domino ob iuſtã cauſam,qui ſeruus ſolutus cõpedibus,& ianua reſerata,aufugit. In omnib⁹ his caſibus de iure reſarciendũ eſt dãnum, ſed eſt differentia quantũ ad actionẽ inſtituendã. In primo caſu actio leg. Aquilię directa locũ habet. In ſecũdo vtilis,ſicut etiam in tertio , nec non etiã in factum ſubſidiaria. In quarto actio in factum ſubſidiaria ſortitur effectum.

Quartum

Quartum Notab. Damnum aliquis dat proximo ſuo, aut per ſe ipſum, ſiue alium hominem, vt Inſtit. de leg. Aquil. & ff. eod. tit. & cap. 1. infra. Aut per ſua animalia, ſeu vt ius ciuile appellat, pauperiem facit Inſtit. Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur, & ff. eod. & in hoc tit. cap. Si bos. & cap. Si læſerit. Si animal pauperiem facit, aut incitatum ab alio eſt: aut à ſe ipſo fecit, & in his omnibus caſibus de iure ciuili diuerſa actio datur. At in titulo noſtro iuris canonici ſub eodem omnia comprehenduntur, vt ex textus proceſſu patebit.

Quintum notab. Omni iure qui damnum intulit: aut efficax cauſa eſt damni tam per ſe, quam per interpoſitam perſonam, aut ſua animalia, vt damnum iniuriosè & culpabiliter inferatur, tenetur ad reſtaurationem & reſtitutionem omnium damnorum, quorum cauſa fuit. De iure naturali & diuino notum eſt ex præcepto decalogi: Non furaberis. Quo prohibetur non ſolum iniuſta rei alienæ ablatio, & contrectatio, ſed etiam damni illatio iuxta doctrinam S. Thomæ 2. 2. q. 62. art. 4. communiter receptam, quam ſequuntur Caietan. ibidem art. 4. Sotus lib. 4. de iuſtit. & iure. q. 6. art. 5. Martinus Nauarr. in manuali confeſſar. cap. 17. num. 1. Didac. Couarr. in regul. Peccatum. de regul. iuris in 6. part. 2. in initio num. 2. & alij paſſim alibi. Sunt etiam iura clara iuris canonici & ciuilis in hoc tit. de iniurijs

iurijs & damno dato. & in Inſtit. & ff. ad L. Aquil. & in hac re non poteſt eſſe dubium. Ratio etiam clara eſt. Damnum iniurioſè inferens, peccat contra iuſtitiam particularem & facit inæqualitatem. Ergo tenetur ad reſtitutionem: hæc enim eſt differentia inter peccata contra charitatem, & hæc quibus iuſtitia particularis violatur; quod in illis non ſit obligatio reſtituendi, in his vero maximè, vt DD. tradunt Alexand. Alenſ. 4. par. q. 87. Adrian. in 4. de reſtitut. q. 1. col. 9. §. de concurrentibus cum fure. Sotus lib. 4. de iuſtitia & iure q. 7. art. 3. & lib. 5. q. 3 art. 4. & alibi. Ioannes à Medina. in C. de rebus reſtituend. cap. 9. Nauarr. in apolog. de reditib. eccleſ. q. 2. monit. 2. & 7. & in manuali confeſſar. cap. 17. num. 11. & cap. 24. num. vbi dicit hanc eſſe communem ſententiam. Didacus Couarr. in regula. Peccatum. lib. 6. part. 2. §. 3. num. 5. Petrus à Nauarra. lib. 2. de reſtitut. cap. 1. nū. 12. & alij alibi, & hæc eſt communis Theologorū reſolutio. Vnde pro regula hanc differentiam annotauimus in Enchridio curæ paſtoralis. part 3. cap. 15.

Sextum Notab. Qui alium damnificauit contra iuſtitiam, ſi eſt ſoluendo, ad hoc vt ſalutem conſequatur, tenetur ad reparationem damnorum in conſcientia antequam per vllam ſententiam condemnetur. Quoniam lex de non damnificando proximum, eſt diuina, naturalis, & negatiua, quæ obligat ſemper, & pro

ſemper, vt patet ex notab. 5. Qua de cauſa multi potentes damnantur, & potenter tormenta patientur, qui ſæpè damna inferunt multis in bonis, pecoribus & fructibus; nec tamen cogitant de vlla reſtitutione: cum ob ſuam potentiam à nemine condénentur, quã uis ſerio cogitare deberent, legi diuinæ & naturali eſſe parendum, & proximo damnũ neceſſario reparandum. Atq; vt hoc etiam breuiter in memoriam reducã, lex Aquil. quatenus decernit, vt quiſq; conſequatur reparationem damni ſibi iniuſtè illati, nihil diuerſum à iure naturali & diuino diſponit. Quantũ vero ad aliqua addita pœnalis eſt actio L. Aquil. vt patet ex §. His autem verbis. Inſtit. de lege Aquilia. Atq; in primis pœnalis eſt in eo quod in primo cap. L. Aquil. damno afficiens res alterius, vt vulnerando, aut lædendo alterius ſeruum, aut animal pecudum numero contentum, condemnatur ad ſolutionem pretij rei læſæ, vel interemptæ non pro præſenti tempore, ſed quanti plurimi valuit anno elapſo, ſecundum communem rei valorem, & ſic reus ſecundum L. Aquil. non ſolum aliquando in ſimplum & verum pretium, ſed etiam in plus & excedens condemnatur. e. g. Ante dimedium annum emi equum quinquaginta aureis, is poſt quatuor menſes à die emptionis infortunio aliquo efficitur cæcus, ita vt maioris viginti non valeat, alius culpa dat cauſam, vt equus ſic cæcus moriatur, poteſt conueniri & con-

& condemnari ſecundum L. Aquil. vt pro equo mortuo ſoluat 50. aureos, licet eo tempore quo interijt, tantum valuerit 20. per ea quæ habentur in d. §. His autem verbis, & in L. Ait lex. ff. eod. Eſt etiam L. Aquil. pœnalis quantum ad hoc, quod per inficiationem creſcit in duplum Gloſſ. in L. Item Mela. §. Sed ſi ſeruum. in verb. cum ſit pœna ff. eod. hoc enim fit in odium mendacij. Qui enim damnum intulit, illud ſi neget, & poſtea de mendacio conuincatur, condemnandus venit ſecundum L. Aquil. in duplum. Lex ergo naturalis & diuina obligat tantum ad reſtitutionem eius, in quo quis damno affectus, aut eius verum valorem. Lex vero Aquil. addit ea quæ ſunt pœnalia. Sic etiam lex diuina & naturalis obligat ad reſtitutionem ante omnem ſententiam. Pœnalis vero poſt condemnationem iuxta Gloſſam ſingularem in cap. Fraternitas. 12. q. 2. & communem in cap. 1. de conſtit. Nauarr. & alios in d. cap. Fraternitas. S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 3.

Septimum Notabile. Aliquis poteſt alteri damnum inferre, vel in bonis animæ, vt in auferendo & deſtruendo virtutes infuſas & morales, nec non dona gratiæ: vel in corpore, hoc lædendo, aut ſuis membris ſpoliando: aut in bonis honorarijs, vt denigrando famam, abſcindendo honorem verbo & facto, vel tandem in ſubſtantia temporali & externa, vt deducunt S. Antonin.

in 2. part. tit. 2. Ioan. à Turrecrem. 14. q. 6. cap. Si res. Sotus lib. 4. de iuſtit. & iure. q. 6. art. 3. Adrian. in 4. de reſtitutione. Paludan. in 4. d. 15. q. 2. Scot. ibidem. q. 3. Gabr. in ead. d. q. 2. notab. 3. & alij alibi.

Octauum Notab. Quoniam in titulo noſtro nulla fit mentio de læſione, aut damno dato in ſpiritualibus, nihil etiam tractabimus de hac materia, ſed pro nunc remittimus ad DD. qui de damnificatione in ſpiritualibus, & eorum reſtitutione ſcripſerũt, ex quibus hi ſunt præcipui. Turrecremat. in d. cap. Si res. S. Antonin. loco cit. cap. 2. §. 1. Scot. in 4. d. 15. q. 3. Richard. in ead. d. art. 5. Palud. q. 2. art. 2. concl. 1. doctè Gabriel ibid. q. 17. Nauarr. in manuali confeſſar. cap. 14. num. 45. Dominicus Sotus. lib. 4. de iuſtit. & iure. q. 6. art. 3. latè Petrus à Nauarra. lib. 2. de reſtitut. cap. 2. & alij.

Nonum Notab. Quandoquidem infra de dãnis datis, & de incendijs, ſæpè vtendum terminis doli, culpæ latæ, leuis & leuiſsimæ, hoc loco horum terminorum explicatio inſerenda ex iuriſperitorum doctrina. Culpa, prout ad præſens inſtitutum pertinet, eſt voluntaria inordinatio actus, aut deuiatio à bono. Quæ definitio traditur à Nauarro in manuali confeſſar. cap. 17. num. 177. Hæc autem inordinatio ſiue deuiatio, aliquando fit ſtudio, data opera, & induſtria: aliquando inconſideratione & negligentia, & ſic culpa diuiditur

tur in Dolum, & culpam ſimplicem. Dolus eſt machinatio, ſeu circumuentio ad decipiẽdum, ſeu fallendum alium adhibita. l. 1. ff. de dolo. Gloſſ. de reg. iur. in 6. reg. Scienti. Dolus diuiditur ſecundum Bartol. in L. Quod Nerua, ff. Depoſiti. Panormit. in c. 1. de commod. & cap. fin. de depoſ. & Summiſtas in verb. culpa in verum & præſumptum. Dolus verus eſt, qui manifeſtis & apertis indicijs deprehenditur, & perſpicitur ex L. Dolo. C. de dolo. Exemplum ponitur à Iohanne Immolen. in cap. vnic. de Commod. Depoſitarius inſtigat aliquem, vt rem penes ipſum depoſitam furetur, eique rem indicat, facto cum fure pacto de re participanda. Dolus præſumptus quando non ſunt manifeſta ſigna, ſed tantũ eſt præſumptio. e. g. Depoſitarius res ſuas in loco ſatis tuto cuſtodit, dimiſſa re depoſita, in loco ædium minus tuto, vnde facilè ſubtrahendi periculum imminebat. Bartol. loco cit. dolum verum latiſsimam culpam: & præſumptum latiorem culpam nominat. Culpa ſimplex, prout diſtinguitur contra dolum, eſt quando, quis vt ſupra ſignificatum eſt, ex inconſideratione, incuria, ac negligentia deuiat à bono, ſiue ab eo quod faciendum eſt, & hæc diuiditur communiter in latam, leuem & leuiſsimam. DD. in loco cit. Lata eſt deuiatio incircumſpecta ab ea diligentia quam homines communiter eiuſdem profeſsionis & ætatis habere ſolent. e. g. Rem commodatam

relinquo in ſcamno non longè à ianua, eaque aperta, quãdo in ciuitate paſsim vagantur milites præſidiarij, quibus difficile cõtinere manus, ne alienum rapiant, & interim res cõmodata furto ſubtrahitur: Leuis eſt quam regulariter homines diligentes & periti illius profeſsionis euitant, vt ſi depoſitarius rem relinquat in ſuo cubiculo, ciſta non clauſa. Leuiſsima culpa eſt, quam homines diligentiſsimi & ſolertiſsimi conſueuerunt vitare. Vt ſi quis rẽ cõmodatam in cubiculo reliquit, quod claue obſerauit, non tamen manu tentauit, an oſtiũ benè eſſet obſeratũ. Iudex autem, vt rectè admonuit Faber in Inſtit. Quibus modis re cõtrahatur obligatio, ex circũſtantijs & coniecturis arbitrari debet, in qua culpa quis fuerit, his præſuppoſitis, nunc ad textum procedendum.

CAPITVLVM PRIMVM.

EXODI XXI.

Si rixati fuerint homines, & percuſſerit alter proximum ſuum lapide, vel pugno. Et ille mortuus non fuerit, ſi iacuerit in lecto: qui percuſſerit, operas eius & impenſas in medicos reſtituat.

INPRIMIS aduertendum hoc cap. & quatuor ſequentia deſumpta eſſe ex lege veteri iudiciali, & inſerta hoc loco iuri canonico. Deinde rixa præcedens non excuſat percuſsionem ſequentẽ à culpa &

peccato. Rixę vocabulum deducitur à verbo Ringor auctore Iſodoro lib. 10. Ethymolog. ca. 17. & rixoſus à rictu canino dictus eſt, Rixa autem non aliud ſignificat quam quoddã particulare bellũ, aut pugnã priuatarũ perſonarũ ex mutua ira concitatã ex D. Thoma 2. 2. q. 41. art 1. communiter recepto ab Angelo. Syluestro. Caietano & alijs in Summis. verb. Rixa. S. Antonino 2. part. tit. 7. cap. 7. in principio. Rixæ proxima cauſa eſt ira. Vir enim iracundus prouocat rixas. Prouerbiorum 15. & 29. Hinc S. Gregor. lib. 31. moral. cap. 31. & poſt eum S. Thomas 2. 2. q. 41. art. 2. & q. 158. art. 7. & alij alibi, rixam conſtituunt inter filias iræ. Quomodo autem ira quandoque ex alijs vitijs oriatur, S. Thom. in d. 2. art. declarat. Notant autem Ioannes Andr. Panormit. Anthon. Cardin. & alij in cap. 1. Ne clerici vel monachi, &c. Quod contentiones conſiſtant in verbis, lites in iudicijs, rixæ in factis & percuſſionibus. Tertio cum dicitur, percuſſerit lapide, vel pugno, apparet quod text. loquatur de eo qui non ex proposito voluerit occidere: alias non de pugno, aut lapide, ſed de inſtrumentis aptatis ad vulnerandũ & occidendum, vt gladio, cultello, aut ſimilibus armis, ſermonem feciſſet. Hinc etiam ſumitur argumentum quod à fortiori quis teneatur qui armis aliquem percuſſerit per regulã Topicã: Si quod minus ineſſe videtur, ineſt, multo magis ineſt, quod magis ineſſe

videtur. Facit ad idem illud memorabile traditum à Baldo in L. Qua actione. §. 1. ff. ad. leg. Aquil. per text. ibidem approbatum ab Hyppolito de Marſilijs in practica criminali. §. pro complemento. num. 33. quod eadem pœna punitur occidens aliquem manu vacua, ac ſi cũ armis occidiſſet. Quarto. Et ille percuſſus mortuus non fuerit, ſed iacuerit in lecto, Maximè ſubintelligunt Ioannes Andr. & Hoſtienſis. Licet enim non iacuerit, locum habet, quod ſequitur, modo percuſſio efficax cauſa fuerit, quod operas perdiderit, & ſumptus fecerit in medicos. De his plenius infra.

Quæſtio prima pro maiori elucidatione huius cap. & ſequentium, quæ ex veteri lege deſumpta ſunt.

Quomodo hæ leges Exodi nunc obligent, cum lex vetus morte Chriſti expirauerit, vimq́ ſuam amiſerit?

ANTEQVAM Quæſtioni reſpondendo ſatis fiat, obſeruandum ex receptiſsima Theologorum ſententia, legem veterem triplex genus præceptorum in ſe continere Moralium, Cæremonialium & Iudicialium. Sic Alexand. Alenſis in 3. part. q. 28. & q. 39. memb. 4. S. Thomas. 1. 2. q. 99. art 4. & 5. S. Antonin. in 1. part. tit. 14. cap. 2. §. 2. Scot. in 4. d. 3. q. 4. prope finem. Gabr. in 3. d. 37. q. 1. Turrecrem. d. 5. cap. Sed cum naturale. &

DD.

DD. iuris canonici in cap. 1. de decimis.in 6. & alij paſsim alibi. & ſatis fundatur hæc præceptorum diuiſio in ſacris literis. Deuteron. 6. Hæc ſunt præcepta, cæremoniæ, atque iudicia, quæ mandauit Dominus DEVS vobis, &c. Præcepta per antonomaſiam dicuntur moralia. 2. Paralipom. 33. Si cuſtodierint facere quæ præcepi eis, cunctamque legem, & cæremonias, atque iudicia, & Roman. 7. Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum & bonum. Quando dicit, quod mandatum ſanctum, hoc refert ad cæremonialia, nam ſanctum dicitur, quod eſt Deo dicatum, iuſtum ad iudicialia, & bonum, id eſt honeſtum, ad moralia iuxta D. Thomæ interpretationem in d. art. 4. pertinet. Ex dictis infertur imperfectam, nec ſatis aptam eſſe illam diſtinctionem. Gloſſ. in d. cap. 1. de decimis in 6. quam etiam apprehendunt Panormit. in cap. fin. de conſuetud. num. 3. Maranta in ſpeculo. part. 3. & alij alibi, quod præcepta veteris legis, quædam ſint moralia, quædam cæremonialia & quædam myſtica. Quam diſtinctionem in d. cap. 1. DD. corrigunt. Præcepta moralia nominantur, & ſunt quæ ex dictamine legis naturæ proficiſcuntur, & iure naturali inſunt, vt omnia Decalogi præcepta. Cæremonialia ſunt determinationes cultus diuini, quæ dirigebant homines in his quæ ad cultum diuinũ, atque honorem obſequiumq; Deo exhibendum ſpectabant. Exod. 18. Eſto populo in his

quæ ad Deum pertinent, oſtendasque populo cæremonias & ritum colendi. Iudicialia præſcribebant hominibus, vt inuicem pacificam & tranquillam agerent vitam, & ſi proximo inferreretur aliqua iniuſtitia ſiue iniuria, ius vnicuique ſuum tribueretur, inæqualitasque ad æqualitatem reduceretur. Inueniuntur autem in veteri lege alia nomina, vt mandata, teſtimonia & iuſtificationes, &c. Quæ reducuntur ad triplex præceptorum genus aſsignatũ. De præceptis moralibus latiſsimè agunt Alenſis in 3. parte à q. 29. S. Thomas loco cit. q. 100. Antonin. 1. part. tit. 14. cap. 3. Sotus vbi ſupra q. 3. De cæremonialibus Alenſ. à q. 54. S. Thom. q. 101. Antonin. cap. 5. Sotus q. 5. De iudicialibus ijdem DD. Prior à q. 40. Secundus à q. 104. Tertius cap. 6. Quartus q. 6. Hi enim DD. ex Profeſſo omnia quæ horum præceptorum naturam concernunt, examinant & accuratè pertractant. Nunc pro reſolutione quęſtionis ſit.

Prima Concluſio. *Quantum ad moralia præcepta, ſi vim obligatoriam, quam ex veteri lege traxerunt, conſideremus, etiã abolita ſunt, & vim obligandi amiſerunt.* Hanc ponunt Sotus lib. 2. de iuſtitia & iure. q. 5. art. 4. concluſ. 2. Bartol. Medina. 1. 2. q. 100. art. 1. Gregor. de Valentia ibidẽ diſput. 7. q. 7. puncto 7. Didac. Couarr. lib. 1. variarum reſolut. cap. 7. & alij recentiores alibi. ꝓbatur Hæbreor. 7. Tranſlato ſacerdotio, neceſſe

ceſſe eſt legis quoq; tranſlatio fiat, & hoc ſine diſcrimine de lege dicitur, & Lucæ 16. Lex & Prophetæ, vſq; ad Ioannē. & Chriſtus in cruce ſine omni exceptione dixit: Conſummatum eſt. Quantum autem ad illud commune dictū. Lex ceſſauit quantum ad cæremonialia & iudicialia, non autem quantum ad moralia. Cui & iuriſperiti conueniunt, dum volunt moralia ſemper durare, vimq; ſuam retinere. Id in hunc ſenſum intelligendum quod moralia non ceſſarunt, prout erant de lege naturæ; quæ etiam gentes obligabāt, ſed quantum ad virtutem obligandi pendentem ex vi veteris legis, vt optimè colligitur ex D. Thoma 1. 2. q. 98. art. 5. dum ſtatim à principio corp. ait. Reſpondeo dicendum quod lex vetus manifeſtabat præcepta legis naturæ, & ſuperaddebat quædam propria præcepta: quantum igitur ad illa quæ lex vetus continebat de lege naturæ: omnes tenebantur ad obſeruantiam veteris legis: non quia erant de veteri lege, ſed quia erant de lege naturæ: ſed quantum ad illa quæ lex vetus ſuperaddebat, non tenebantur aliqui ad obſeruantiam veteris legis, niſi ſolus populus Iudæorum.

Secunda Concluſio. *Omnia præcepta legis veteris cæremonialia & iudicialia ceſſauerunt, & vim obligandi amiſerunt tempore Euangelij.* Hæc eſt communis Theologorum & Iuriſperitorum. Fuerunt tamen ex antiquioribus aliqui hæretici,

hæretici, qui legem veterem perpetuo ſeruandam vna cum noua voluerunt: cuius falſæ & alienæ à fide doctrinæ fuerunt Cherinthus & Ebion, & alij adhærentes, vt videre eſt apud Irenæum aduerſus hæreſes, cap. 25. & 26. Epiphanium hæreſi 18. 28. & ſeq. Theodoret. hæreticarum fabularum lib 2. ſtatim à principio. & Auguſtin. de hæreſib. hæreſ. 8. 9. & 10. Cõcluſio plana eſt ex ſacris literis. Lucæ 16. Lex & prophetæ vſq; ad Ioannem. Ad Galat. 3. Prius autem quam veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur, concluſi in eam fidẽ quæ reuelanda erat. &c. At vbi venit fides, iam non ſumus ſub pædagogo. Ad Epheſ. 2. Legem mandatorum decretis euacuans. Hæbr. 8. Dicendo nouum, veterauit prius. Quod enim antiquatur, & ſeneſcit, prope interitum eſt. & cap. Tranſlato. de conſtitutionib. & cap. 1. de purificatione poſt partum.

Tertia Concluſio. *Etſi præcepta iudicialia veteris legis ſuam vim obligandi amiſerint, poſſunt tamen in noua legẽ per habentem poteſtatem legis condendæ in vſum reuocari, & pro legibus in deciſionibus cauſarum approbari*: hæc concluſio eſt communis Theologorum. Alexand. Alenſis in 3. part. q. 52. memb. 1. S. Thom. 1. 2. q. 104. art. 3. & 2. 2. q. 87. art. 1. S. Antonin. in 2. part. tit. 14. cap. 6. Scoti in 4. d. 3. q. 4. & d. 15. q. 3. in lit. C. Gabriel. in 3. d. 37. q. 1. Angel. in ſumma. verb. Decima. num. 2 Eandem doctrinam amplectuntur

tur

tur iuriſperiti. Immolenſis in cap. vlt. de conſuetud. num. 6. & in L. Stipulatio hoc modo concepta. col. 3. ff. de verbor. obligat & allegat D. Thomam. Alexand. conſil. 13. incipienti. Attentis his quæ in themate narrantur, videretur, &c. lib. 7. Andreas Barbat. conſ. 65. lib. 3. Franciſc. Aretinus in l. vlt. col. penult. C. de pact. Decius in cap. Conſuluit. notab. 2. de appellat. Panormit. in cap. vlt. de conſuetud. Ioannes Baptiſta Caccialupus in tract. de penſionib. 19. q. num. 4. Martin. Laudenſis in tract. de primogenitura. q. 44. Andr. Tyraquel. in lib. de vtroque retractu. in præfatione num. 8. & 9. Couarr. lib. 1. variar. reſolut. cap. 17. num. 1. Menoch. de arbitrar. Iudic. qq. lib. 2. caſ. 290. num. 10. Concluſio manifeſta eſt ex canonibus, cap. 1. 2. 3. & ſeq. in hoc tit. & cap. 1. de homicid. & cap. 1. de adult. & alibi. Eccleſia enim quæ errare non poteſt, recepit, & de nouo approbauit has leges. Si quis autem nunc obſeruaret, aut curaret obſeruari iudicialia præcepta tanquam vim obligandi habentia, ex veteris legis inſtitutione, talis intentio eſſet mortifera ex D. Thoma in d. art. 3. Antonin. loco cit. Gerſon. de contractib. part. 1. conſiderat. 10. & alijs paſsim. *Dubium autem eſſe poteſt. An legis veteris & Moſaica iudicialia præcepta hodie poſsint obſeruari, quando cauſa decidenda foret inter ipſos Iudæos, & leges noſtræ nihil ſpecificè de cauſa ſtatuerent?* Quæſtio, eſt apud iuriſperitos mota. Affirmantē partem tenent

Alexand.

Alexand. in l. 1. ff. Si certum petatur. num. 32. Iaſ. ibidem, num. 35. Philippus Corneus in cõſil. 65. lib. 2. & conſ. 180. eod. lib. Barbat. cõſ. 15. lib. 2. Calderin. in conſ. 30. ſub Rubr. de teſtament. Salycet. in conſ. incip. Mathaſias Hebræus. cuius conſilij meminerunt Corneus. Iaſ. & alij. Ioan. Campeſius in tract. de dote. q. vlt. qui etiam aliorum auctoritatem adducit Ioſeph. Maſcard. de probationib. volum. 1. concluſ. 191. num. 8. Hæc doctrina obtinet, vt paucis ſignificatum, quando quæſtio controuerſiæ eſſet inter ipſos Iudæos: nam alia ratio foret ſi inter Iudęum & Chriſtianũ, tunc enim ſeruãda iura Romanorũ L. Iudęi. C. de Iudęis Secũdo limitandũ, huic reſolutioni locũ eſſe, quando caſus per leges, aut canones non eſt deciſus, & lex vetus iudicialis ſpecificè de caſu diſponit, vt limitat poſt alios Maſcard. Cæremonialia autem præcepta veteris legis, an poſt ꝓmulgationem euangelij, etiam de nouo poſſint lege recipi, & quomodo, videri poteſt apud S. Thomam. 1. 2. q. 104. art 3. & 2. 2. q. 84. art. 1. & Commentatores eius, & apud Couar. loco cit.

SECVNDA QVAESTIO.

An mediator qui interponit ſe inter rixantes, vt eos diuidat, ne ſe malè lædant, ſi eorum alterum læſerit, aut vulnerauerit, teneatur iniuriarum, aut ad recompenſationem damnorum & expenſarum?

Quæſtio

QVAESTIO ſæpè vſum habere poteſt, propter frequentiam caſus, ideo breuiter & dilucidè reſoluenda eſt.

Prima concluſio. *Mediator ſe immiſcens rixantibus bona fide, & impediens, ne mortem, aut vulnera ſibi inuicem inferant, ſi alterum eorum fortè lædat, aut vulneret, non tenetur iniuriarum, nec ad aliquam recompenſationem.* Angelus in l. 1. §. Si ſibi manus adiuncto §. occiſorum. ff. ad Sillan. Bald. & Florian. ibidem. Boerius in deciſ. 83. incip. Et videtur talem aggreſſum, num. 2. Plures enim ſunt, inquit Angel. inuicem rixantes, quos ſolent mediatores cum fuſtibus, vel lapidibus impedire, ne cædes, & vulnera inferant, & tales mediatores non dicuntur aliquã eiſdem rixantibus facere iniuriam, & per conſequens nullo modo tenentur, ſi rixantes percutiant.

Secunda Concluſio. *Qui ſe fingeret mediatorẽ, & interim percuteret, aut læderet alterum ex rixantibus, teneretur tanquam doloſus de iniuria illata.* Bald. in margarita ſua in verbo. Videns, & ad hoc allegat Innocentiũ in cap. Sicut dignũ. col. 2. de Homicid. verſic. Et idẽ dicimus de illis. Boerius in d. deciſ. nũ. 3. & atteſtatur ita fuiſſe latum arreſtum die prima Februar. Anno Domini 1524. de quodã Ioañe de Fraixereo, qui ꝑcuſſerat quẽdã de Lauaur, ſuper caput dicẽdo omnibꝰ, Retrocedatis, vultis ad inuicẽ vos interficere? & tamen probabatur dixiſſe, vultis

eum

eum ita permittere abire. Vnde propter probationem dubiam & contrariam & alia ex proceſſu reſuleantia in 60. lib. Turonen. & expenſis fuit condemnatus.

Tertia Concluſio. *Si mediator inter duos rixantes & verberantes ſe interponat, alterius inuaſi & offenſi arma, aut manum teneat, ne ſe defendere valeat; & ſic ab offenſo percutiatur, aut lædatur, ſic percutiens, aut lædens mediatorem, non tenetur ſi per hoc inuaſus in vita diſcrimine conſtitutus, quod impeditus à mediatore, ne ſe defendere poſſet ab inſultante & aggreſſore.* Angel. in l. 2. per text. & gloſſ. fin. ibidem C. de Sicar. & Angel. in L. Si cum ſeruo. per text. eundem ff. de iniurijs. Auguſtin. ad Angelum Aretinum in tract. malefic. in Gloſſ. Et dictus Titius. col. 5. verſ. Quæro an maritus. Boerius loco cit. à num. 8. multa adducit pro hac concluſione. Iulius Clarus lib. 5. §. Homicidium num. 31. Vaſqu. Illuſtr. controuerſ. lib. 1. cap. 19. num. 19. Eſt etiam text. in l. 1. §. fin. ff. de ſicar. & in L. Si quis fumo. §. 1. ff. ad leg. Aquiliam. Vbi permittitur quod igne conflagrante vnam domum, licitum eſt deſtruere ædes vicinas inter medias mihi, vt ignis non ſe dilatet ad meas. Ergo ſimiliter licitum eſt mihi lædere, aut occidere me impedientem in defenſione, ne lædar aut occidar ego. Alia tamen ratio eſſet, vbi lædens, aut occidens mediatorem non eſſet in tanto vitæ diſcrimine conſtitutus, tunc teneretur

de per-

de percuſsione, aut occiſione ſecundum Angelum in d. l. 2. C. de Sicar & Hyppolit. Marſil. ibidem & alios, licet prætor propoſitum læſiſſet, aut occidiſſet non tamen in tali caſu teneretur L. Cornelia de Sicarijs, ſed puniretur mitiori extra ordinaria: cum ad incurrendam pœnam L. Cornel. de Sicar. præſupponatur dolus, in L. Cornel. Ad leg. Cornel. de Sicar. & in L. Scientiam. §. Qui cum aliter. ff. ad leg. Aquil. & l. 1. C. de Sicar. & cap. 1. de homicid. De his latius Boerius in d. deciſ.

TERTIA QVAESTIO.

Ad quam damni reparationem, aut ſatisfactionem teneatur, qui hominem occidit, aut mutilauit, aut lædendo ineptum reddidit ad executionem neceſſarij operis & officij?

PLENAE huius quæſtionis reſolutioni, antequam inhæreamus, quædam ſunt præmittenda ad faciliorem ſequentium intelligentiam.

Primum. Varijs modis aliquis poteſt proximnm lædere in bonis corporis. Aut occidendo ſiue auferendo vitam quæ præſtantior eſt omnibus bonis corporis: Aut mutilando membrum: Aut vulnerando ſiue percutiendo abſq; alicuius membri mutilatione. Aut inferendo aliquod malum in bonis corpora-

libus, à quibus vita non dependet vt in forma corporis, celeritate, aut motu, &c. Aut detinendo corpus violentia, & vi, vt per incarcerationem contingit. S. Antonin. in 2. part. cap. 2. §. 2. Turrecremata in cap. Si res. 14. q. 6. Scot in 4. d. 15. q. 3. Gabr. in ead. d. q. 15. & alij paſsim alibi.

Secundum. Duplex damnum poteſt ſequi ex corporis læſione. Vnum in bonis temporalibus, ſiue ſubſtantia externa, vt quando ſutori, ſartori, aut alicui artifici iniuriosè percutiendo manus abſcinditur, cuius labore ſe ſuamq; familiam alere deberet. Alterum in corpore eius, qui læditur, vt quando ei eruitur oculus, aut infligitur vulnus, ex quo remanet cicatrix, aut aliqua corporis deformitas, non tamen inde ſequitur aliquod nocumentum in temporalibus bonis.

Tertium. Quædam læſio infert damnum vltimum, ſiue malum irremediabile, vt hominis occiſio, vita enim hæc temporalis ſemel ablata, humanis viribus reſtitui nequit. Dominus enim eſt auctor vitæ. Eadem eſt ratio de mutilatione membri, quod ſemel perfectè à corpore abſciſſum & diuiſum, reſtitui & vniri nequit. Nec diſsimilis eſt ratio quando aliquod membrum læſione ita diſſoluitur, & diſſociatur, vt in perpetuum ineptum remaneat ad exercitium ſuæ operationis, nec arte medicorum, aut chyrurgorum priſtinæ ſaluti & integritati locus ſupereſt. Alia eſt læſio

citra

citra vltimam, quæ malum infert quod curari poteſt, aut non in totum impedit officium & exercitium operationis, vt quando quis vulneratur in capite, aut corpore non mortiferè. De his Scot. in 4. d. 15. q. 3. Gab. ibid. q. 15. art. 1. notab. 1.

Quartum. Vita hominis liberi, & membri mutilatio non poſſunt æſtimari pecunia, vt Iuriſperiti communiter ſentiunt per text. in L. Liber homo ſuo nomine. ff. ad leg. Aquil. & in L. 1. §. Sed cum liber ff. de his qui deiecerint, vel effuderint. Sed cum liber, inquit, homo perijt, damni æſtimatio non fit in duplum: qui in homine libero nulla corporis æſtimatio fieri poteſt, & ibidem in L. fin. Liberum corpus nullam recipit æſtimationem.

Quintum. Si ex iniuria corpori illata, mors ſequatur non poteſt actio iniuriarum ciuiliter intentari contra ſic iniuriantem & conſequenter occidentem, ſed debet preciſe inſtitui accuſatio criminalis ex L. Cornelia, de Sicarijs, ad vindictam publicam propter homicidium, quia alias fieri poſſet reo præiudicium, cum vtraque tam ciuilis, quam criminalis tendat ad vindictam. Pro hoc dicto eſt text. ſingularis in L. Prætor edixit. §. Si dicatur. ff. de iniurijs: vbi text. ſic habet: Si dicatur homo iniuria occiſus, nunquid non debebat permittere prætor priuato iudicio Legi Corneliæ præiudicari. Idemq; & ſi

ita quis agere velit, quod tu venenum dediſti hominis occidendi cauſa. Rectius igitur fecerit, ſi huiuſmodi actionem non dederit, quem text. obſeruant ibidem Bartol. Angel. Peruſin. Albericus & alij. Ioannes Immolen. in L. Interdum. ff. de public. iudicijs. Salyc. in l. 3. C. De lege Aquil. Bartol. in L. Nuunquam plura. ff. de priuat. delict. num. 6. Canonum interpretes in cap. De his. de accuſat. Antonius Gomez. alijs latius tom. 3. Variar. reſol. cap. 6. num. 14. Hinc infertur ex d. text. in d. §. Si dicatur. cum Gomezio quod ſi ita iniuria affectus in vita egit actione iniuriarum, & pendente proceſſu mors ſequitur (intellige virtute iniuriæ illatæ) quod amplius non debet procedi in eo per hæredes, ſed iudex poteſt reijcere libellum, & iubere vt procedatur actione L. Cornel. de Sicar. Nunc pro reſolutione ſit.

Prima Concluſio. *Qui iniuſtè alium occidit, aut mutilauit, nihil temporale tenetur reſtituere ex rigore iuſtitiæ pro iniuria vitæ ademptæ, aut membri abſciſsi, aut vulneris inflicti.* Hanc concluſionem tenent Gloſſ. in L. Ex hac. ff. Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur. & in L. Qua actione. §. Si quis. ff. ad leg. Aquil. Azo in ſumma. ad leg. Aquil. Hoſtien. in ſumma de iniur. Henningus Goden lib. 9. conſ. 1. de iniurijs. num. 23. & 24. Antonius Gomez. tomo 3. cap. 6. num. 12. Eiuſdem opinionis videntur Panormit. Anton. & alij cum Gloſſa in hoc cap. Martinus Na-

nũs Nauarr. in manuali confeſs. cap. 15. num. 2. & ex Theologis Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. cap. 1. num. 80. qui allegat in hanc ſententiam doctiſsimum Theologum Martinũ Ledeſimam 24. q. 20. art. 2. dub. 2. Verum in contrariũ eſt communis Theologorum ſententia. S. Thomæ. 2. 2. q. 62. art. 2. ad primum, quando ait: Et ideo quando id quod eſt ablatum, non eſt reſtituibile, per aliquid æquale, debet fieri recompenſatio, qualis poſsibilis eſt: puta cum aliquis alicui abſtulit membrũ, debet ei recõpenſare vel in pecunia, vel in aliquo honore, cõſiderata cõditione vtriuſq; pſonæ, ſecundum arbitrium boni viri. Scot. in 4. d. 15. q. 3. Ioan. Maior. ibidem q. 14. Richard. in ead. d. art. 5. q. 2. Gabr. ibidem. q. 15. Adrian. in 4. de reſtit. q. vlt. Caietan. in ſumma verb. Reſtitutio, cap. 2. Sylueſt. eod. verb. 3. q. 2. Aur. Armil. eod. verb. num. 21. Sot. lib. 4. de iuſtit. & iure q. 6. art. 3. Gregor. de Valent. & Petri de Aragon. in d. art 2. S. Thomæ & aliorum alibi. Nunc concluſio probatur primo ex hoc cap. vbi ſolum ſtatuitur fieri recompenſationem expenſarum. factarum in medicos, & operarum, quas læſus amiſit, & quibus in futurum carebit, nulla facta mentione de alia reſtitutione, & in eum ſenſum etiam tendit communis DD. interpretatio in illo cap. cum Gloſſ. ibi verb. operas, &c. Cõprobant etiam omnes LL. allegatæ in notabili 4. huius quæſtionis. Deinde homo non eſt

dominus vitæ ſuæ, nec membrorum. argūm, Sapientiæ 16. Tu es, Domine, qui vitæ & mortis imperium habes. Deuter. 22. Ego occidam, & viuere faciam. Et L. Liber homo. ff. ad L. Aquil. Liber homo, ait L. ſuo nomine vtilem Aquiliæ habet actionem: directam nō habet, quoniam membrorū ſuorū non eſt dominus. Ergo qui occidendo aufert ab homine vitam, aut mutilando membrum, non tenetur ad aliquam reſtitutionem homini, ſed tantum vt pœniteat, & operibus ſatisfactorijs Deo ſatisfaciat. Aliam rationem pro concluſione format Petrus à Nauarra. Omnium DD. ſententia receptum eſt, ſi occiſor, aut mutilator ſententiam talionis perſoluat, non teneatur ad aliud quippiam perſoluendum tam ex conſuetudine quam communi praxi, & naturali æquitate. At ſi pro iniuria vitæ ablatæ, & mutilationis eſſet neceſſaria alia reſtitutio non ſatis foret pœnam talionis perſoluiſſe, niſi damnum repararetur illatum, & hoc ideo, quia membri mei abſciſio nullius eſt vtilitatis & ſatisfactionis comparatiuè ad damnum alterius; Sicut fur non eſt ex eo, quod propter furtum damnatur ad fuſtigationem, & eadem pœna punitur, liber redditur à reſtitutione rei ablatæ, vel ſatisfactione damni per eum illati, ſed ad huc iure naturali iuſtitiæ lege tenetur damnū reſtituere, ac ſi ad nullam pœnam condemnatus fuiſſet: Sic igitur etiam occiſor, vel mutilator præter pœnam talionis adhuc

eneretur peccuniam reſtituere pro iniuria orporiillata: quod eſt contra communem ómnium ſenſum, & praxim. Ergo pro iniuia corporea non eſt opus aliqua ſatisfactione ecuniaria de rigore iuſtitiæ. Cum Scoto, Adriano, & alijs obijcitur contra concluſionem, ſi ea vera eſſet, ſequeretur quod melioris eſſet conditionis, qui hominem occidit, ut mutilat, eo qui bouem, aut animal alteri is interficit; cum hic ſit obligatus ad reſtitu ionem: alius vero minimè ſecundum hanc ententiam. Atque hoc dicere eſt abſurdum. Ergo & illud ex quo ſequitur. Reſpondetur non eſſe abſurdū, vt Scotus, Adrianus alijque obijciunt, aſſerere pro boue, aut alio bruto pecuniā, aut aliam rem pecunia æſtimabilē reſtiuendā, & non pro homine nobili, & ingenuo: hoc enim arguit maioris excellentiæ, & dignitatis eſſe hominē, ita vt nihil temporale vitæ & corporis integritati reſpondeat pro dignitate: cum vita eiuſq; integritas in homine excedant omne pretiū temporale. At animalia ratione carentia, vt bos, equus, canis, & ſimilia pretio æſtimantur, & veniunt in cōmertia hominum. Et in ſimili oſtendi poteſt. Non eſt ſtultū, ſed veriſsimū dicere pro bonis animæ, & ſpiritualibus iniuſtè ablatis, nihil pecunia æſtimabile reſtituendū, & tamē pro palleo deſtructo, aut domuncula cōbuſta, damnū eſſe reparandū, & tamen non ſequitur, quod ſpiritualia minoris faciamus, quam pallium, aut domunculam.

Secunda Concluſio. *Ex pietate & Chriſtiana charitate conuenit & ſalutare eſt, vt qui alterum occidit, & vita priuauit, pro anima ipſius defuncti, in recompenſationem aliqua pia ſuffragia, & ſpiritualia bona impendat.* Hanc concluſionem puto eſſe de mente tam Theologorum, quam Iuriſperitorum. Et eam in primis docuit Scotus in 4. d. 15. q. 3. & poſt eum S. Antoninus in 2. part. tit. 2. cap. 2. §. 2. Turrecrem. in cap. Si res. num. 24. 14. q. 6. Angel. in. verb. Reſtitutio 1. q. incip. Homicida quomodo tenetur ad reſtitutioné. Gabriel. in 4. d. 15. q. 15. concl. 3. Adrian. in 4. de reſtitutione. q. fin. Dominicus Sotus lib. 4. de iuſt. & iure. q. 6. art. 3. Nauarr. in manuali confeſſariorum cap. 15. num. 23. Petrus à Nauarra loco cit. num. 97. & 98. & alij alibi. Quibus conſentiunt iuriſperiti docentes: homicidam teneri ad intereſſe animæ occiſi, vt ad dandum, vt pro ea fiant orationes, eleemoſynæ, ieiunia, vel fundatio perpetua. Manſuerius in ſua praxi, tit. de expenſis, intereſſe & damnis, & poſt eum Boerius in deciſ. 233. num. 3. Roland. in conſ. 39. lib. 2. qui refert vti communem concluſionem. & eo relato Iulius Clarus lib 5. §. Homicidium. num. 23. Taxatio autem huius recompenſationis, ſiue intereſſe fieri debet iudicio diſcreti confeſſarij, aut arbitrio boni viri, habito etiam reſpectu ad facultates ipſius occiſoris, vt Gabriel & alij iudicant. Manſuerius ait, hoc intereſſe animæ defuncti taxandum ſecundum facultates

ultates defuncti, de quibus ſecundùm eum olet inquiri per commiſſarium. Sed hanc practicam intelligendam eſſe cenſeo in caſu, quã- do per magiſtratum aliqua ex cauſa fit remiſ- ſio pœnæ ordinariæ ipſi homicidæ: ſiquidem vt Theologi alleg. fere communiter atteſtantur, hæc doctrina obtinet in caſu, quo homicida pœnam talionis, aut aliam à magiſtratu ſententia decretam non ſubit. Vltimo tamen obſeruandum, vt etiam ex concluſione animaduerti poteſt, quod lege iuſtitiæ homicida non tenetur ad præſtanda talia opera ſpiritualia, quæ longè excedunt quamcunque rem temporalem pretio æſtimabilem, & ſic obſeruant pleriq; DD. locis allegatis.

Tertia Concluſio. *Homicida etiam tenetur lege iuſtitiæ ſatisfacere pro omnibus expenſis factis circa occiſum in medicinis, & alijs neceſſarijs, & damnis datis, & efficaciter ſecutis ex ipſa occiſione.* Hanc communiter tenent Theologi locis cit. & iuriſperiti. Hoſtien. Ioannes Andr. Panormit. Anton. Ancharan. & communis in hoc cap. Speculator in tit. de iniurijs. §. 2. veſic. Sed nunquid. Angel. in Inſtitut. de obligationib quę ex quaſi delictis naſcuntur. §. item is. verſ. Nota ibi mercedes medicis. Marſil. in conſ. 115. incip. Notam fac mihi viam, &c. num. 19. & in ſingul. 575. incip. Proximis ſuperioribus diebus. Didac. lib. 2. variar. reſolut. cap. 10. num. 7. Gomez. tom 3. cap. 6. num. 9. Boerius, Iu-

lius Clarus, & alij loco cit. & hæc eſt receptiſſima apud vtriuſq; facultatis DD. concluſio, quæ ſatis fundatur in hoc cap. & in reg. poſita infra in cap.fin.& ſæpius repetita à DD.in hac materia. Qui cauſam damni dat, damnum dediſſe dicitur, & tex. in L. Ex hac. ff.Si quadrupes pauper. feciſſe dicatur, & alibi.

Quarta Concluſio. *Homicidâ tenetur itidem ad ſolutionem omnium operarum amiſſarum et amittendarũ, quæ ceſſant habẽtibus intereſſe ex occaſione hominis.* Hanc etiam docent communiter Theologi & Iuriſperiti locis cit. & fundatur in iuribus allegatis, & eſt text. etiam clariſsimus. Inſtitut. de obligationib. quæ ex quaſi delicit. naſcuntur. §. Iudex. vbi ſic legitur; Iudex enim computare debet mercedes medicis præſtitas, cæteraque impendia quæ in curatione facta ſunt, Præterea operarum quibus caruit, aut cariturus eſt ob id quod inutilis factus eſt. hæc ibi. & in d. L. Ex hac. dicitur quod agi poſsit ratione impenſarum in curatione factarum, & operarum amiſſarum: quaſque amiſſurus, qui inutilis factus eſt. Super qua L. legendi Alberic. & alij DD. Quæ in his duabus concluſionibus dicta ſunt de homicida in ordine ad occiſum, eadem ſimiliter obtinent in ſuo gradu in mutilante, & vulnerante reſpectu mutilati, & vulnerati. Cum autem difficilimum ſit futuras operas æſtimare ſecundum Gloſſ. in d. §. Iudex. ſuper verb. Factus eſt, non per

omnia

omnia conueniunt DD. in modo æſtimandi operas, & merito: cum incertum ſit quanto tempore homo ſit vitam producturus. Anton. Gomezius tom. 3. cap. 3. num. 38. loquẽdo de occiſio, ait quod iſte articulus eſt valde dubius, & nõ clarè deciſus in iure noſtro. Quibuſdam videtur, quod iſtæ operæ æſtimentur vſq; ad centum annos, cum de iure quis tantũ viuere præſumatur. L. fin. C. de ſacroſanct. eccleſ. & L. An vſus fructus. ff. de vſu fruct. & in Auctent. Vt eccleſia Romana. §. 1. collat. 2. hoc fundamento motus Florian. in l. fin. ff. de his qui deiecer. vel effuder. tenet hãc ſententiam: cui conſentit Iaſ. in L. Eum qui ita. §. Qui ita. à col. 7. num. 11. ff. de verbor. oblig. Sed receptior, communior, veriorque ſententia eſt, quod iudicis arbitrio taxabuntur, qui æſtimabit ſecundum tempus quod veriſimiliter fuiſſet victurus, & operaturus arg. L. Hæreditatum. ff. ad leg. Falcid. Speculat. in hoc tit. §. 2. & poſt eum Panormit in hoc cap. Marſil. in d. conſ. 115. num. 19. Alberic. in d. L. Ex hac. Faber. Angel. & alij in §. 2. Inſtit. de obligat. quæ ex quaſi delict. naſcuntur. Angel. in verb. Reſtitutio. 1. q. incip. Homicida &c. Boerius in deciſ. 324. num. 5. Gomez. loco cit. & alij alibi. Pro hac reſolutione facit etiam illud Platonis in dialogo 9. de legib. dum ait: Si quis alienum ſeruum interemit, ſuumque putauerit: domino damnum reſtituat, vel duplum pretij reddat:

dat: quanti vero pretij fuerit ſeruus, à iudicibus ſtatuatur, hæc ille. In dicis arbitrium verſabitur circa conſiderationem circumſtantiarũ, conſiderabuntur ætas occiſi, ars quam exercebat, qualitas perſonæ tam occidentis, quam occiſæ, lucrum quod occiſus acquirere ſolebat, & ſic de ſimilibus. Reducendum etiam in memoriã pro tali æſtimatione quod id quod habetur in ſpe, non tantum valeat quantum id quod eſt in re: quandoquidem multis modis poteſt impedire. Quando autem aliquis non occiditur, ſed vulneratur, aut mutilatur ita vt in perpetuum maneat claudus, aut debilitatus, & non poſsit laborare, & officium ſuum exercere etiam dubitatur, quomodo per iudicem facienda ſit æſtimatio operarum, quibus carere debet toto tempore vitæ ſuæ. Reſpondet Azo in ſumma. Inſtit. de obligat. quæ ex quaſi delicit. naſc. col. fin. & Paris de puteo in tractat. ſyndicat. fol. 200. in parte. quia pluries col. 2. & poſt eos Gomez. in d. tomo 3. cap. 6. num. 11. quod in hoc caſu fiet æſtimatio & condemnatio, vt delinquens teneatur annuatim ſoluere certam ſummam & quantitatem quolibet anno, quo vixerit, pro operibus, quibus cariturus eſt ob iniuriam corpori illatam, & Paris de puteo atteſtatur ſe ita practicaſſe in quæſtione de facto. Speculator. Panormit. Boer. & alij in hoc caſu iudicium ferunt in ſuo gradu, prout dictum eſt de homicida. *Dubium hoc loco occurrit. Quando aliquis occiſus aut mutilatione*

impotens

mpotens redditus ad operas & labores, ſic offendens quibus teneatur ad reparationem damnorum & operarum ceſſantium? Exempli gratia, occiſus, aut mutilatus non ſolum alebat patrem, vxorem, filios & filias, ſed etiam cognatos & alios ſanguine iunctos, &c. An his omnibus obligetur ſatisfacere: Scot. Angel. Gabr. & alij Scotum ſecuti indiſtinctè loquuntur, quod ſi occiſus ſuſtentabat aliquos, vt patrem, matrem, liberos, & propinquos, interfector teneatur omnibus illis, ad tantam reſtitutionem, quantum vtilitatis illis ratione necis abſtulit, & hinc vtilitas æſtimanda ſecundum tempus, quo occiſus veriſimiliter fuiſſet victurus, & huiuſmodi ſuſtentaturus. Dominicus à Soto loco cit. ſententiam Scoti temperat diſtinctione. Sunt enim aliqui hæredes neceſſarij, qui tale nempe ius habent, vt nequeant in totum ab hæreditate excludi; ſicut ſunt vxor, aut maritus, parentes & filij: hos enim pater tenetur alere, ſi egeant, & his de iuſtitia ſatisfaciendum eſt. Alij vero ſunt hæredes non neceſſarij, vt fratres, & inferiores cognati, quibus non neceſſario defunctus tenebatur ſubuenire, ſed tantum ex liberalitate & charitate, & his nihil in foro cõſcientiæ tenetur homicida ex rigore iuſtitiæ reſtituere: Alias teneretur pariter amicos, famulos, & quoſcunque ſolitus erat occiſus hoſpitio recipere, alere, quod nemo ſapiens dixerit. Hanc Soti diſtinctionem recentiores Theologi tam in ſcriptis quam in ſcholis vt

plurimum

plurimum ampleɛtuntur. Et vt video aliqui etiam Iuriſperiti ita tradidere. Manſuerius in practic. in tit. de repenſis, intereſſe, & damnis, & eo relato Boerius in d. deciſ. 233. num. 3. & Aymo Crauetta conſ. 119. num. 6. dum tradunt quod hi; tantum pro homicidio poſsint petere intereſſe ciuile. Primo ſcilicet vxor. Secundo pater, maximè ſi filius occiſus non erat emancipatus. Tertio liberi ſi qui ſint, ſic Manſuer. Verum tamen quod alij exteriores etiam admittuntur ad actionem iniuriarum, vt fratres & alij propinqui, quibus quando remiſsio fit in foro exteriori, ſolet quandoque pecunia rependi, vt in remiſsionem conſentiant, ſed alia ratio eſt de intereſſe operarum, vt ex dictis conſtat. Ex dictis infertur vnum quod veriſsimum eſt, in primis à Ioanne Maiore in 4. d. 15. q. 19. proditum, & poſtmodum à pluribus receptum. Quandoq; maiori vinculo reſtitutionis aſtringi eum qui ſutorem, aut alium artificem arte & manu neceſſaria querentem interficit, quam qui nobilē occidit. Quandoquidē cōtingere poteſt, quod ſutor, aut alius artifex vxorē, patrē matrēq;, filios filiaſq; habeat, qui omnes labore, induſtria & artificio manuū ſuarū viuant. Nobilis autē nullos habeat, quos alere teneatur. Simili ratione caſus eſſe poſſit, quod nobilis ſit homo iners, parū induſtria & ſtudio valens, tātum viuens ex reditibus ſolitis & patrimonio. Artifex autem plurimū valeat, arte multū hominum

minum generi neceſſaria & vtili, nec non induſtria mirabili in honeſta negociatione. Vnde Crauet. in d. conſ. 119. arguit quod hæredes occiſi nobilis qui non operabatur, ſed viuebat ex reditibus, nec ſolitus erat operari, non poterant agere ratione operarũ amiſſarum. Ratio eius rei clara eſt, quia vbi ex læſione, aut occiſione non ceſſant operæ, ibi earũ æſtimatio non habet locũ. *Aliud dubium hic moueri poteſt occaſione dictorum. An pater remittere poſſit necem, aut iniuriam filio factam, alijs filijs & fratribus iniuriati inuitis, ita quod agere pro eorum intereſſe non valeant?* Mouet hoc dubium in terminis Boerius in deciſ. 120. Albericus in L. Sed etſi vnius. §. filiofamilias. ff. de iniur. dicit mirabile & iniquum videri patrem iniuriam factam filio remittere poſſe, & ipſum filiũ ab actione excluſum fore. Cum patrem conſtet iure non poſſe legatũ filio relictum, eo inuito, repudiare. L. ex repudiatione C. de fidei cõmiſ. & L. Remittente. C. de iure deliberandi. Nec etiam bonorum poſſeſſionẽ ibi quæſitam L. 2. C. de repudiat. bonor. poſſeſs. Azo in ſumma. tit. de iniur. §. datur actio iniuriarum, in fine dubitat, an pater hodie poſſit iniuriam factam filio remittere in præiudicium filij, & videtur in partem negatiuam inclinare per text. in l. 1. C. de bonis maternis. & l vlt. C. de bonis quæ liberis. Hoſtienſis etiam in ſumma tit. de iniurijs §. Cui detur hæc actio, in fine etiam deſcendit in negatiuam partem. In contrarium eſt vera & cõmunis

munis opinio patrem etiam iniuriam deſcendentem ex L. Cornelia remittere poſſe, & talem remiſsionem nocere filio, & alijs fratribus; ita vt non poſsint agere. Bartol. Angelus & Alberic. in d. §. filiofamilias. per text. ibi in verſ. Planè. Specul. hoc tit. ſuper prima part. Rubric. non longius à fine. verſ. Sed nunquid nocet filio. Collectan. in cap. fin. num. 10. in eod. tit. Angel. Bartol. & alij in L. In perſonã ff. de pactis. Angel. ab Aretio & Faber. Inſtit. de iniur. §. patitur autem. & poſt alios plures Boerius loc. cit. Hanc doctrinam vtilem iudicant Bartol. in d. §. Filiofamilias. & Angel. in d. L. In perſonam. & alij propter ſtatuta Italiæ quæ volunt pœnam pro delicto imponi non poſſe pace habita & concordia facta, quam pater facere poteſt per text. in cap. Quintauallis. ibi. pro offenſa quam filia ipſius. & ibidem Bald. in princ. de iureiur. Præſumitur in hoc caſu patrem non ſine cauſa remittere iniuriã: quandoquidem iniuria talis plus ſpectet ad patrem quam filium. Fallit tamen prædicta communis opinio, in primis quando pater eſſet vilis perſona, & filius honeſta & honorata perſona. Sordidus enim pater non debet generoſo filio degeneris humiliſque animi notam inurere facili remiſsione iniuriarum, & ſi pater in tali caſu filio inuito remitteret in præiudicium; remiſsio nullius eſſet roboris & momenti. d. §. filiofamilias. Non enim, vt ait ibidem Angelus, eſt bona conſequentia, pater

eſt vi-

t viliſsimus. Ergo filius viliſsimus. Quia filius honeſtate, moribus & ſcientia poteſt fulgere, & prælucere ſuis moribus. Alias fallentias plures colligit Boërius, & DD. in addit. ad Bartol. in d. §. filiofamilias.

Quinta Concluſ. *Percutiens, aut vulnerans ratione cicatricis, aut deformitatis remanẽtis in corpore, aut facie offenſi & vulnerati ad nullã tenetur reſtitutionem, aut pretij ſolutionem.* Hæc eſt communis DD. Hoſtien. Panormit. & alij cum Gloſſ. in hoc cap. Legiſtæ in L. Ex hac. ff. Si quadrupes pauperiem feciſ. dic. & l. fin. ff. de his qui deiec. vel effud. & ibi eſt expreſſus text. ſub his verbis. Cicatricum autem, aut deformitatis nulla fit æſtimatio, quia liberum corpus nullam recipit æſtimationem. Sotus in d. q. 6. art. 3. putat quod etiam deformitas, quæ in mutilato reſtat, ſit recompenſanda, ſed in hoc communi iuri aduerſatur. Verum tamen quod Iacobus de Rauenn. in d. L. ex hac lege. & poſt eum Albericus ibidem exiſtimant hãc concluſionem habere locum in libero homine, id eſt viro, & non in fœmina; Quod ſanè non ita obtinet veritatem, vt cicatrix ex ſua natura, aut deformitas poſsit æſtimari, ſed quando ex cicatrice, aut deformitate ſequitur damnum, aut quis impeditur à conſecutione boni, quod alias conſequeretur: Sic cicatrix aut deformitas in muliere æſtimaretur quando nõ eſſet nupta & per hoc impediretur à meliori matrimonio: aut maiori dote ad nu-

E bendum

bendũ indigeret propter cicatricem. Eo modo Panormit. & alij poſt Gloſſ. in hoc cap. annotant, quod in ſeruo etiam æſtimetur cicatrix, aut deformitas pro quibus eſt text. in d. L. fin. de his qui eiecer. vel effud. quando ait Liberum corpus nullam recipit æſtimationem: quaſi aliâ ratio ſit in corpore non libero, facit etiam text. in L. Si ſeruus ſeruum. §. Rupiſſe. ff. ad leg. Aquil. Ratio redditur ſecundum dicta, quia ſeruus ratione deformitatis efficitur deterior, & minoris pretij, non enim tanti valet, quanti æſtimaretur ſi macula & deformitate careret: Si autem per percuſſionem & deformitatem ſeruus non reddatur vilior & deterior in pretio, non æſtimatur deformitas, nec eſt locus actioni leg. Aquil. d. §. Rupiſſe.

QVARTA QVAESTIO.

An homicida, aut mutilator punitus, & condemnatus à iudice, adhuc teneatur ad ſolutionem pro damno dato, & operis amiſsis ſeu amittendis, & ex conſequenti, an hæredes homicidæ morte mulctati teneantur ad recompenſationem damnorum & operarum, &c.

HANC Quæſtionem ex propoſito nullus quem legerim tractauit, eam tamen breuius per occaſionem determinauit Martinus Nauarrus in manuali confeſſariorum, cap. 15. num.

15. num. 25. ad petitionem Reuerendi P. Pradani illuſtriſsimi ordinis ſocietatis IESV. Nauarr. etiam neminem allegat, pro ſua deciſione. Nos etiam attigimus in tractat. de confeſſ. maleficor. prælud. 13. in æditione de anno Domini 1591. Cum autem hæc quæſtio quotidiana ſit, & à paucis declarata, vt Nauarr. fatetur, hic eam latius diſcutiemus, & clarius declarabimus, per concluſiones præmiſsis nonnullis.

Primum. Scotus. Gabriel & Adrian. & nonnulli alij loc. cit. videntur ſignificare homicidam, præter talionis pœnam, ad nihil aliud teneri pro damnis & operis: Quandoquidem non videtur iuſtum, vt qui luit in corpore, etiam luat in ære, ſiue temporalibus bonis, & ſic duplicem pro eodem delicto ſuſtineat pœnam.

Secundum. Ad memoriam reducendũ, quod ſupra in Rubrica. 2. part. notab. 5. probauimus, obligationem eſſe iuris naturalis & diuini ſatisfacere, & damnum reſarcire parti læſæ, & damno affectæ. Nihil autem confert, & vtilitatis præſtat homini priuato, qui damnum in temporalibus bonis paſſus eſt, quod homicida pro delicto moriatur, aut mutilator manus puniatur pœna talionis, id eſt, eiuſdẽ membri abciſsione à magiſtratu, hæc enim pœna publica non ſatisfacit damno alterius priuati, ſed tantum reipubl. quæ læditur in ſuis membris.

 Hinc

Hinc ex quocunque publico delicto oritur duplex actio. Criminalis ad vindictam, & actio ciuilis in factum ad intereſſe vel damnum parti applicandum. Gloſſ. ſingul. in L. Qui nomine. ff. ad leg. Cornel. de falſis. Bart. Alberic. & alij ibidem. Gloſſ. cum DD. in L. Defuncto. ff. de public. iudic. & poſt plures alios Anton. Gomez. tom. 3. cap. 3. num. 37.

Tertium. Aliud eſt reſtitutionis obligatio, ſiue damni illati reparatio, aliud eſt pœna. Pœna tantum regulariter ſuos tenet auctores, nec grauat hæredes exceptis quibuſdam grauioribus delictis. Simile eſt in ſacramento pœnitentiæ. Aliud eſt ſatisfactio ſiue pœna à ſacramenti miniſtro impoſita; & aliud damni illati reſtitutio. Non per hoc quod confeſſarius pœnam ſatisfactoriam imponit, pœnitens liber redditur ea adimpleta à damni illati reſtitutione.

Prima Concluſio. *Qui alterum occidit vltra pœnam talionis, ad quam iuſtè condemnatur à magiſtratu etiam tenetur ad recompenſandum illatum damnum & intereſſe operarum vxori, filijs, & hæredibus neceſſarijs.* Hanc tenent Marſil. in conſil. 115. prope finem. & in ſing. 575. incip. Proximis ſuperioribus diebus conſului in ciuitate Tridentina. vbi in fine concludit ſic; Et hoc teneas mente, quia faciet tibi honorem & vtilitatem caſu adueniente, & tunc memor eris mei. Et Marſilio allega-

allegato. Didac. Couarr. lib. 2. variarum reſol. cap. 10. num. 7. verſic. Quarto eodem iure, non longius à fine. Anton. Gomez. in d. cap. 3. num. 37. Nauarr. vbi ſupra. & poſt eum ex Theologis Petrus à Nauarra lib. 4. de reſtitut. cap. 1. num. 48. & dicit, omnes fatentur quod ſoluta à iudice inflicta pœna, adhuc dãna ex homicidio illata eſſe compenſanda, & clarius ibidem num. 91. Secundo colligo, quod non obſtante, &c. Petrus de Aragon. in 2. 2. S. Thomæ. q. 62. art. 2. in verſ. Sed eſt dubiũ, an ſi ille, qui alterum læſit in corpore, concl. vnica. Nunc concluſio confirmatur. *Primo.* Lex naturalis & diuina obligat talem homicidam ad reſtitutionem & reparationem damni illati, cuius cauſa efficax fuit occiſione, & ad ſatisfaciendum quidem parti læſæ, vt ſupra probatum eſt. Sed pœna inflicta ad vindictam publicam ſolum correſpondet iniuriæ reipublicæ, quæ etiam paſſa eſt iniuriam, quã vindicta publica emendat. L. Ita vulneratus. ff. ad leg. Aquil. & cap. Vt famæ. de ſentent. excommunic. & ſic publica vindicta non liberat à damno dato parti. Quid enim prodeſt vxori, & pupillis, quando eorum pater occiſus eſt, cuius opera & labore, honeſtè viuebant; & ex morte eius omnia neceſſaria ad victum & amictum ceſſant, quod homicida decapitetur, per hoc eorum damno & egeſtati non conſulitur, nec iniuſtitia erga eos commiſſa reducitur ad iuſtitiam & æqualitatem niſi

tem niſi per reparationem damnorum, quę in eos deriuata ſunt per occiſionem patris. Iuſtitia enim tribuit vnicuique quod ſuum eſt. Ergo ſicuti per pœnam talionis contentā reddit rempubl. ita per recompenſationem damnorum debet etiam contentam reddere partem læſam. Qui enim duobus res diuerſas debet non liberatur ſoluendo vni quod alteri debet, niſi etiam alteri pro ſua parte ſatisfaciat. cap. Ea te. de iure iurand. & c. Sicut dignum, de homicid. §. Eos. *Secundo:* Fur qui propter delictum ſuum ſuſpenditur, ſi ſoluendo ſit, tenetur ad reſtitutionem omnium furtiuè ablatorum, vt omnes concedunt. Ergo & homicida etiamſi decapitetur, tenetur ad reſtitutionem damnorum, quæ parti intulit, quia æqua eſt vtriuſque ratio. Et ex eadem radicè, vt ſupra oſtenſum eſt, deſcendit obligatio reſtituendi furtiuè ablata, & neceſsitas ſatisfaciendi pro damnis iniuſtè datis. *Tertio.* Iure manifeſtum eſt, vt rectè atteſtatur Didac. Couarr. lib. 3. variar. reſolut. cap. 3. num. 8. circa medium damni illati neceſſariam reſtitutionem inter verè debita computandam. At homicida non liberatur pœna capitis à ſolutione debitorum. Ad argumentum pro contraria parte, quod formatur ex Felino in cap. Ad liberandam de Iudæis, & gloſsis ibi ab eo allegatis, & alijs alibi, eum qui ob delictum luit in corpore, eo quod non

habet

habet in ære, ad pœnam pecuniariam non teneri, etiamſi poſtea ad piguiorem fortunam deueniat. Reſpondetur Felinum & Gloſſas ab eo alijſque collectas rectè approbare, quem ob pœnam corporalem à pecuniaria excuſari, quando luit in corpore quod non habet in ære. Sed non arguunt per hoc quod luit in corpore liberari à damno dato parti læſæ, quòd damnum non refertur ad pœnam, nec eſt pœnale, ſed ex natura iniuſtitiæ ſequitur iniquam læſionem, & inter debita refertur. Etenim vt in hac q. notab. 3. prænotatum, aliud eſt reſtitutio damni illati, aliud pœna: quod etiam euidenter colligitur ex 2. notab. ibidem. Non eſt tamen negandum, vt etiam Nauarr. docet quod ſi pars læſa vellet ſibi etiam per vindictam publicam ſatisfieri, tunc homicida ad vlteriorem ſatisfactionem, aut recompenſationem non teneretur argum. lib. 1. ff. Qui ſatis dat. cog. & L. Sirem. §. Omnis. ff. de pignor. action. nec in ea re poteſt eſſe dubium. Quia quiſque liberè poteſt remittere iniuriam illatam, & condonare damnum datum, & tunc offendens liberatur ab obligatione ſatisfaciendi.

Secunda Concluſio. *In conſcientia & etiam foro exteriori maximè Eccleſiaſtico hæredes homicidæ mortui, & per iuſtitiã pœna vltimi ſupplicij affecti, tenentur ad compenſationem damnorum quæ homicida intulit, ſi*

defunctus bona reliquit, vnde ſolutio & reſtitutio fieri poſsit. Hanc docent Nauarr. & Petrus de Aragon. loco cit. Sotus in d. q. 6. art. 3. paulò ante illum verſic. Sequitur in 4. argumento de fama & honore læſis, nec credo quod eorum vllus neget qui primam concluſionem tradiderunt. Pro hac concluſione Nauarr. allegat l. 1. C. ex delict. defunct. Sed nunc latius probandum. Primo hæres tenetur ſatisfacere debitis defuncti, ſecundum vires hæreditarias, vt omnium conſenſu receptum eſt. Sed damnum iniuſtè datum, vt dictum eſt, annumeratur debitis defuncti. Ergo hæres in tantum tenetur ad reſtitutionem eius damni, in quantum ſufficiens eſt hæreditas derelicta. Secundo, De iure canonico hæredes ex delicto defuncti tenentur quatenus vires hęreditatis patiuntur ad damni illati recompenſationem, etiamſi nihil ad eos peruenit commodi ex delicto, per text. in cap. fin. de ſepult. & hanc communem atteſtantur opinionem. Panormitan. ibidem. & in cap. in literis. per text. ibidem de raptorib. Anton. Burgenſis. in cap. 1. de empt. & vendit. Aretin. in Rubr. ff. de acquirend. hæred. Angel. in ſumma. in verb. Hæreſ. num. 4. prope finem. Sylueſt. in verb. Hæreditas. 3. num. 4. Didac. Couarr. lib. 3. variar. reſolut. cap. 3. num. 7. Iulius Clarus poſt alios plures lib. 5. ſentent. §. fin. q. 51. nū. 15. & de hoc communiter Canoniſtæ in d. cap. fin. de ſepult. & d. cap. In literis. Hinc quaſi

regulam.

regulam colligit generalem Lucas de Penna in l. fin. C. de Primipilo. lib. 12. quem etiam allegat Boerius in deciſ. 57. num. 14. & eſt talis regula: Hæredes defunctorũ teneri ad omnia debita, ad quæ defunctus tenebatur, ſiue filius, ſiue extraneus, ſiue raptoris, ſiue alterius, ſiue debitum fuerit ex contractu vel quaſi, ſiue ex maleficio, vel quaſi, ſiue etiam peruenerint res, pro quibus debitum contractum fuit, ad hæredem, ſiue non, ſiue lis ſit cum defuncto conteſtata ſiue non: per cap. 1. de ſolut. cap. præſentium. de pignor. d. c. In literis. & cap. fin. de ſepult. Ergo & in noſtro caſu hæredes tenentur ad recompenſationem damni illati quatenus vires hæreditatis patiuntur. Et poſſunt hæredes compelli ad talem reparationem damnorum natorum ex delicto defuncti per iudicem Eccleſiaſticũ, etiamſi ſint laici & in terris imperij pro exoneranda conſcientia defuncti, per text. in d. c. fin. & in d. c. In literis. & DD. ibidem. Bartol. in l. 1. ff. de priuat. delict. Bald. in L. vnic. C. Ex delict. defunct. vt expreſsè docet Anton. Gomez. tom. 3. cap. 1. 85. Poſtremo addit Nauarr. quod etiam Fiſcus ſi bona homicidæ confiſcanda in caſu venirent, teneretur ad ſolutionem damnorum. L. Non poſſunt, & L. in ſumma: ff. de iure Fiſci. Bona enim reſtitutioni obnoxia non ſunt eius qui ſuccedit, ſed antea obligata ſunt creditoribus & damnum paſsis. Eadem ratione, ſi incendiarius dolo & indu-

ſtriæ ædes alicuius incendio deſtruxiſſet etſi ſententiam capitalem paſſus eſſet, tamen eius hæredes adhuc tenerentur de damno ſic dato in conſcientia & de iure canonico, ſi facultates defuncti ferrent per text. in d. cap. fin. de ſepult. & c. In literis in quibus mentio fit de incendiarijs. Imò & Couarr. lib. 3. variar. reſolut. cap. 3. num. 7. verſus finem exiſtimat etiam de iure ciuili hæredes incendiarij teneri de damno dato per incendiarium quamuis nihil ad eos peruenerit, & idem putat de hærede depopulatoris agrorum, aut rei alterius criminis vnde proximo damnum ſecutum, prout ille auctor ſubtiliter deducit allata auctoritate Caroli Molinar. in addit. ad Decium in L. Pupillum. §. In hæredes. ff. de regul. iuris in eandem ſententiam, & alijs LL.

QVINTA QVAESTIO.

An teneatur etiam de iniuria, aut damno dato, qui alterum occidit, aut vulnerauit, vel mutilauit, defenſionis propria cauſa?

PRIMA CONCLVSIO. *Occidens, aut mutilans ſe defendendo contra iniuſtè inuadentem, & aggredientem, nec peccat, nec iniuriam facit.* Contrarium non eſſe licitum in defenſionem propriam occidere volunt Ioannes Gerſon

Gerſon in tract. de Euchariſtia. Auguſtinus de Aucona in lib. de poteſtate Eccleſiæ. q. 2. art. 3. Hugo in d. 50. cap. De his cleric. Toſtatus Epiſcopus Abulenſis in cap. 5. Matth. q. 109. & alij quidam quorum ſententia, meritò ab omnibus reijcitur. Concluſio eſt communis Theologorum Alexandri Alenſis in 3. part. q. 34. memb. 2. art. 2. §. 2. S. Thomæ. 2. 2. q. 64. art. 7. & ſuorum commentatorum ibidem. §. Antonini in 3. part. tit. 4. cap. 3. Angel. in ſumma verb. Defenſio. Turrecrematæ in 23. q. 5. cap. De occidendis. q. 2. Dominici Soti lib. 5. de iuſtit. & iure q. 1. art. 8. Ioannis Maioris in 4. d. 15. q. 20. Sylueſtri in verb. Homicidium 1. q. 2. & aliorum paſsim alibi. Conueniunt etiam iuriſperiti ſuis locis vt patebit. Nunc concluſio comprobatur. Exodi 22. Si effringens fur domum, ſiue ſuffodiens inuentus fuerit, & accepto vulnere mortuus fuerit, percuſſus non erit reus ſanguinis. Sed multò magis licitum eſt propriam vitam, quam ſuam domum, aut res temporales defendere. Ergo ſi quis occidat in defenſionem propriæ vitæ, non incurrit homicidij reatum, & culpam. Deinde ſunt canones & iura clara: cap. Significaſti 2. de homicid. cap. Si vero 1. de ſentent. excommunic. Vim vi repellere leges omniaque iura permittunt. Clement. Si furioſus. de homicid. l. 1. C. de vi, & vi armata. L. Scientiam. §. Qui cum aliter ff. ad leg. Aquil. L. Vt vim. ff. de iuſtit. & iure.

&ibi

& ibi DD. & Decius latè. Marſil. in pract. crimin. ad longum in §. Quoniam à num. 72. Angel. in tract. malef. in Gloſſ. Et dictus Titius ſe defendendo. Antonius Gomez. tom. 3. cap. 3. num. 20. Didac. in d. Clem. Si furioſus 3. par. §. vnico ſtatim num. 1. Iulius Clarus lib. 5. pract. crimin. § Homicidium. num. 24. Damhaud. in praxi rerum criminal. cap. 76. & hæc eſt receptiſsima apud probatos auctores ſententia. Accedit Platonis auctoritas dialog. 9. de legib. ita aſſerens: Si orta ſeditione, vel quouis modo frater fratrem in ſe impetũ facientem pro defenſione ſua interimat, quaſi hoſte perempto, purus ſit: quin etiam ſi ciuis ciuem; aut peregrinus peregrinum; aut peregrinum ciuis, vel è conuerſo defendendo ſe interfecerit, ſimiliter mundus ſit. Cicero lib. 1. Officior. Omni generi animantium à natura tributum eſt, vt ſe, vitam corpusq́ue tueatur. Idem præclarè in oratione pro Milone, non longè ab initio his verbis. Eſt enim non ſcripta ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus: Verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus expreſsimus: ad quam non docti ſed facti, non inſtituti ſed imbuti ſumus: vt ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, in tela aut latronum, aut inimicorum incidiſſet omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis. Silent enim leges inter arma: nec ſe expectari iubent, cum ei qui expectare velit, ante iniuſta pœna luenda ſit, quam iuſta

repetenda,

repetenda, &c. Dictum in concluſione (contra iniuſtè inuadentem) quia nullo modo licitum eſt ſe defendere, & defendendo occidere iuſtè inuadentem; vt omnium conſtantiſsima & veriſsima eſt ſententia. Præterea annotandus error Gloſſæ Accurſij in L. Vt vim. ff. de iuſtitia & iure, ſuper verb. Nam iure, quam ibi etiam approbant Iaſ. num. 22. & alij ab eo allegati licitam eſſe tantum occidere cauſa defenſionis iure fori & non poli, ſiue in foro exteriori, & non in conſcientia. Ita Iaſon ibidem ponit regulam hanc: Quod in omnibus caſibus, in quibus homicidium permittitur de iure ciuili vel canonico, quãuis tale homicidium non poſsit puniri in aliquo foro, tamen quoad Deum peccat mortaliter, & in foro conſcientię tempore confeſsionis debet ſibi iniungi pœnitentia. Hanc Gloſſæ Iaſonis, & adhærentium ſententiam improbat ibidem Paulus Caſtren. & dicit quod cõtrarium tenent omnes & Fortun. in ead. L. multis expreſsè confutat, vt iuris ignaram & ponit regulam è diametro oppoſitam illi doctrinæ Iaſonis. Falſa enim eſt illa Iaſonis determinatio vt clarum eſt ex communiſsima Theologorum ſententia; occiſio enim cauſa defenſionis eſt licita in foro conſcientiæ, nec vllo modo mortaliter delinquit ſic occidens, & ita conſequenter non tenetur in foro conſcientiæ confiteri; vt infra latus conſtabit ex DD. qui aſſerunt, quod ſi ſacerdos eſſet in al-

tari, &c

tari, & celebraret, ſi inuaderetur ab homicida poſsit ſe defendere, & ſi defendendo occideret, poſsit ad altare redire, & ſacrificium miſſæ continuare ſine dubio talem nec peccare, nec irregularitatem incidere cenſentes. Iaſon & adhærentes videntur incidiſſe in falſam opinionem Theologorum, quorum ſupra mẽtionem fecimus, quod talis nempe defenſio non ſit licita in foro conſcientiæ, quam etiam Fortun. loco cit. impugnat, & argumenta ſoluit pro parte licet non omnia. Pro Theologis contra concluſionem vnum adfertur argumẽtum non contemnendum ex præcepto ordinis charitatis, qui exigit vt vitam ſpiritualem proximi noſtræ corporali præferamus, magiſque ſalutem animæ proximi diligamus quam noſtri corporis integritatem ex D. Auguſtino lib. 1. de doctrina Chriſtiana. cap. 27. S. Bonauentura in 3. d. 28. art. 1. q. vlt. Magiſt. cum alijs in 3. d. S. Thom. 2. 2. q. 26. art. 5. S. Antonino in 4. par. tit. 6. cap. 4. §. 8. Angelo Sylueſtro & alijs in verb. Charitas, & eſt receptiſsima Theologorum ſententia. Quiſquis autem iniuſtè alterum inuadit ad occidendum, aut mutilandum, eſt in ſtatu peccati mortalis, & ſic eum etiam defenſionis iuſtæ cauſa occidens præfert vitam corporalem propriam vitæ ſpirituali proximi: Cum ſecundum ordinem charitatis potius deberet permittere ſe occidi quam intentare mortem proximi in ſtatu damnationis. Hoc argu-

mentum tantũ probaret, ſi rectè perſpiciatur de eo inuaſo, qui eſſet in gratia & ſtatu ſalutis, quoniam aliás cæteris paribus charitas ordinata incipit à ſeipſo per doctrinam S. Thomæ communiter receptam in d. q. 26. art. 4. Quandoquidem autem inuaſus eſt etiam incertus de gratia: quia nemo ſcit amore, an odio dignus ſit, non tenetur ſe in diſcrimen obijcere: & ſtando in hac ſolutione vires argumenti paucis eneruantur. Secundo reſpondetur concedendo ſecundum ordinem charitatis magis eſſe diligendam ſalutem ſpiritualem proximi, quam noſtram corporalem, quando vita corporalis alicuius ſimpliciter eſt neceſſaria ad ſpiritualem alterius. Quod in caſu propoſito non eſt verum. Quia iniuſtè inuadens poteſt pœnitere, & ſe retrahere ab iniurioſa actione, & ita ſibijpſi conſulere quoad animam & corpus. Si autẽ nolit ſibi imputet. Intolerabilis enim lex eſſet, quæ hominem obligaret vt vitam ſuam, quam omnibus rebus temporalibus homines merito preferunt, obijceret vniuſcuiuſque improbitati & audaciæ, vt pro ſua voluntate improbus homo occideret. Sic enim improbis daretur occaſio inuadendi & opprimẽdi bonos & rectos corde, quod nullo modo debet fieri. Exempli gratia 1. Machab. 2. Cum hoſtes Machabæos in Sabbathis adorirentur perſuadentes tunc Machabeos non pugnaturos religionis ergô, Machabei non obſtãte præcepto diuino in Sabbatho

pugnarunt

pugnarunt & ſe defenderunt: quia ratio inſita dictabat quolibet tempore vim vi repellendam, & non concedendum aliquid improbitati impetentium. Dicitur ergo pro plena reſolutione, quod homo non tenetur vitam ſuam ponere pro anima proximi quando non eſt caſus neceſsitatis, vt tradit S. Thomas 2. 2. in d. q. 26. art. 5. ad 3. At in noſtro caſu vt dictum eſt, non vrget vlla neceſsitas, ſed tantum impetentis improbitas quam mutare poteſt. Caſus autem eſſe poſſunt huiuſmodi, in quo quis vitam ſuam tenetur exponere periculo pro ſalute alterius. Vt exempli gratia, eſt peſtis in domo aliqua, omnes mortui ſunt relicto infante necdum baptizato, cui niſi baptiſmo occurratur, etiam morietur ſine baptiſmo, & ſic damnabitur, cum baptiſmus ſit vnicum remedium ſalutis. In tali caſu ſecundum ordinem charitatis cum periculo vitæ propriæ alius qui intelligit neceſsitatem ſpiritualem infantis, tenetur ſuccurrere ſaluti infantis: cum expoſitio vitæ corporalis in periculum ſimpliciter ſit neceſſaria ad ſalutem infantis. Alius caſus eſſe poſsit. In aliquo loco in periculo ſunt multæ animæ quæ vacillant in fide propter tentationes & perturbationes inſtantes, nec eſt qui eos veriſimiliter confortet verbo, doctrina & animi conſtantia, præter vnum virum, qui eos diu in via ſalutis direxit, is autem nunc ſi ſe prodat eorumque conuerſatione vtatur, periclitatur de vita. In tali caſu iſte

vir tene-

vir tenetur cum periculo vitæ confortare in fide ſic vacillantes, & animos erigere, ſi moralis prudentia dictet niſi hoc fiat, animas perituras, & de ſimilibus ſimile eſt iudicium. Alia argumenta quæ fauent contrariæ ſententiæ ſoluuntur à D. Thoma 2.2. q. 64. art. 7. Petro de Aragon. in eundem articulum, & Soto lib. 5. de iuſtitia & iure. q. 1. art. 8. & alijs alibi, ſed nunc ſolutum commouit Gerſonem in illam ſententiam.

Secunda Concluſio. *Vt occiſio cauſa defenſionis licita ſit tam in foro poli, quam fori, id eſt, in conſcientia & in iudicio exteriori, requiritur vt fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, vt DD. loquuntur.* Hanc tenent communiter DD. tam Theologiæ quã iuris locis in ſecunda concl. alleg. Pro intelligentia termini obſeruandum eſt quid intelligatur per defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ. Moderari enim eſt cum modo & ratione ſe regere in dictis & factis, ne quis exceſſus fiat. Sic Plautus. Ratio iubet, ne quid nimis; ſed omnia cum moderamine fiant, ſic actus defenſionis cum moderamine inculpatæ tutelæ; quando ita ſe ratione regit, vt tantum faciat, quantum ad neceſſariam defenſionem deſideratur: hoc eſt ſecundum iuris interpretes quando id tantum fit, vel agitur, quo omiſſo, violentia & iniuria repelli non poſsit; Gloſſ. in cap. Olim. 1. de reſtitut. ſpoliator. & in cap. Significaſti 2. de homicid. Panormit. &

alij ibidem. Fortun.& DD. in d.L. Vt vim. Bartol. & DD. in l.1. C. Vnde vi. Nauar. in manuali confeſſar. cap. 15. num. 3. & hæc dicitur neceſſaria, & præciſa à quibuſdam, quia ea omiſſa perſona eſſet veriſimiliter peritura, aut læſionem in corpore paſſura, argum. text. in L. Scientiam. §. Qui cum aliter. ff. ad leg. Aquil. Bald. & alij ibidem. Marſil. in pract. crimin. §. Quoniam. num. 86. & hæc dicitur à Theologis Alexand. Alenſi. S. Antonin. Auguſtino de Ancona & alijs neceſsitas ineuitabilis. Dicamus ergo tunc moderatam & cum moderamine inculpatæ tutelæ eſſe defenſionem, quando quis ab alio iniuſtè inuaditur ita, vt probabiliter in periculo vitæ ſit, niſi ſe meliori modo, quo poteſt defendat, nec ſe aliter poteſt ab offenſione inuadentis tueri. text. ad hoc in Clem. Si furioſus de homic. ſub his verbis: Et idem de illo cenſemus, qui mortem aliter vitare non valens ſuum occidit, vel mutilauit inuaſorem, & Gloſſ. ibid. ſuper verb. Non valens. & text. in L. Scientiam. §. Qui cum aliter. ff. ad leg. Aquil. Qui cum aliter, ait, tueri ſe non poſſent: damnum culpa dederint: innoxij ſunt. Vim enim vi defendere, omnes leges: omniaque iura permittunt. Bartol. in lib. 1. num. 4. C. Vnde vi. Bald. in repet. eiuſdem L. num. 3. & alij ibidem occaſione illorum verborum quæ ibi habentur (moderamine inculpatæ tutelæ) & DD.

&DD. in d. L. Vt vim. Et notandum quod DD. iuris cum Gloſſ. in d. lib. 1. C. Vnde vi, dicunt hoc moderamen circa tria præcipuè verſari, circa modum ſe defendendi, circa tempus, & cauſam defenſionis Bartol. Bald. & alij in d. lib. 1. Blancus in practica criminali fol. 142. vt eum allegat Iulius Clarus lib. 5. ſentent. in §. Homicidium. num. 34. Dambauder. in pract. crimin. cap. 76. à num. 14. Andreas Gaill. lib. 1. de pace publica. cap. 16. num. 17. & latè Ioſephus Maſcard. volum. 3. de probat. concl. 1126 à num. 31. Quem lector in caſu occurrente poterit legere pro dictorum trium requiſitorum plenà explicatione, & limitatione. Et licet Sylueſter in ſumma in verb. Bellum 2. q. 1. putet quod illa Gloſſæ conſideratio, in cuius explicatione latiori DD. occupantur; ſuperflua ſit, eo quod de his certa regula dari non poſsit, ſed bonus iudex arbitrabitur conſiderata qualitate perſonarum, tamen meo iudicio vtilis & commoda nec non neceſſaria videtur; ſi eo modo explicetur, quo Maſcard. proſecutus eſt: Quia etſi fateamur iudicis arbitrium hic ſibi vendicare locum cum Sylueſtro loco cit. Panormit. in cap. Olim 1. de reſtitut. ſpoliat. Marſil. in L. Quæſtionis modum, num. 43 ff. de quæſtionib. Maſcard. in d. concl. num. fin. Menochio de arbitrar. iudic. qq. caſ. 277. & alijs alibi, tamen etiam cognoſcimus iudicem in formando ſuo

hoc arbitrio non debere inniti proprio iudicio cap. Iudicet. cum Gloſſ. 3. q. 7. in verb. voluntatis, & cap. Ne innitaris, de conſtitut. ſed ſequi regulas legum, & conformare arbitrium conſilio peritorum. Bald. in l. 1. C. Qui accuſare non poſſunt, & in l. 2. notab. 4 C. de fidei commiſſ. Anton. & Cardinalis Alexand. in cap. Vt debitus, de appellat. Ioan. Andreas in cap. 1. de conſtitut. & ibidem latiſſimè Barbat. à num. 167. Marſ. in pract. §. Diligenter. à num. 25. Quare expedit ſcire quæ DD. circa tale inſtitutum prodant accommodata ſecundum iura & rectam rationem vſui & praxi.

Tertia Concluſio. *Ad ſaluandam talem defenſionem in foro conſcientiæ à reatu homicidij, neceſſe eſt vt defendentis intentio recta ſit, ita vt non feratur in occiſionem vt finem, ſed in defenſionem & conſeruationem propriæ vitæ.* S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 7. & ſui commentatores ibidem. Angelus in verb. Defenſio, num. 4. Turrecremata in cap. De occidendis 23. q. 5. & in cap. De his clericis. 2. d. 50. Dominicus à Soto lib. 5. de iuſtitia & iure. q. 1. art. 8. Nauarr. in Manual. confeſſ. cap. 15. num. 2. & alij alibi. Ad probationem huius concluſionis præſupponendum cum S. Thoma in primis vnius actus duos poſſe eſſe fines, vnum ex intentione ipſius agentis: alterum præter intentionem eiuſdem. Vt ſi quis terram fodiat, ad plantandum arborem, inueniat theſaurum. Deinde actus morales

ſemper

ſemper ex eo ſpeciem ſortiuntur ſecundum id quod intenditur, & non ex eo quod accidentarium. Sic nunc ad propoſitum in eo qui ſeipſum defendens occidit duos effectus etiam conſiderare licet, propriæ vitæ conſeruationem, & alienæ interitum, horum primus eſt per ſe intentus, poſterior autem per accidens. Ille autem effectus, ex quo actus ſpeciem ſumit, non habet vllam rationem mali, cum vnicuique rei ſit naturale cõſeruare ſe in ſuo eſſe, in quantum fieri poteſt. Poterit autem actus vitiari ex accidentario effectu, & fine non per ſe intento, quando ille non fuerit proportionatus ſuo fini, id eſt, quando non eſt medium neceſſarium ad propriæ vitæ conſeruationem, vt ſi quis in defenſionem propriæ vitæ, maiori violentia vtatur, quam oporteat. Si autem intentio alicuius per ſe feratur in occiſionem, tunc actus ſpeciem ſumit à malo fine ſcilicet occiſione. Nulli enim priuatæ perſonæ licitum eſt intẽdere occiſionem hominis. Circa hanc quæſtionem Theologi præſertim recentiores difficultatem mouent. *An ſaltem liceat intendere occiſionem ſimpliciter tanquam medium neceſſarium in caſu ad propria vita conſeruationem?* Exempli gratia, video hoſtem meum aggredientem me manu armata, & fortiter me impetentem, an poſsim ex propoſito intentioneque eligere ipſius occiſionem ad meam neceſſariam defenſionem, ſi videam me aliter à periculo vitæ liberari non poſſe. Quidam ne-

gatiuam amplectuntur ſententiam: hæc tribuitur ex antiquioribus S. Thomæ in d. art. 7. & eam ſequuntur Caietan. ibidem. Turrecrem. in d. cap. De occidendis.. Victoria in relect. de homicidio à num. 17. Hæc ſententia à Nauarro & alijs aſcribitur etiam Abulenſi in Matth. cap. 5. q. 46. Partem affirmantem licere in tali caſu occiſionem intendere, vt medium neceſſarium ad vitæ conſeruationem defendunt Dominicus à Soto lib. 5. de iuſtitia & iure. q. 1. art. 8. Syluester in verb. Homicidium. 1. q. 5. Nauarr. in manuali confeſſariorum. cap. 15. num. 3. Gregorius de Valentia in d. art. 7. S. Thomæ. Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitut. cap. 3. num. 338. & ſeq. Alij aliam videntur fingere in hac re ſententiam, nempè licitum eſſe ſcienter occidere talem inuaſorem, & id confusè velle, quomodo Deus ſcit ſibi licitum eſſe, neque oportere conſiderare, aiunt, qua intentione id actualiter fiat. Sic Anthonius Cordubenſis lib. 1. qq. q. 38. & Petrus de Aragon Theologiæ profeſſor Salmanticæ in d. art. 7. D. Thomæ. Sed hic modus dicendi magis imaginationi innititur, quam firmo fundamento. Quantum ad alias duas opiniones affirmans probabilior & verior, imò etiam magis moralis videtur. Quando enim occiſio eſt mediũ, ſine quo non, ad finem ſcilicet conſeruationẽ vitæ, in morali philoſophia quæ ſibi certè locum vendicat in huiuſmodi practicis, haud

ſatis intelligi poteſt, quomodo finem velim, ſi non prius eligam medium pro caſu ordinatum ad talem finem. Ad efficacem voluntatem finis, ſequitur medij neceſſarij electio. In moralibus & humanis negotijs morali & non metaphyſico modo res determinandæ ſunt. Iura legeſq; clamant, vim vi repellere licet, & auctor naturæ non ſolum homini id indidit, ſed & animantibus ratione carentibus arg. l. 1. §. Cum arietes. ff. Si quadrupes pauper. feciſ. dicat. & Cicer. 1. officior. Omni animantium generi à natura tributum, vt ſe, vitã, corpusq; tueatur, mirabile ergo foret ſi homo ratione & diſcretione vtens in neceſsitate vitam conſeruare intenderet non habito reſpectu electionis medij. Quando enim latro hominem inuadit ad perdendum & occidendum, quis tã dexter in cogitatione, & conſcientia, vt non intendat eum lædere in meliori corporis parte, qua læſa ſecurius ſe ſaluet, quando non occurrit alius elabẽdi modus. His accedit, quod ob mortis metum vitæque periculum tum homo non eſt in plenitudine intellectus vt experientia teſtis eſt Bald. in cap. 1. §. 1. in fine. de pace iuram. firmand. & Marſil. in pract. crim. §. Quoniã. num. 83. & in diſcrimine vitæ conſtitutus eſt alienus à mente. arg. L. Hac. conſultiſsima ibi: Sed cum humana fragilitas. C. Qui teſtamẽta facere poſſunt. Vnde rectiſsimè aliqui iuriſperiti dixerunt, quod ſe defendens ab aggreſſore non habeat ſtateram in ma-

nibus, vt poſsit ponderare ictus & percuſsiones. Bald. in L. Vt vim. ff. de iuſtit. & iure. Auguſtin. de Arimino in addit. ad Angel. Aretin. in tract. malefic. in verb. & dictus Titius ſe defendendo. Bartholom. Cæpol. conſ. 1. col. 3. & Marſil. in conſ. 4. incip. De vultu tuo Domine. num. 24. & conſ. 31. incip. Bonorũ omnium largitor. num. 48. Sotus. Nauarr. & Petrus à Nauarra non alienum. S. Thomam exiſtimãt, ſi rectè intelligatur, vt latè eum Sotus declarat. Planus enim eius literæ ſenſus eſt, quod non licet priuatæ perſonæ occidere per ſe, ſed per accidens. Quia ſcilicet niſi inuadatur, non poteſt occidere, & ita non per ſe, ſed vt eſt effectus propriæ defenſionis. At perſona publica etiamſi non ſit inuaſa poteſt per ſe occidere ad vlciſcendam iniuriam publicam & puniendum crimen. Prædictis in primis videtur obſtare expreſsè auctoritas D. Auguſtini in epiſt. 154. ad Publicolam & inſeritur. in d. cap. De occidendis, vbi ſic ait: De occidendis hominibus ne ab eis quiſquam occidatur; non mihi placet conſilium, niſi forte ſit miles, aut publica functione vtatur. Reſpondet, S. Thomas & poſt eum ſui commentatores, non negare S. Auguſtinum licitum eſſe alterum defenſionis cauſa occidere, ſed tantum non licere id facere intendendo & volendo mortem alterius, eo modo quo occidens publica auctoritate. Alia obiectio eſſe poteſt ex Cõcil. Tridentino ſeſſ. 14. cap. 7. de reformatione

vbi

ybi declarat, aliquem incurrere irregularitatem committendo homicidium cauſa defenſionis, vt patet ex ſequentibus verbis: *Si vero homicidium non ex propoſito ſed caſu, vel vim vi repellendo, vt quis ſe à morte defenderet, fuiſſe commiſſum narretur, quam ob cauſam etiam ad ſacrorum ordinum, & altaris miniſterium, & beneficia quæcunq; ac dignitates, iure quodãmodo diſpenſatio debeatur cõmittatur loci ordinario, &c.* Ergo illicitum videtur homicidium cauſa defendendi commiſſum. Reſpondetur ſecundum Nauarrum in manuali confeſſariorum cap. 27. num. 239. Concilium loqui in caſu, quando exceſſus fit in moderamine inculpatę tutelæ vim vi repellendo, tùnc enim irregularitas incurritur ſecundum communem. At quando defenſio fit cum moderamine inculpatæ tutelæ, occidens nullam incurrit irregularitatem. Clem. 5. furioſus, de homicid, & communis ibidem. Vnde contingit quod DD. tradant, ſi quis iniuſtè ſacerdotem inuadat ſtantem in altari & diuina celebrantem, ſacerdos poteſt intermittere officium, & ſe defendere & ſi cum moderamine iuſto talem offendentem occidat miſſam perficere licitum eſt ei. S. Antoninus. 3. part. tit. 4. cap. 3. Angel in verb. Homicidium 3. num. 2. Syluest. in verb. Bellum 2. q. 5. Ioannes à Lignano in tract. de bello. Panormitan. in cap. Clerici 1. de vita & honeſt. cleric. num 2. Marianus Socin. in repetit. cap. Ad audientiam. col. 31. de homicid. Marſ. in pract. crimini. §.

Quoniam. num. 75. Andreas Gaill. practic. obſeruat. lib. 2. obſeruat. 110. num. 12. Ratio aſsignatur, quoniam talis ſacerdos ſic occidēdo, nec peccat, nec irregularitatem incurrit.

Quarta Concluſio. *Licitum eſt etiam occidere inuadentem, cum moderamine inculpatæ tutelæ ob defenſionem alicuius membri, & ad vitandā mutilationē.* Hanc etiam tradunt Syluester in verb. Homicidium 3. q. 4. Petrus à Nauarra loco cit. num. 345. & dicit quod ita omnes fatentur. Petrus de Aragon. in d. art. 7. D. Thomæ. Cardin. in Clem. Si furioſus, de hom. Couarr. in Relect. eiuſdem Clem. part. 3. §. vnico, num. 2. Ratio etiam ducitur ex naturali iure, quo quis fertur in defenſionem propriæ vitæ & corporis, præterea vt infra patebit, licitum eſt in defenſionem rerum temporalium cum debito moderamine occidere. Ergo multo magis pro conſeruanda neceſſariorum membrorum integritate, vnde corporis ſalus dependet, & vitæ periculum imminet, ſi abſcindantur. Hinc qui in caſu huius concluſionis cum moderamine occidit non efficitur irregularis vt Syluester Cardin. Couarr. & alij communiter tradunt, licet male quidam alij in contrarium ſentiant, de quibus Cardinalis & Couarr. locis cit. Si autem aliquis fieret exceſſus, tunc talis defenſio culpabilis redderetur, pro ea parte, & irregularitatis pæna incurreretur, vt antea in reſponſione ad

ne ad Concilium Tridentinum ſatis ſignificatum eſt. Ad incurrendam enim culpam & irregularitatem par ratio eſt in hoc caſu occiſionis & membri mutilationis.

Quinta Concluſio. *Qui adhibito moderamine inculpatæ tutelæ ſe defendendo occidit, aut mutilat, nec ad vllas expenſas, neq; de vllo damno tenetur mutilato, aut occiſi hæredibus.* Hanc tenent communiter DD. Primo quia talis nemini iniuriam facit, cum ſuo iure vtatur, & exequatur ius ſibi conceſſum à naturali lege. Nemini autem iniuriam facit, qui ſuo iure vtitur, & iuris executio non habet iniuriam. L. Nullus. ff. de reg. iuris. & cap. Cum in Eccleſia. de elect. & L. Iniuriarum. §. 1. ff. de iniur. Cum ergo talis non peccet cõtra iuſtitiam, nec iniuſtè det cauſam expenſarum & damnorum nulli etiam tenetur ad aliquam recompenſationem, & cum talis ſua culpa propria damnum ſentiat ſibi ipſi imputet, per regulam iuris in 6. Damnum quod quis ſua culpa ſentit, ſibi imputet, & non alijs, & in L. Si fideiuſſor. ff. mandati, & in L. Si merces. §. Culpæ. ff. Locati. & aggreſſor ſi occidatur ab eo quem inuaſit potius videtur ſeipſum occidere, per doctrinam Panormit. in cap. Clerici 1. de vita & honeſtate cleric. num. 2. Marſil. in practica. §. Quoniam. num. 82. & in conſ. 81. num. 10. & poſt alios plures Maſcard. volum. 3. de probationib. concl. 1126. num. 7. & inſul-

& inſultatus ſiuè inuaſus quicquid facit, in foro exteriori non ad vindictam ſed ad propriam defenſionem præſumitur facere, Alexand. in conſ. 76. incip. Viſa inquiſitione contra Fortunerium. col. penult. vol. 1. Decius in conſil. 459. incip. Viſo eleganti conſilio. num. 2. & 4. Philippus Corneus in conſ. 107. incip. Viſa inquiſitione videatur prima facie, in Lit. I. volum. 1. & in conſ. 162. incip. In hac conſultatione. in lit. Y. eod. vol. Bald. in l. 2. C. de Sicar. per text. ibidem. Bartol. in l. 1. §. Eum. ff. Si quadrupes paup. feciſ. & alij ibidem. Cæpol. in conſ. 28. incip. Magiſter Iacobus Marangonus. col. 2. Marſil. in conſ. 4. De vultu tuo Domine, num. 14. Angelus Aretin. in tract. malefic. Gloſſ. Et dictus Titius ſe defendendo in 1. fol. verſ. incip. Dixi, &c. & alij alibi, & ſic inuaſus ſe defendẽdo occidens præſumitur ad defenſionem facere, & non ad vlciſcendum & iniuriandum, quandoquidem neceſsitas doli excludit præſumptionem per text. in cap. 1. §. Si quis hominem, de pace tenend. & cap. Significaſti 2. de homicid. & poſt plures Gaill. pract. obſeruat. lib. 2. num. 11. Et ſic etiam occidens aliquem ſe defendendo non dicitur maleficium committere Bald. in L. Data opera. col. 4. C. Qui accuſare non poſſunt. Marſil. in l. 1. num. 36. ff. ad leg. Cornel. ff. de Sicar. Gaill loco cit. num. 10. Maſcard. de probat. vol. 3. concl. 1126. num. 6. Accedit & illud quod eo ipſo, ſi probauero aliquem

cum

cum cultro, aut enſe veniſſe contra me, ſi occidi, aut mutilaui, ſiue vulneraui eum, dicor in defenſionem feciſſe, & excuſor in foro exteriori à pœna homicidij Bartol. in L. Sed etſi quemcunque, in princ. per text. ibid. ff. ad leg. Aquil. Decius in L. Vt vim. num. 10. ff. de iuſtit. & iure. Iaſ. l. 1. num. 9. eod. tit. Cæpol. & Marſil. in conſ. alleg. Inuaſus ſiue inſultatus vt quidam loquuntur, ab alio de iure multas habet pro ſe præſumptiones, vt colligitur ex DD. locis cit. quorum dicta & doctrinam cócernentem hanc materiam ferè in vnum locum congerit Maſcard. in d. concl. 1126. Quæ omnia lector in caſu occurrenti videre poterit.

Sexta Concluſio. *Contra quemcunq; iniuſtè inuadentem licet ſe defendere etiam occidendo cum debito moderamine.* Contra Dominicum à Soto, lib. 5. de iuſtitia & iure. q. 1. art. 8. qui exiſtimat, quod ſi aggreſſor eſſet rex, vel dux, vel alia perſona reipubl. valde neceſſaria: inuaſus autem eſſet perſona valde vilis, cuius vita ad bonum commune parum referret, quod tum inuaſus ille charitate cogatur mortem potius ferre, quam alteri inferre. Concluſionem tradunt Angel. in verb. Defenſio. in princ. S. Antonin. in 3. part. tit. 4. cap. 3. §. 1. Sylueſter in verb. Bellum. 2. q. 5. Aurea Armilla in verb. Defenſio. num. 4. dum volunt talem defenſionem eſſe licitam contra quoſcunque etiam

ſuperiores

ſuperiores & maiores. Vaſquius lib 1. illuſtrium controuerſ. cap. 18. num. 8. Marſil. in d. conſ. 4. num 6. & Cardin. Zabarella in Clem. 1. de pœnis dum docent quod licet abſque cenſura excommunicationis cap. Si quis ſuadente, percutere pontificem pro defenſione neceſſaria & allegat Marſil. pro hac doctrina Innocentium in c. Quantæ, de ſententia excommunic. & hæc communis eſt opinio, à qua non eſt recedendum, cum non ſolum lex naturalis dictet, ſed omnia iura vim vi repellendam permittant, nec diſtinguant: vbi ergo leges & iura non diſtinguunt; nec nos diſtinguere debemus, per L. De pretio. ff. de public. in rem action. Gloſſ. Bart. Alber. & alios ibidem. Cum enim talis defenſio ſit iuris naturalis, conuenit vnicuiq;, vbiq;, ſemper & contra quamcunque perſonam. Vnde etſi perſona ſit publica & reipublicæ neceſſaria, ſi iniuſtè inuadat aliquem, inuaſus poteſt ſe defendere etiam occidendo, modo moderamen iuſtum non excedat, ſi alius modus non ſit elabendi, nec in hoc læditur charitas, quę quando eſt ordinata incipit à ſeipſo, ita vt poſsim vitam meam præferre vitæ alterius cuiuſcunq; perſonę.

Septima Concluſio. *Inuaſus ab aliquo non tenetur ſe defendere, ſed poteſt permittere ſe occidi.* Hæc eſt S. Thomæ 2. 2. q. 64. art. 7. Caietani ibid. S. Antonini. Turrecr. Auguſtini de Ancona loco cit. Franciſci Victoriæ in relect. de homicid. Sot.

tid. Sot. lib. 5. de iuſtitia & iure. q. 1. art. 8. & aliorum alibi, & hæc eſt communis ſententia Theologorum, quæ ſatis probatur ex cap. 5. Matth. Ego autem dico vobis non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dextram maxillam, præbe illi & alteram. Roman. 12. Nulli malum pro malo reddentes, & poſt pauca: Nõ voſmetipſos defendentes chariſsimi, ſed date locum iræ. 1. Petri 3. Non reddentes malum pro malo, nec maledictũ pro maledicto. Deinde licitum eſt vitam propriã exponere pro vita proximi iuxta illud ſcripturæ: Maiorem charitatem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis, prout alibi etiã ſignificatur à Ioanne, quando ait: In hoc cognouimus charitatem DEI, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Ad hanc rem etiam illuſtrandam ſpectant quæ adfert Lactantius diuinarum Inſtitut. lib. 5. cap. 18. contra Carneadem diſputans, in hæc verba: Stultitia eſt, inquit, alienæ animæ parcere cum pernicie ſuæ. Num etiam pro amicitia perire ſtultum iudicabitur? quid ergo familiares illi pythagorici laudantur à nobis: quorum alter ſe tyranno vadem mortis pro altero dedit; alter ad præſtitutum tempus: cum iam ſponſor eius duceretur: præſentiam ſui fecit, eumque interuentu ſuo liberauit: quorũ virtus in tanta gloria non haberetur: cũ alter pro amico: alter etiã pro fide mori voluit: ſed ſtulti putarẽtur.

Denique

Denique ob hãc ipſam virtutem tyrannus in his gratiam retulit vtrumq; ſeruando: & hominis crudeliſsimi natura mutata eſt, quin etiam deprecatus eſſe dicitur, vt ſe tertium in amicitiam reciperent non vtiq; tanquam ſtultos, ſed tanquam bonos & ſapientes viros: Itaq; non video quare eum pro amicitia & fide mori ſumma gloria computetur: non etiam pro innocentia perire ſit homini glorioſum. Ergo ſtultiſsimi ſunt qui nobis crimini dant mori velle pro Deo: cum ipſi eum, qui pro homine voluit mori, in cœlum ſummis laudibus tollant. Sic Lactant. Licet autem in hac concluſione non ſit dubium, tamen Dominicus à Soto & poſt eum Gregorius de Valentia, & Petrus de Aragon. in commentar. ſuper d. art. 7. D. Thomæ. exiſtimant poſſe contingere caſum, vt teneatur inuaſus ſub pœna peccati mortalis ſe defendere: vt ſi princeps, aut quæuis alia perſona reipubl. per quã cõmoda ab impio aliquo & ſcelesto impeteretur: tunc enim, ait Sotus, ꝓdigalitas eſſet vitæ ſuæ, nõ ſe iniuria laceſsitũ defendere. Sed concluſionem puto eſſe veriorem cum Victoria, loco cit. num. 26. Scriptura enim non diſtinguit de perſona publica, & priuata: Imò nos hortatur ad ponendam vitam etiam pro inimicis exemplo CHRISTI ſaluatoris qui erat perſona publica. Quoniam, inquit, cum inimici eſſemus, pro nobis mortuus eſt. Præterea doctrina Soti videtur noua, nec ſatis

fundata,

ſundata nouitates autem quantum fieri poteſt ſunt fugiendæ, cap. Ex parte, de conſuetud.

Octaua Concluſio. *Confitens ſe occidiſſe hominem ad propriam ſui defenſionem in foro exteriori, probare tenetur, & ſi in probando deficiat, pro confeſſo habetur, & ex tali confeſsione poteſt condemnari.* Hæc eſt communior opinio DD. quam amplectuntur. Panormit. in cap. Auditis. num. 32. de præſcript. Decius in cap. Cum venerabilis: num. 20. de exception. Bartol. in L. Aurelius. §. Idem quæſijt. ff. de lib. legat. & hanc Bartoli ſententiam communiter approbatam atteſtantur, Iaſ. in L. Vt vim. num. 13. ff. de iuſtitia & iure. Boërius in deciſione 164. Iulius Clar. lib. 5. §. fin. q. 55. num. 15. qui putat in practica non eſſe à Bartoli opinione recedendũ; ſicut etiam Menochius lib. 1. de præſumptionibus cap. 4. autumat in foro non eſſe ſatis tutum ab hac concluſione recedere. Non deſunt tamen qui contrarium teneant, quorum argumentis Decius loco cit. reſpondet, & Panormitani doctrinam defendit. Ratio concluſionis à DD. redditur. Quoniam licet talis confeſsio ſit qualificata, & videatur in totum acceptanda; vel reſpuenda; tamen in caſu concluſionis ſolum acceptatur confeſsio, quatenus eſt contra ipſum confitentem; & reſpuitur in quantum pro eo eſt: Quia præſumptio quæ ex homicidio orta eſt, pugnat contra cõfitentem & occidentem l. 1. C. ad leg. Cornel.

 de ſicar.

de ſicar. Qui autem vnico cõtextu verborum & ſimul confitetur ſe occidiſſe ad ſuam neceſſariam defenſionem, ſi conſtanter in tali confeſsione perſeuerat, etiamſi eam non probet, pœnam capitalem & mortis effugiet, vt Panormit. Iaſ. Boërius, Clarus & alij plurium practicorum teſtimonio comprobant. Si autem priùs abſolutè cõfeſſus eſt ſe occidiſſe, deinde poſt aliquod temporis interuallum fateatur ſe occidiſſe ad neceſſariam defenſionem, ſi non probet qualitatem defenſionis, ex tali confeſsione poterit abſolutè ad mortis pœnam condemnari, vt communiter concludunt & declarant DD. atteſtantibus Boerio & Claro. Cautela autem eſt pro reo, qui alium ad ſuam defenſionem interfecit, ſi probare non poteſt, vt neget ſe homicidium commiſiſſe ſubijciendo: & ſi id feci, ad meam defenſionem feci, quæ reſponſio admittenda eſt, & pro purè negatiua habenda, & hæc eſt cõmunis opinio, vt atteſtatur Boſsius in practica tit. de confeſsis, num. 36. quem allegat approbatq; Iul. Clar. in d. q. 55. nũ. 17.

Nona Concluſio. *Qui allegat ſe ad ſuam occiſionem occidiſſe, ſi oſtendat quod ab occiſo inſultatus, & cum violentia iniuriaue inuaſus fuerit, ſufficienter probat.* Gloſſ. recepta in cap. Si perfodiens. in verſ. ſecularibus. de homic. Felin. in cap. Significaſti 2. num. 13. verſ. Sed iſtis non obſtantibus. de homicid. Ancharan. in Clem. 1. eod. tit. Bartol. Bald. & Florian. in l. 1. §. Cum arietes.

ff. d. Si

ff. d. Si quadrupes pauper. fecis. dicatur. Alexand. in conſil. 109. incip. Viſis & oportunè conſideratis omnibus à num. 5. volum. 1. Decius in conſil. 459. à num. 2. & ita communiter DD. ſentiunt. Nec inſultatus tenetur expectare, donec vulneretur, aut actu percutiatur, ſed ſufficit quod aduerſariū & inimicum armis & furore in conſpectu in ſe irruentem, & inuadentem conſpiciat, vt communiter DD. volunt. Gloſſ. Bald. & alij in l. 1. C. Vnde vi. Iaſ. in L. Vt vim. ff. de iuſtit. & iure. num. 9. Ancharan. in d. Clem. Bertrand. in conſ. 128. lib. 7. Bartol. cum Gloſſa & alijs in L. Sed etſi quemcunque. ff. ad leg. Aquil. per text. apertum ſic habentem: Sed etſi quemcunque alium ſe ferro petentem quis occiderit, non videbitur iniuria occidiſſe, & dicit Gloſſ. Etiamſi me prius non percuſſit. Bonifac. Vitalin. in tract. malefic. in rub. de inſultu & percuſsione. Angelus ab Aretio in tract. maleficior. in Gloſſ. Et dictus Titius ſe defendendo. Marſil. in pract. §. Expedita. num. 19. & poſt alios plures latè ex iunioribus Anton. Gomez. tom. 3. cap. 3. num. 22. Iulius Clarus lib. 5. in §. Homicidium. num. 33. Maſcard. in d. concluſ. à num. 9.

Decima Concluſio. *Etſi inſultatus & iniuſtè inuaſus poſsit ſe fugiendo ſaluare, non tamen tenetur fugere, ſed poteſt inſultantem impunè occidere, de iure ciuili.* Cóclufio eſt cõmunis & eã tenent Felin. in cap. Suſcepimus. de homic. Bartol. Salycet. Bald.

& alij in l. 1. C. Vnde vi. Alexand. in d. conſ. 109. vol. 1. Iaſ. in d. L. Vt vim. num. 38. Decius ibid. num. 35. & allégat plures, & hanc cõmunem atteſtãntur. Felin. Iaſ. Alex. Decius loco cit. Clar. in d. §. Homicidium. Didac. Couarr. in Clem. Si furioſus. de homicid. num. 4. & alij alibi. An aũtem ita occidens ſit tutus in conſcientia & apud Deum; infra patebit, quando pertractabitur: An licitum pro defenſione honoris occidere. Quando autem fuga induceret periculum vitæ propriæ, vtpote quod inuadens à tergo fortius inſtaret, & vehementius impeteret, aut caſus diſcrimen immineret, tunc ſanè, nõ ſolum de iure ciuili, ſed etiam canonico & in foro conſcientiæ neutiquam teneretur fugere, ſed poſsit ſe etiam occidendo defendere cum moderamine iuſto: Nec in hoc caſu clericus ſi occideret, fieret irregularis. Felin. in d. c. Panormit. & Ioan. ab Anania ibid. Cardin. Zabarel. in Clem. vnica, de homicid. q. 26. Sylueſt. in verb. Homicidium. 3. q. 4. Didac. loco cit.

Vndecima Concluſio. *Modum ſiue moderamen inculpatæ tutelæ in defenſione excedens ex propoſito, & occidens, tenetur de exceſſu; & punitur pro homicidio non pœna ordinaria, ſed mitiori.* Panormit. in hoc cap. Felin in cap. Significaſti 2. de homicid. col. fin. Panorm. & Anton. à Butrio in cap. olim 1. de reſtitut. ſpoliat. Iaſ. & Decius in d. L. Vt vim. Alexand. latè in conſ. 76. incip. Viſa

cip. Viſa inquiſitione contra Fortunerium, lib. 1. & in conſil. 119. incip. Viſo proceſſu inquiſitionis formatæ lib. 7. Marſil. in pract. §. Quoniam. num. 68. Didac. loco cit. & hæc eſt communis opinio, vt poſt Ludouic. Carrer. in practica criminal. tit. de homicid. §. 6. teſtes ſunt Bertrand. in conſil. 274. num. 2. lib. 2. Didac. loco cit. Clar. in d. §. Homicidium, num. 34. Atque ſic limites iuſtæ defenſionis excedens iudicis arbitrio puniendus, latè Decius in d. L. Vt vim. num. 18. & plures pro hac ſẽtentia adducit. Bald. ibid. col. fin. Boerius in deciſ. 168. num. 7. Didac. loco cit. Iulius Clarus & alij: & ſic vno ore fere fatentur iuriſperiti auctore doctiſsímo Iuriſconſulto Menochio de arbitrar. Iudic. qq. lib. 2. caſ. 278.

Duodecima Concluſio. *Qui modum in defenſione excedẽdo occidit aut mutilat, irregularis efficitur,* d. cap. Significaſti 2. Gloſſ. & DD. ibidem, & Clem. 1. de homic. Quando enim tale homicidium mortiferè culpabile eſt, ſequitur pœna irregularitatis, licet homicidij pœna non deretur in ſeculari foro.

Decimatertia Concluſio. *Qui ſic modum excedendo occidit, aut mutilat, tenetur de damno ſecuto.* Innocent. Hoſtien. & Anton. in cap. Cum olim cauſam, de reſtitutione ſpoliat. Angel. in verb. Defenſio. num. 5. Ratio eſt clara. Quia ſic occidens, aut mutilans, iniuſtè dat cau-

ſam alterius damni. Ergo tenetur illud damnum reparare.

Decimaquarta Concluſio. *Quando in defenſione modus excedatur inculpatæ tutelæ, iudicis arbitrio relinquitur.* Panorm. in cap. Olim. 1. de reſtitut. ſpoliat. Marſil. in L. Quæſtionis modum. num. 43. ff. de quæſtion. Menoch. lib. 2. de arbitrar. iudic. qq. caſ. 277. num. 5. Maſcard. vol. 3. de probat. concl. 1126. num. 58. & alij ab eo allegati. Iudex autem ad rectè formandum ſuum arbitrium diligenter qualitates rixantium, genera armorum, cauſarum concurſum, reliquaſque circumſtantias quæ delictum aut diminuunt: aut augent, inſpiciet.

SEXTA QVAESTIO.

An fiat cum iniuria homicidium commiſſum ad defenſionem rerum & honoris?

PRIMA CONCLVSIO. *De iure ciuili licitum eſt vnicuiq; in defenſionem ſubſtantiæ temporalis ſiue rerum, inuaſorem occidere, quando res aliter à rapina defendi non poſſunt, & eſt notabilis ſubſtantia quæ periculo direptionis eſt expoſita.* Concluſio eſt contra Fortunium in L. Vt vim. ff. de iuſtit. & iure. Et eam tenent communiter DD. ſecundum Decium in d. L. Vt vim. num. 31. Iaſ. ibidem num. 23. Didac. in d. Clem. Si

furioſus 3. part. §. vnico. num. 6. Iul. Clarum lib. 5. ſentent. in §. Homicidium. num. 25. eamq; amplectuntur Bartol. Iaſ. Decius & alij in d. L. Vt vim. Gloſſ. communiter approbata à DD. in L. furem nocturnum. ff. de ſicarijs per text. ibid. & in L. Itaq; §. Lex duodecim tabularum. ff. ad leg. Aquil. & l. 1. C. Vnde vi. Bartol. cum alijs ibidem. Dictum in cõcluſione (quando eſt notabilis ſubſtantia, quæ periculo direptionis expoſita eſt.) Quia quando eſt res vilis & modici valoris tunc non eſt licitum hominem pro eius defenſione occidere. Panormit. & Felin. in cap. 2. de homicid. Iaſ. in d. L. Vt vim. num. 25. Marſil. in L. furem. ff. de Sicar. num. 8. Bernard. de Landriano in apoſtilla ad Angel. ab Aretio, ſuper Gloſſ. Et dictus Titius ſe defendendo. Damhaud. in pract. crim. cap. 78. num. 2. Didac. loco cit. num. 6. verſ. Decimo non eſt prætermittendũ, & hæc eſt cõmunis DD. ſententia, pro qua eſt text. in L. Si ex plagis. §. Tabernarius ff. ad leg. Aquil. Durum imò turpe foret pro re parui momenti damnũ irreparabile inferre, & rem chariſsimam homini auferre, pro re exiguã, & parui momẽti. Dicitur autẽ res vilis ad hunc effectũ ſecundum Iaſonẽ loc. cit. Mathęũ Matheſilanum in ſing. 135. incip. Nota quod leges quæ permittunt furẽ nocturnũ. Bernardin. & alios, quãdo eſt à duob. aureis. Si enĩ parcitur famę hominis, nec intentatur actio famoſa niſi vſq; ad 2. aureos. L. Si oleũ. §. fin. cũ L. ſeq. ff. de

dolo malo, multo minus licet offendere perſonam hominis. L. Si adulterium. §. Libero. ff. de adult. Aliqui tamen Theologi, vt Sotus, & Petrus de Aragon loco cit. exiſtimant pro re vili, nempe pro valore duorum, vel trium ducatorum non eſſe licitum hominem occidere, ſicut in tali caſu vitam periculo exponere delictum eſſet.

Secunda Concluſio. *De iure canonico etiam licitum eſt in defenſionem rerum cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere.* Hæc eſt contra canoniſtas in cap. 2. de homicid. qui teſte Felino ibidem num. 4. Omnes concludunt, quod de iure canonico non licet furem interficere pro rebus tantum ſeruandis, & horum auctoritate confirmati eandem doctrinam ſequuntur Decius & Iaſ. in d. L. Vt vim. & alibi alij Legiſtæ. Concluſionem tradunt Syluest. in verb. Excommunicatio 6. q. 9. Nauarr. in manuali confeſſar. cap. 15. num. 2. Caietan. 2. 2. q. 64. art. 7. & communiter Theologi ſic ſentiunt, qui latius in concl. ſeq. allegabuntur. Concluſio intelligenda, quando aliter res conſeruari nó poſſunt, niſi inuadens interficiatur. Nunc concluſio probatur ex canónib. cap. 2. de homicid. vbi ſic legitur: Interfeciſti furem, aut latronem, vbi comprehendi poterat abſque occiſione, quia ad imaginem Dei creatus eſt, quadraginta dies non intres Eccleſiam, & c. Et infra: Si autem ſine odij meditatione te

tuaque

tuaque liberando huiuſmodi diaboli membra interfeciſti (ſecundum indulgentiam dico propter imaginem Dei) ſi aliquid ieiunare volueris, bonum eſt tibi. Secundum hunc text. in principio. Qui occidit furem, aut latronem, quando comprehendi poterat, cum rebus intellige, peccat. Deinde finaliter infert: Si autem ſine odij meditatione te tuaque defendendo, non committitur peccatum, &c. quando capi non poteſt. Si autem propter timorem pœnitentiam agere volueris, vtpote quia piarum mentium eſt timere culpam etiam vbi culpa non eſt, quia fortaſſe modum excedere potuiſti, bonum eſt. Quod autem text. ait: te tuaque liberando, in quibus verbis canoniſtæ videntur ſuam intentionẽ fundare, non facit ad rem. Quia text. intelligendus diſiunctiuè te, vel tua, & non copulatim ſiue coniunctim, id eſt, te tuaque ſimul. Id quod ex coherentia eorum quæ in capite ponuntur, facile eſt animaduertere: Nam in principio ſtatim ait: Furem, aut latronem, illud, aut, diſiunctiuè accipitur ita vt, te, referatur ad latronem; tua, ad furem. Quia latro nos & vitam noſtram aufert, fur autem, noſtra bona ſurripit. Et euidentius hic ſenſus oſtenditur: Si enim in ſenſu copulato illa verba, te tuaque, intelligenda, ſequeretur ex eodem cap. quod ob ſolam vitæ defenſionem, non liceret occidere, niſi ſimul cum vita bona defenderentur. Quod eſt contrarium omnium

 iudicio.

iudicio. Pro hac concluſione eſt etiam text. in cap. Olim. 1. §. fin. de reſtit. ſpoliat. Præterea in hac re conſtituere differentiam inter ius ciuile & canonicum nulla cogit neceſsitas, nec ratio vrget, imò vtrũq; ius etiã canonum vim vi repellere permittit cap. Si vero 1. de ſentent. excommunic. Sed poteſt etiam alicui inferri vis in rebus temporalibus & poſſeſsionibus. arg. d. cap. Olim. & alibi. Ergo pro defenſione rerum temporalium poteſt quis occidere vim vi repellendo, quando id neceſſarium eſt ad conſeruationem, vel recuperationem rerum. Tandem vt nunc docebitur, in foro conſcientiæ eſt id licitum. Ergo & de iure canonico.

Tertia Concluſio. *In foro conſcientiæ etiam licitum eſt occidere in defenſionem rerum cum moderamine inculpatæ tutelæ.* Hanc docent S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 7. in argum. Sed contra S. Antonin. in 3. part. tit. 4. cap. 3. §. 2. Caietan. Gregor. de Valentia. Petrus de Aragon. & alij in d. art. 7. D. Thomæ. Dominic. Sotus lib. 5. de iuſtit. & iure. q. 1. art. 8. Nauarr. loco cit. Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitut. cap. 3. num. 397. & hæc nunc eſt communis Theologorum concluſio. Probatur in primis per text. Exod. 22. allegatus ad propoſitum à D. Thoma, & inſertus in cap. 3. de homicid. Si effringens fur domum, ſiue ſuffodiens, inuentus fuerit, & accepto vulnere mortuus fuerit, percuſſor non erit reus ſanguinis. Ratio etiam perſuadet. Bo-

det. Bona externa ſunt media ad ſuſtentationem vitæ, ac ad ſtatus honoriſque conſeruationem. Ergo ſicut pro defenſione vitæ licitum occidere aggreſſorem; Ita etiam pro defenſione bonorum externorum, quæ vitæ conſeruationi deſeruiunt, & quorum adminiculo vita ſuſtentatur. Hinc à Iuriſperitis res externæ dicuntur ſanguis & vita hominis, Gloſſ. iuncto textu in L. Aduocati. C. de aduocat. diuerſor. iudic. vbi Bald. cum Gloſſ. ſuper verbo. Vitam, notat quod pecunia & patrimonium dicitur vita hominis, & qui perdit patrimonium fertur vitam perdere. Iaſ. in d. L. Vt vim. num. 23. Franciſc. Curtius in tractatu de ſequeſtris ſtatim à principio notabili 1. num. 4. qui tractatus habetur in initio primi vol. oceani iuris. Bertachin. in repertorio 2. par. in verb. Pecunia. Gerard. de Petraſancta ſing. 73. Menoch. de arbitrar. Iudic. qq. lib. 2. caſ. 110. Vnde ſanguiſugæ rectè vocantur cupidi & auari, qui per fas nefaſque varijs artibus & dolis ſugunt ſaguinem, id eſt, ſubſtantiam miſerorũ. Ex quibus animaduertere licet, quod ſicuti iuris naturalis eſt vim vi repellere in defenſione vitæ: ita eiuſdẽ iuris eſt in tutelã rerũ quę ad vitę conſeruationẽ deſideratur, violentiã excludere. Ad moderamẽ autem inculpatę tutelę in hac bonorũ tẽporaliũ defẽſione, vt occiſio iuſta & licita ſit, ſpectat; ꝙ bona alia via iuſta, vel iuridica non poſsint recuperari.

Si enim

SI enim fur poſsit comprehendi, aut ſit conſtitutus in loco, vnde rem ſuam dominus poſſit repetere, & iterum in ſuam poſſeſsionem redigere, non licitum eſt occidere, aut mutilare. *Dubium eſſe poteſt. An licitum etiam ſit inſequi raptorem, quando fugit cum rebus & eum proſternere telo, aut bombardæ ictu pro recuperatione rerum, quando non eſt aliud medium recuperandi?* Couarr. in d. §. vnico, de homicid. num. 6. verſ. Nono ſi rectè & penitiſsimè tractentur, &c. reprehendit Syluestrum affirmantem partem tenentem in verb. Excommunicatio 6. q. 9. Vnde Couarr. non putat hoc eſſe licitum, idque ex falſo fundamento, quia exiſtimat non eſſe licitum pro ſola defenſione rerum occidere. Pro qua ſententia neceſſario etiam ſunt docentes in foro conſcientiæ pro bonorum conſeruatione non licitum eſſe occidere, vt ſentiunt Gloſſ. in princ. 23. q. 3. Panormitan. Ioann. ab Anania & Felin. in cap. 2. de homicid. Fortun. Iaſ. & quidam alij in d. L. Vt vim. Sed quia hoc eorum fundamentum non ſubſiſtit reſpondemus cum Syluestro loco cit. Dominico Soto lib. 5. de iuſt. & iure q. 1. art. 8. Petro à Nauarra lib. 2. de reſtitut. cap. 3. num. 409. Petro de Aragon in d. art. 7. ſtatim & in continenti licitum eſſe proſequi ipſum raptorem, & telo vel alio inſtrumēto proſternere, ſi alio modo rem meam recuperare nequeam, vtpote quia raptor fugiet ad loca longinqua, vel in terram inimicorum, vbi nulla mihi adminiſtrabitur

niſtrabitur iuſtitia. Ratio eſt, quia licitum eſt occidere non ſolum pro defenſione rerũ, ſed etiam recuperatione earundem: cum recuperatio ſit ſpecies defenſionis, vt Bald. in l. 1. C. Vnde vi. num. 6. annotat: Pro hac ſententia ſunt DD. quando docent, quod licet res defendere & recuperare ablatas cum moderamine inculpatæ tutelæ incõtinenti, id eſt antequã ad alia negotia diuertatur. Gloſſ. in d. l. 1. C. Vnde vi. Bald. loco cit. & alij ibidem. Innocent. in cap. Olim. 1. num. 12. de reſtitut. ſpoliat. Antonin. loco cit. Angel. in verb. Defenſio: num. 2. Aurea Armilla ibidem num. 2. prope finem, & alij alibi. Prædictæ concluſioni videtur obſtare vna auctoritas D. Auguſtini lib. 1. de libero arbitrio, cap. 5. vbi dicit. Quomodo apud diuinã prouidentiam à peccato liberi erunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet humana cæde polluti ſunt? Ad hanc Auguſtini auctoritatem diuerſi diuerſo modo reſpondent, ſed his omiſsis, ſimpliciter reſpondetur Auguſtinum eius fuiſſe ſententiæ, vt apertè conuincitur ex eius dictis. Vnde etiam ibi poſtmodum contendit non eſſe licitum pro tuenda caſtitate occidere, cuius contrarium etiam infra demonſtrabimus.

Quarta Concluſio. *Clericis etiam licitum eſt occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ, ob defenſionem rerum temporalium.* Contra Panormit. & alios quoſdam in cap. Suſcepimus. de homicid. Roſellam poſt Panormit. in verb. Homici-

dium

dium §. 3. Concluſionem tenent S. Antoninus loco cit. qui tamen vult non eſſe licitum religioſis: Quia non poſſunt habere proprium, ideoque non poſſunt gaudere iure defenſionis rerum. Summa confeſs. in quinto præcepto. in cap. Quando liceat hominem occidere. Sylueſt. in verb. Bellum 2. q. 7. in fine. & in verb. Excommunicatio. 6. Petrus à Nauarra in d. cap. 3. num. 415. Nauarr. & alij recentiores. Ratio pro concluſione clara elicitur ex ſuperioribus. Talis defenſio quando eſt cum moderamine inculpatæ tutelæ eſt iuris naturalis. At quæ iuris naturalis ſunt, clericis & laicis ſunt communia, & in cap. Olim 1. §. fin. de reſtitut. ſpoliat. fundatur licitum etiam eſſe clericis res ſuas defendere & in earum defenſione occidere, ſi id neceſſarium foret.

Quinta Concluſ. *Nihilominus clericus occidendo pro rerum defenſione, efficitur irregularis.* Sic docent S. Antonin. loco cit. Angel. in verb. Homicidium. 1. num. 3. & in verb. Defenſio. num. 3. Syluest. in verb. Bellum 2. num. 7. Panormit. & alij in cap. 2. de homicid. Marian. Socin. in cap. Ad audientiam. num. 40. eod. tit. Nicolaus Plouius in tract. de irregularitate. reg. 37. Martinus Nauarr. in d. cap. 15. num. 2. & 4. cap. 27. num. 213. & alibi. Aurea Armilla in verb. Irregularitas. num. 41. Et hæc eſt communis concluſio & frequentiori

quentiori doctorum calculo recepta, vt atteſtantur Nauarr. & Didac. in d. §. vnico num. 6. verſic. Vndecimo, ad propoſitam huius conſtitutionis interpretationem, &c. Et ſic teſte Nauarro ſeruat curiæ Romanæ ſtilus qui ius facit. cap. Quam graui, de crimine falſi. & cap. Ex literis, de conſtitut. Ratio huius concluſionis deſumitur ex Clement. Si furioſus de homicid. vbi nullus occidens, aut mutilans eximitur ab irregularitate, niſi qui defendendæ propriæ vitæ cauſa ſuum inuaſorem occidit, aut mutilat. Verum Didacus Couarr. in d. §. vnico, prope finem quem ſequitur Petrus à Nauarr. in d. cap. 3. num. 417. putat eum qui pro defenſione rerum cum debito moderamine occidit, non fieri irregularem, quia hoc homicidium eſt priuatum, nec culpam habet: ergo talis non eſt irregularis. Sed hæc Didaci ratio fragilis eſt, vt rectè Nauarr. annotat. Quia iudices & miniſtri iuſtitiæ exercentes actũ iuſtitiæ etiam merẽdo ſi ex charitate & Zelo iuſtitiæ aliquẽ condemnent pro ſcelere cõmiſſo ad mortẽ, aut cooperantur in executione ſententiæ pro munere ſibi iniuncto, efficiuntur irregulares. Vnde inualidum argumentum eſt ad propoſitum ita arguere: Occidendo aut mutilando non peccat. Ergo non fit irregularis. Eſt enim alia ſpecies irregularitatis quam ea quæ delictum cõcomitatur. Hoc tamen addiderim Couarr. in hac re ſententiã fortè non eſſe contra co...

nem quantum ad irregularitatem, quia tenet etiam contra receptiorem ſententiam ſi rectè legatur, & eius doctrina altius perſpiciatur non eſſe licitum pro ſola rerum defenſione occidere, & ita ſemper quando licita eſt ſecũdum eum occidere pro rebus adiunctum etiam debet eſſe periculum vitæ. Supra autem dictum eſt conſtitutum in periculo vitæ poſſe ſe defendere cum debito moderamine, nec fieri irregularem ſi ſe defendendo occidat, aut mutilet.

Sexta Concluſio. *Iuſta & licita eſt etiam occiſio raptoris & prædonis cum iuſto moderamine, quoties is offendere conatur perſonam eius, cuius res eſt, quam rapere & auferre vult, ob id quod perſona inuaſa impedire conatur, ne ſua ſubſtantia rapiatur.* Hanc docent Felin. in cap. 2. de hom. Decius in d. L. Vt vim. num. 31. Didac. ſecundum communem, in d. §. vnico. num. 6. & probatur in tali caſu non ſolum fit violentia rebus, ſed etiam perſonę. Si ergo licitum pro rebus occidere, multo iuſtius erit pro defenſione perſonæ & rerum, & arguit hoc cap. 3. de homicid. ſumptum ex Auguſtino ſuper Exod. quando prope finem decernit furem diurnum, ſi ſe telo defenderit, occidi poſſe, reddita ratione: Iam enim plus eſt quam fur. Cui doctrinæ concordat etiam lex illa duodecim tabularum, quæ ait: Fur manifeſto furto deprehenſus, ſi aut cũ faceret furtum, nox eſſet: aut interdiu ſe telo, cum

cum deprehenderetur, defenderet, impunè occiditur.

Septima Concluſio. *Occidere etiam licitum eſt de iure ciuili cum iuſtò moderamine pro defenſione proprij honoris.* Pro intelligentia huius concluſionis, quoniam ea ab aliquibus malè intelligitur; ſenſus eius declarandus eſt. Non enim intellectus eius eſt; quod quando alicui dicitur verbum iniurioſum, quod famam eius, aut honorem lædat; tunc poſsit gladio arrepto proprio marte vſque ad occiſionem ſe vindicare. Hic enim ſenſus eſt falliſsimus contra iura & leges, nec non Chriſtianam charitatem. Inuerteretur enim ſic iuſtitiæ ordo, Chriſtianæ religionis diſciplina diſſolueretur, & pax reipubl. tolleretur. Vnde memini me audiuiſſe quondam à quodam nobili, quod hunc ſenſum falſum & Chriſtiano homine indignum, apprehendiſſet, cum ſibi videretur grauiter læſus etiam à ſibi ſimili, atque mihi cum ei aliud perſuaderé, obieciſſe, in Germania licitum eſſe nobilibus pro defenſione honoris occidere. Quod certè nulla ratione fulcitur. Nobiles Germaniæ in hac parte ita ſubijciuntur legibus & euangelio, ſicut generoſi & illuſtres aliarum nationum. Etſi nobiles in his & alijs pro ſua voluntate & vindicandi libidine excedant, hoc tantum priuilegio præ reliquis gaudent quod acrius & potentius in inferno punientur iuxta illud ſcripturæ: Potentes

potenter tormenta patientur. Senſus autem DD. in hac quæſtione eſt: An quando aliquis inuadítur, & poteſt vitam propriam fugiendo ſaluare, non occidendo inuadentem teneatur fugere, quando fuga tenderet in notabilem ignominiam, confuſionem, aut verecundiam, exempli gratia, eſt generoſus miles qui ob res proſperè fortiterque geſtas in bello, apud omnes fortis viri nomen obtinet, iniuſtè inuaditur ab infimo milite, an teneátur declinando ſubterfugere eius manus cum dedecore, vel potius ſe valeat ei opponere cum ſalute ſuæ famæ vſque ad occiſionem, aut membri mutilationem, ſiue debilitationem: Vel eſt nobilis qui impetitur ab homine vulgari & ignauo enſe, & fuga poſsit ſibi conſulere, verteretur tamen ſibi in magnam verecundiam, ſi eam arriperet, apud ſui ordinis viros: Vel ignobilis intentat alapam illuſtri inferre, quam aut tenetur cum ignominia acceptare: aut cum occiſione intentantis repellere. Vel apud Hiſpanos aliquis contendit virum habitum pro ingenuo & forti leuiter, aut leuiſsimè fuſte percutere, an poſsit ad euitandam talem percuſſionem quæ apud illius nationis viros grauem iniuriam inferre dicitur referentibus Soto, Petro de Aragon, Petro à Nauarra & alijs Hiſpaniæ doctoribus, minantem & intentantem talem iniuriam, occiſione impedire? & ſic de ſimilibus ſimilis poteſt eſſe cenſura.

Nunc

Nunc ſtando in ſenſu propſito dicitur quod concluſio eſt indiſtinctè vera tam in nobili, quam in ignobili ingenuo & forti, & eſt cõmunis ſententia vt atteſtantur Iaſ. & Decius in d. L. Vt vim prope finem. Alexand. in conſil. 109. lib. 1. & eam ſententiam amplectũtur Bart. Bald. & alij in d. L. Vt vim. & Bartol. cum Baldo Angel. Salycet. & alijs in lib. 1. C. Vnde vi. Felin. Ioan. ab Anania. Henric. & alij in cap. Suſcepimus de homic. Andreas Tyraquell. in tract. de nobilitate, cap. 20. Anton. Gomez. tom. 3. cap. 3. num. 23. Vaſquinus illuſtr. controuerſ. lib. 1. cap. 18. num. 13. Iulius Clarus lib. 5. ſentent. §. Homicidium. num. 26. Andreas Gaill. practic. obſeruat. lib. 2. obſeruat. 10. & alij alibi, & hæc eſt communiſsima DD. doctrina. Ratio adfertur à DD. Quia hominis vita & honor à pari procedunt; & proinde non minori ſtudio honoris integritas tuenda; atque vita conſeruanda. L. Reprehendenda. C. de inſtit. & ſubſtitut. L. Iſti quidem. ff. Quod metus cauſ. Iaſ. in d. L. Vt vim. num. 31. Decius in conſil. 687. num. 4. Marſil. in conſ. 4. DD. in L. Tranſigere. C. de tranſact. & ſic periculum famæ æquiparatur periculo vitæ, text. cum Gloſſ. in L. Iuſta. ff. de manumiſsis vindicta. His accedit quod licitum eſt pro defenſione rerũ & patrimonij occidere, prout in ſuperioribus latiſsimè confirmatum eſt. At fama honorq; in

valore & dignitate præferuntur bonis alijs tẽporalibus. Prouerb. 22. Melius eſt nomen bonum, quam diuitiæ multæ. & cap. Suam. iuncta Goff. in verb. modeſtiæ. de pœnis. L. Iulianus. ff. Si quis omiſſ. cauſ. teſtament. & ibi DD. Bartol. & alij in d. L. Vt vim. Bald. in cap. 1. Col. 5. de pace tenend. in feud. & poſt alios plures Gerard. de Petraſancta. ſing. 82. Ergo à fortiori licet pro honore occidere. Addunt tamen rectè DD. quidam, quod ſi inuaſus potuit ſine periculo aliquo ſalutis & honoris fugere, vtpote quia de longe inimicum perſpexerit aduentantem, vel prope diſſimulando potuit domum, aut locum tutum intrare, rixamque ſine dedecore vitare: vel forte eſt vilis perſona, in qua periculum honoris non conſideratur, tunc tenetur declinare occaſionem: Quia ſibi non nocet, & alteri aggredienti, nec non reipubl. prodeſt, argum. l. 1. §. Denique Marcellus. ff. de aqua pluuial. arcend. l. 2. §. Aduerſus. ff. Ne quid in loco publico. & in L. Veteres. de itinere actuque priuato. & in L. Opus. ff. de operib. publicis. & in L. fin. ff. de iniur. Petrus de bellapert. in d. l. 1. C. Vnde vi. col. 2. Bald. ibidem. num. 14. Bartol. in d. L. Vt vim. q. fin. Marſil. in l. 1. ff. ad L. Cornel. de Sicarijs & iſtam opinionem vt veriorem & æquiorem ſequitur Gomez. loco cit.

Octaua Concluſio. *Licet quidam recentiores inſignes auctores in Theologia doceant in foro conſcientia etiam*

tia etiam

tiæ etiam eſſe licitum occidere pro defenſione honoris. Tamen contrarium cenſendum videtur, nec talis doctrina tuta iudicanda pro animæ ſalute. Primam partem tradunt Caietan. in ſumma verb. Excommunicatio. cap. 10. poſt verſ. Nota ſexto. Dominicus à Soto lib. 5. de iuſtitia & iure. q. 1. art. 8. pag. penult. & fin. Martin. Nauarr. in manuali confeſſar. cap. 15. nũ. 4. & alibi. Gregor. de Valentia, & Petrus de Aragon. in art. 7. D. Thomæ 2. 2. q. 64. Petrus à Nauarra in d. cap. 3. à num. 369. & alij plerique iuniores tam in ſcriptis, quam ſcholaſticis lectionibus, & hæc nunc quaſi communior opinio videtur. Secundam partem amplectuntur Sylueſter in verb. Homicidium. 1. q. 2. dicto 6. num. 6. verſ. Quarto ſecundum aliquos pro defenſione honoris contra iniuriam perſonalem conſiſtentem in turpi fuga, quod tamẽ Archidiac. negat, & hoc rationabiliter, maximè vbi talis turpitudo eſt non de malo culpæ, ſed de naturali timiditate. Alij etiam pro ſe allegant Sylueſtrum in verb. Excommunicatio. 6. num. 6. verſ. Nono in eo qui in continenti. verſus finem. tamen ibi loquitur ſecundum aliorum opinionem, nec ſuum iudicium exprimit. Panormit. in cap. Significaſti 2. de homicidio. num. 9. Ioan. ab Anania in cap. Suſcepimus. eod. tit. prope finem. Bald. in cap. Cum tanto. num. 8. verſ. Sed nunquid ſecundum bonam conſcientiã,

de conſuetud. Idem clarius & latius in conſil. 312. incip. Viſis actis & diligenter diſcuſsis. part. 4. Decius in d. L. Vt vim. num. 35. Carol. Molinæus in addit. ad conſil. 119. Alexand. lib. 7. qui exiſtimat talem defenſionem honoris cum occiſione immoderatam, & inhumanam eſſe, barbaris potius quam viris ratione præditis, & Chriſtiana religione inſtitutis conuenire: Nec ab hac ſententia alienus eſt Couarr. in d. §. vnico. num. 4. qui & Carol. allegat. Et Andreas Gaill. in d. obſeruat. 100. num. 8. de materia antecedentis concluſionis ſermonem faciens, dicit quod hæc magis politicè quam Chriſtianè ſcribuntur, & diſputantur. Bald. in d. conſ. aptè loquitur ad propoſitum his verbis: Quod autem ſcriptura dicit, fuge à perſecutoribus, intellige de fuga exemplari & meritoria, propter quam conuenit perfectis (intellige fugere) in via poli, ſed nos ſumus in via fori. Ego dico quod ſi fuga eſt ſuſpecta, quia aduerſarius eſt à tergo, quod non tenetur quis fugere, ſed ſi non eſt ſuſpecta, ſed eligibilis apud graues & ſenſatos viros, qui ceſſando dant locum vacuum & innoxium, tunc debet quiſque fugere, & abſcondere ſe, & fugere rumores; & iſtud eſt de prudentia naturali: Auis enim volando euadit, latebraſque quærit, & ſicut in homine eſt excellentior natura: ita debet prouidentia maior furenti non ſe opponere:

ſuror eſt ſi furioſum euitare poſsis & nolis, iuſticia eſt defendere ſe, temperantia eſt cum moderamine hoc facere, fortitudo eſt non pauere, ſed inculpabiliter reſi-ſtere, prudentia eſt euitare maius malum inter duo, &c. Sic Baldus qui latius diſcurrit. Pro hac concluſione ſunt etiam DD. qui tradunt quod de iure canonico quis teneatur fugere etiamſi ei fuga ſit ignominioſa, dummodo ſit ſine periculo vitæ. Imolen. in d. Clem. Si furioſus. num. 11. Ioan. ab Anania in d. c. Suſcepimus, prope finem. quem etiam allegat ibid. Felin. & poſt Carrer. in practic. criminali. §. Circa. num. 131. verſic. Iure autem canonico. & Hercul. in tract. de cautione de non offendendo. cap. 30. & 31. Maſcard. de probat. vol. 3. concl. 1126. num. 23. His adiunge quod defenſio honoris cum occiſione in noſtro caſu non eſt iuris naturalis, nec ex eo iure deſcendit. Ergò eodem titulo quo defenſio vitæ & rerum confirmatur, non poteſt hæc defenſio honoris ſtabiliri. Antecedens probatur ad hominem. Si eſſet iuris naturalis, aut ab eo iure deſcenderet æquè, clericis & laicis competeret. Quia ea quæ ſunt iuris naturalis conueniunt toti ſpeciei hominis, vt notiſsimum eſt, & ea eſt ratio quare vnicuique contra quemcunq; competat defenſio vitæ cum occiſione: quia eſt iuris naturalis vim vi in tali caſu repellere: quæ

defenſio nec ab Imperatore, nec à Summo pontifice tolli poteſt. At Theologi & DD. in contrarium negant clericos, pro defenſione honoris poſſe occidere. Sic Sotus. Nauarrus. Gregor. de Valentia. Petrus de Aragon. Petrus de Nauarra & alij, & ita dicunt clericos mortaliter peccare ſic occidendo. Præterea antiquiores Theologi hanc non mouerunt controuerſiam de defenſione honoris cum moderamine inculpatæ tutelæ: ſed recentiores ex pharetra iuriſperitorum, qui tantum in foro ciuili ſuam cupiunt ſaluam ſententiam, videntur ſumpſiſſe arma. Ad extremum etſi liceat occidere pro defenſione rerum, quibus præfertur honor, & fama præſtantior eſt ex ſcriptura & legibus, tamen hoc nihil ad propoſitum. Etenim honor poteſt procedere ex duplici capite, aut ex bono ſpirituali vt virtute, ſapientia, ſcientia, & c. aut ex corporali aliquo, vt fortitudine corporis, valetudine, & viribus. Ratione primorum bonorum homo dicitur vere honorabilis, atque bonum nomen ſortitur apud homines. Siquidem illa ſpiritualia dona, animæ ipſi inſunt, eamque ornant, & ſunt ſolida veraque bona quæ præferuntur diuitijs & exterioribus reliquis, & ſic honor qui ſequitur prædicta bona ſpiritualia vere homini inhærentia præfertur diuitijs: quia virtus aut ſapientia præfertur cunctis opibus, cuius virtutis, aut ſapientiæ teſtimonium eſt honor: Vnde illud Poëticum.

Auro

Auro quid melius? Iaſpis; quid iaſpide virtus,
Quid virtute? Deus. quid Deitate? nihil.

Quemadmodum autem bona corporis vana & caduca ſunt, nec ſolida, ita honor qui ea conſequitur, eſt vanus honor, & vix nomen honoris meretur. Sicut enim corporis valetudo hominem non facit verè honorabilem: ita ciuſdem imbecillitas, quando animi magnitudo ineſt, non reddit in veritate vituperio dignum: Ab omni ergo ratione alienũ videtur vt homo ob honorem non ſpectantem ad animæ bona alteri mortem inferat, & bonum irreparabile auferat: cum Chriſtus exemplo & verbo docuerit fugiendas eſſe perſecutiones, & vincendum in bono malum: Sic plus gloriæ apud Deum, à quo vera gloria eſt, & omnis excellentia, propter quam gloria quis dignus eſt, vt rectè D. Thomas 2. 2. q. 131. artic. 1. tradit, emanat, promerebitur fugiendo, quam bonæ famæ apud paucos inſipientes huius mundi conſequetur. Quis ſapiens & diſciplinatus inter vos? ait Apoſtolus Iacob. cap. 3. Oſtendat ex bona conuerſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ. Quod ſi Zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris nolite gloriari, & mendaces eſſe aduerſus veritatem. Non eſt enim iſta ſapientia deſurſum deſcendens à patre luminum, ſed terrena, animalis, dia-

bolica. Quæ autem deſurſum eſt ſapientia: primum quidem pudica eſt: deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis, iudicans ſine ſimulatione. Fructus autem iuſtitiæ in pace ſeminatur facientibus pacem. Ex his D. Iacobi verbis Chriſtianus lector verè iudicet ex qua ſapientia procedat, quod homo quando ab alio Chriſtiano iniuſtè inuaditur, & fugiendo, aut declinando poſſet cedere furori, ob fortitudinis fortaſſe falſæ colorem, aut humanæ verecundiæ titulum proximo vitam eripiat, nec non animam (quod deteſtabilius eſt) cum corpore occidat. Verè enim & ſapienter ſecundum Deum Andreas Gaill in d. obſeruat. de contraria doctrina, quam iuriſperiti ſecundùm ius ciuile tenent, & recentiores Theologi ex eorum vberibus ſuxerunt, & conſcientiæ foro accommodarunt, confeſſus eſt, quod hæc magis politicè quam Chriſtianè ſcribantur & diſputentur.

Nona Concluſio. *Tam in foro fori, quam in conſcientia licitum eſt occidere pro conſeruatione & defenſione virginitatis, & caſtitatis, quando fugiendo, clamando, aut alio modo ſaluari non poteſt.* Quantum ad primam partem non eſt in ea dubium. Leges & omnia iura clamant vim vi repellere licitum eſſe. At poteſt alicui vis inferri in violatione boni virginitatis. His accedit quod virginitas eſt maximum bonum. Si ergo in fo-

in foro ciuili licet pro rebus & honore occidere, à fortiori licebit in defenſionem virginitatis, & in hac parte concordat etiam D. Auguſtinus lib. 1. de libero arbitrio, cap. 5. licet diſſentiat quantum ad poſteriorem partem, doceatque non eſſe in foro Dei approbatum. Eam tamen tradunt S. Antonin, 2, part. tit. 7. cap. 8. §. 2. prope finem. Caietan. 2. 2. q. 64, art. 7. in calce. Gregor. de Valentia & Petrus de Aragon, in eundem art. D. Thomæ. Sotus in d. art. 8. Syluest. in verb. Homicidium. 1. q. 5. Aurea Armilla. in eod. verb. num. 7. Nauarr. in manuali confeſſar. cap. 15. num. 5. Petrus à Nauarra in d. cap. 3. num. 393. & hi duo fatentur eſſe communem & omnium ſententiam. Nec intereſt, vt recte Nauarr. notat: An ſit vir, vel fœmina ſic ſe defendens. Ratio huius concluſionis eſt eadem quæ allata pro prima parte concluſionis. Obijcit S. Antonin. contra. Si dicatur quod occidendo eſt cauſa mortis illius non ſolum corporis, ſed & animæ: cum in actu voluntatis peccandi moriatur. Reſpondet quod ipſe eſt ſibi cauſa, qui alteri iniuriatur. Ille autem vtitur ſuo iure naturali, quo licet vim vi repellere. Et magis tenetur ſaluti ſuæ prouidere quam alterius. Nam exponit ſe periculo conſentiendi actui peccati permittendo ſe opprimi propter difficultatem renitentiæ voluntatis, dum nō facit quod poteſt ad euadendū,

Eadem

Eadem ratione licitum eſt viduæ occidere, ſi quis ei vim velit inferre. Hoc tamen non eſt negandum, quod ſi virgo, aut mulier nolit occidere, ſed quantum poteſt reluctetur, opus charitatis præſtat non occidendo aggreſſoré, quem iure poſsit occidere, modo mente à cõſentiendo in peccatum ſit aliena. Quæ enim inuita, & violenter oppreſſa patitur actum carnalem, virginitatem non amittit, vt docet Auguſtin. in d. cap. 5. de libero arbit. & lib. 1. de Ciuitate Dei, cap. 18. & exemplum eſt in S. Lucia. quæ dicebat, inuitam ſi me violaueris, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam. Quod exemplum refertur 32.q.5.in principio. Et ibidem per cap. ſequentia multa allegantur in eum ſenſum, quod virginitas corporis non poteſt amitti, ſine conſenſu voluntatis.

SEPTIMA QVAESTIO.

An de damno dato & iniuria teneatur occidens, mutilans, aut vulnerans in ludo.

ANTE reſolutionem memoria retinendum, quod ludus aut eſt licitus & permiſſus, aut illicitus & inhibitus. Deinde aut quis in ludo ex propoſito, ſiue dolo, vt iuriſperiti loquuntur, aut caſu & præter intentionem occidit, mutilat, aut vulnerat.

Prima Concluſio. *Qui in publicis certaminibus & ludis licitis & inſtitutis exercitij gratia, nec etiam ex ſua na-*

ſua natura periculoſis caſu, & non ex dolo, alium occiderit, aut vulnerauerit, non tenetur de damno dato, nec de aliqua iniuria. Hæc probatur ex cap. lator. de homicid. vbi ſic Alexan. III. Epiſcopo Exonien. ſcribit: Lator præſentium P. clericus nobis propoſuit, quod cum quadam die caſu cũ quodam clerico luderet: contigit quod ille proiecit iſtum ad terram: cuius cultellus quẽ ad latus ſecum habebat in alterum incidit, & fortuito caſu occubuit vulneratus. Idcoque mandamus quatenus ſi ita res ſe habuit: & alia iuſta cauſa non impedit prædictum P. liberè permittas ad ſacros ordines promoueri, & in L. Qua actione. §. Si in colluctatione. ff. ad l. Aquil. vbi decernitur, quod ceſſet actio legis Aquil. in eo qui in publico certamine aliquem occiderit, cum glorię & virtutis cauſa factum, & non iniuria damnum datũ cenſeatur, quod intelligatur, quando caſu factum & non de induſtria, vt clarius ibidem. L. Si ex plagis §. Cũ pila. explicatur: Conuenit & huic propoſito lex illa Platonis dialogo 9. de legib. quando ait: Si quis in certamine, publiciſque gymnaſijs, non ſponte, ſiue confeſtim, ſiue poſtea ex vulneribus ſecuta mors ſit, amicum hominem interfecerit: vel in bello ſimiliter, vel in exercitatione bellica magiſtratibus inſtituta, ſeu nudis corporibus, ſeu ad imitationem veri belli armatis, ſecundum legem à Delphico Apolline latam mundus ſit. His accedit communis Theologorum doctrina, quod dans

operam

operam rei licitæ, & caſu occidens, aut vulnerans non peccet, nec pœnam incurrat. S.Thomas 2. 2. q. 64. art. 8. Commentatores eius ibidem. Sotus de iuſt. & iur. lib. 5. q. 1. art. 9. Angel. in verb. Homicidiũ 2. Syluest. in eod. verb. & alij ibidem & alibi: & probatur ex illa auctoritate D. Auguſtini in ep. 154. ad Publicolam: Abſit, vt ea quæ propter bonum, aut licitum facimus, ſi quidem hoc præter noſtrã voluntatem quicquam mali acciderit, nobis imputetur. De huius concluſionis materia agunt iuris DD. Alberic. & Iaſ. in L. in executione. §. fin. ff. de verbor. obligat. Decius in conſil. 9. Marſil. in pract. criminali. §. Vlterius. à num. 9. qui plura pro hac concluſione allegat. Couarr. in relect. Clement. Si furioſus, part. 2. §. 4. num. 8. Menoch. de arbitr. iudic. qq. lib. 2. caſu 400. & alij alibi.

Secunda Concluſio. *Occidens, vel vulnerans in ludo illicito & natura ſua periculoſo, caſu, tenetur de dãno ſecuto.* Hæc concluſio quæ vt puto à nullo negatur, ſatis probatur ex illa regula, quod culpabiliter cauſam damni dans, damnum dediſſe dicitur, & omnis qui damnũ iniuſtè dat, tenetur ad damni reparationem, & ſatis aperta eſt concluſio ex cõmuni Theologorum regula, quod dans operam rei illicitæ, & ex natura ſua periculoſæ, ſi occidat, reus homicidij fiat, & in hoc caſu cõmuni etiam omnium ſententia definitum eſt, quod tum mutilans aut occidens etiam fiat irregularis, vt atteſtatur

Didac.

Didac. loco cit. num. 9. & docent Ancharan. & Franc. cap. fin. de homic. in 6. Sotus vbi ſupra. Alphonſ. Caſtren. lib. 2. de poteſt. leg. pœnalis, cap. 14. & alij, & probatur ex multis cap. iuris canonici in tit. de homicid.

Tertia Concluſio. *Qui in ludo publicè permiſſo data opera alium interficit, aut vulnerat, ſeu mutilat tenetur de damno ſecuto.* Probatur ex Gloſſ. in L. Qua actione. §. Si in colluctatione. ff. ad leg. Aquil. per L. Sed etſi quæcunq; & in L. Item obſtetrix §. fin. ff. eod. Ratio etiam euidens eſt. Talis enim iniuſtè cauſam damni dat. Ergo ad eius reparationem meritò tenetur.

OCTAVA QVAESTIO.

An iniuriam committat, & ad quid teneatur qui pudore, aut ſtupro virginem afficit?

QVONIAM ad iniuriam corpori illatam aliqui referunt violationẽ virginitatis, hoc in loco breuibus hæc quæſtio tractanda, quæ non raro in praxi ſuum obtinet locum, pro reſolutione ſit.

Prima Concluſ. *Iniuriam facit, & iniuriarũ actione tenetur attentans pudicitiã alicuius, ſiue qui attẽtat aliquã pudicã reddere impudicam.* Hæc concluſ. probatur ex L. Sed eſt quęſtionis §. Si quis tam fœminam quam maſculum. L. attentari. & L. Item apud Labeonem. §. Si quis virgines. ff. de iniuriis. Vnde infertur à Gratiano de pœnit. d. 1. cap. Si quis tam fœminam & ita tradunt Iuriſperiti in prædictis ll. & DD. de

DD. de pœnit. in d. cap. Si quis tam fœminam. Attentari auten ex d. L. attentari pudicitia dicitur: cum id agitur, vt ex pudico impudicus fiat. & obſeruandum ex d. L. Item apud Labeonem. §. Tenetur. & §. ſeq. quod quis etiam iniuriarum tenetur, qui virginem appellauerit aſſectatuſque eſt. Appellat autem ſecundum text. qui blanda oratione alterius pudicitiam attentat. Aſſectatur autem qui tacitus frequenter inſequitur. Concluſio eſt intelligenda iuxta d. §. Si quis virgines & DD. ibidem de eo qui attentat pudicitiam eius, quā reperit in veſte honeſta & graui, & non in meretricia & leui. Hinc ibidem annotant iuriſperiti ex d. §. quod ſi quis percutiat clericum in veſte ſeculari modo non cognoſcat clericū, non eſt excommunicatus; vt etiam communiter canoniſtæ tradunt. Ex dictis ll. & cap. Si quis tam fœminam. de pœnit. d. 1. annotat Martinus Nauarrus ibidem num. 2. argumentum pro nobili quadam Romana quæ ſolea ſua in Eccleſia quendam nobilem in faciem grauiter percuſsit, eo quod ei in eccleſia oranti ſignifiauit ſe carnali eius amore teneri. Et item pro alia quadam monacha nobiliſsima hiſpana, quæ in monaſterio quodam illuſtriſſimo quendam nobiliſsimum alapa percuſsit, eo quod eam appellaſſet formoſam. Talis autem iniuria punienda & corrigenda eſt iuxta arbitrium prudentis iudicis qui conſideratis circumſtantijs rerum & perſonarum, id determi-

determinabit quod legibus, rationi, & moribus congruum fuerit.

Secunda Concluſio. *Qui virginem deflorauit, aut ſtupro affecit, quæ ſe obtulit vltro, aut leuiter rogatâ conſenſum præbuit, in foro conſcientiæ ad nullam reſtitutionem, aut damni reparationem ei tenetur.* Hanc tenent, S. Antonin. 2. part. tit. 6. cap. 6. §. 1. Angel. in verb. Stuprum. num. 2. Sylueſt. in verb. Luxuria. q. 5. Nauarr. in manuali confeſſ. cap. 16. à num. 16. Petrus à Nauarra Toletanus Theologus in lib. 2. de reſtitutione. cap. 3. num. 434. & alij communiter alibi. Verum tamen eſt, quod nouiſsimè Barthol. Medina in ſumma ſua lib. 1. cap. 14. tenuit, vt eum refert Petrus à Nauarra, in hoc etiam caſu damnum eſſe reſtituendum, & teneri eam ſtupratorem vxorem accipere, ſed hæc doctrina falſa eſt; nec vlla firma ratione munitur. Pro intelligentiâ concluſionis notandum cum S. Thoma. 2. 2. q. 154. art. 6. S. Antonin. loco cit. & alijs quod ſtuprum variè accipitur à DD. Aliquando enim adulterium, quandoq; omnem luxuriam, & magis propriè virginis deflorationem ſignificat, in qua ſignificatione in concluſione accipitur & in præſenti q. Concluſio probatur. Scienti & ſponte conſentienti non fit iniuria, nec dolus, cap. Scienti, de reg. iuris in 6. Huic additur quod lex quæ obligat ad ſoluendum aliquid ei; quæ deflorata eſt, intelligitur de decipiente, cap. 1. de a-

dulit. *Dubium autem hic eſſe videtur. an in caſu huius concluſionis aliqua reſtitutio vel recompenſatio ſit patri virginis ſic violatæ facienda?* S. Thomas. 2. 2. q. 154. art. 6. ad tertiũ tradit quod patri virginis etiam aliqua iniuria, quando filia adhuc ſub eius cura eſt, irrogetur. Hac doctrina S. Thomæ moti. S. Antonin. Syluest. Nauarr. & alij quidam recentiores cẽſent quod teneatur ad placandũ patrem, & ad ſatisfaciendum pro iniuria illata. Petrus à Nauarra in d. cap. num. 458. putat quod in hoc caſu nulla reſtitutio etiam parenti faciẽda ſit, & pro ſua ſententia allegat Sotum l. 4. de iuſtit. & iure q. 7. art. 1. ad 2. & Speculum coniugiorum, 2. part. art. 19. ad finem. Reſpõdet vero ad doctrinã S. Thomæ, quod licet fiat aliqua iniuria parenti, tamen non eſt ſpecialis iniuſtitia, cum ipſa ſcilicet violata ſit vera domina ſui corporis, & nuptiarũ iacturã pati poſſit, ſi velit & ita nulla eſt reſtitutionis obligatio: & ſic S. Tho. & etiam Caiet. ibid. nihil de reſtitutione locuti ſunt, ſed tantum dixerunt fieri parenti, vel curatori iniuriam, ſub cuius cura eſt. Quando autẽ puella grandæua eſt, & ſub nullius cura degit, hęc dubitatio non habet locũ, tum enim nulla fit iniuria parenti, aut curatori, & ſic nihil reſtituendũ eſt. Et certe hæc poſtrema ſententia tenenda videtur, quæ enim pœnalia ſunt, non ſunt extendenda ſine firmo fundamento. Nõ eſt autem vllus textus qui arguat patri aliquid reſtituendũ eſſe: nec etiam ratio aliqua cogit.

Si quis

Si quis obijciat illud Deut. 22 allegatum à D. Thom. Si inuenerit vir puellam virginem quæ non habet ſponſum: & apprehédens côcubuerit cum ea, & res ad iudicium venerit, dabit qui dormiuit cum ea, 50. ſiclos argenti, & habebit eam vxorem, & quia humiliauit eam non poterit dimittere illã cunctis diebus vitæ ſuæ. Reſpõdetur cum DD. hoc præceptum eſſe iudiciale, ideoque nunc nullam obligationem inducere, niſi de nouo acceptetur ſtatuto, lege, aut conſuetudine.

Tertia concluſio. *In foro exteriori qui virginem violauit quæ vltro ſe obtulit, aut leuiter rogata in carnis actum conſentit, tenetur dotare, & in vxorem accipere.* Hanc tenent DD. in cap. 1. & 2. de adult. Nauarr. loco cit. & eſt communis opinio: Quia in foro ſtari decepta præſumitur. Si autem probationes in contrarium eſſent, quæ talem præſumptionẽ tollerent, ſine dubio violans ad nullam ſatisfactionem poſsit compelli: Cum illa cap. 1. & 2. de adult. intelligantur de decipiente & doloſe violante.

Quarta Concluſio. *Qui importunis precibus aut falſis promiſsionibus aut alio dolo virginem deflorauit, tenetur in conſcientia ſi violata ad recõpenſationem omnium damnorũ quorũ cauſa eſt tantum defloratio,* Hanc communiter tradunt DD. nec poteſt in ea dubitari. Quia talis contra iuſtitiam cauſam damnorũ dedit. Ergo obligatur etiã ante omnẽ ſententiã in côſcientia ad reparationẽ.

Tenetur ergo ſic violans in conſcientia aut ad ducendum in vxorem, aut ad componendū tali modo, vt rationabiliter contentam reddat.

Quinta Concluſio. *Qui virginem ſeducit, & deflorat, in foro exteriori tenetur eam dotare, & in vxorem ducere.* Hæc probatur ex cap. 1. de adult. & communi ibidem & ſummiſtis loco cit. Intelligenda autem concluſio alternatiuè, non quidem quod præciſè teneatur ad ducendum puellam in vxorem, ſed aut ad ducendum, aut dotandum. Ita enim in praxi ſeruatur vt aliorum teſtimonio confirmat Iulius Clarus lib. 5. ſententiarum. §. Stuprum. num. 3. & hoc æquitati & rationi conuenit, ne quis contra propriam voluntatem cogatur aliquam in vxorem ducere quam odit, aut erga quam non afficitur. Quandoquidem matrimonia debent eſſe libera, nec pœna, aut metu aſtringi quis ad ea debet cap. Gemma. de ſponſalib. & L. Titia. in princip. ff. de verbor. obligat. & inuitæ coactæq; nuptiæ triſtem habent exitum cap. 2. de ſponſal. Conſtituenda autem dos eſt iuxta Gloſſam communiter receptam in d. cap. 1. de adult. ſecundum conſuetudinem loci & regionis ac dignitatem puellę, necnon facultates patris puellæ qui alias ad dotádum tenetur. Quod ſi autem is qui virginem violauit, neget puellam fuiſſe virginem eo tempore quo cum ea concubuit, ipſa vero affirmet, probatio neganti incumbit non affirmanti,

manti,eo quod ipſa in dubio præſumatur virgo, vt communiter DD. tenent, teſte Panormit. in d. cap. 1. num. 5. & hoc maximè verũ quando pro virgine habetur, atq; in honeſto habitu virgini conuenienti incedit per arg. in L. Item apud Labeonem §. Si quis virgines. ff. de iniurijs, & quilibet bonus præſumitur, donec contrarium probetur. Gloſſ. L. Omni modo C. de inoffic. teſtam. Et etiam ratione delicti onus probandi transfertur in deſloratorem. Panormit. in d. cap. Tandem obſeruandum quod quando in foro exteriori violator virginis alternatiuè compellitur, aut ad dotandum; aut ad ducendum in vxorem, optio talis pœnæ non eſt in iudice, ſed in eo qui virginem vitiauit, per doctrinam qua aſſeritur, quod quando multa remedia, aut pœnæ alternatiuè à iure & lege producuntur, optio elegendi non iudici ſed parti defertur. Panormit. in cap. Inter cæteras, num. 5. de reſcript. Idem in cap. Prout. de dolo & contum. per text. ibidem. Bartol. cum textu in L. Conſentaneum, num. 16. C. Quomodo & quand. iudic. Quod maximè veritatem obtinet, quando verba legis diriguntur ad reum, vt communiter DD. ſentiunt, prout poſt Ripam in d. cap. Inter cæteras, num. 65. atteſtatur Iulius Clarus lib. 5. ſentent. §. fin. practicæ crimin. q. 85. num. 6. Atque illud cap. 1. de adult. cum ſequent. pœnale eſſe quantum ad aſsignationem dotis, & ducendá deſloratá DD. tradunt.

S. Antonin. 2. part. tit. 5. cap. 6. §. 1. Ioann. Bernard. in praxi criminali, cap. 77. Nauarr. in manuali confeſſ. cap. 16. num 17. Couarr. in 4. decret. de ſponſalibus & matrimoniis, part. 2. §. 8. numero 19. de contrahentibus inceſtas nupt. Petrus à Nauarra loco cit. & alij alibi. Vnde inferunt, hanc pœnam non eſſe debitam in foro conſcientiæ donec à iudice imponatur. Lex enim pœnalis non obligat ante condemnationem iuxta Gloſſ. ſingularem & receptam in cap. Fraternitas, 12. q. 2. Ex huiusconcluſionis radice ſequitur rectè illud à Panormitano traditum in cap. 2. de adult. Quod ſi clericus in maioribus, virginem decepit, cum eam in vxorem non poſſit ducere, tenetur eam dotare, eique ſatisfacere pro verecundia & iniuria illata.

Sexta Concluſio. *Quando violata renuit ipſum violatorem ducere; aut parens violatæ non conſentit, tunc ſeductor virginis tenetur ad dotandum.* Concluſio eſt aperta ex d. cap. 1. & communi ibidem.

Septima Concluſio. *Si ſtupro affecta non repetat in iudicio ſuæ iniuriæ recompenſationem, antequam aut ipſa alteri nupſerit: aut violator aliam duxerit, actio eius inualida redditur, & extinguitur & ſuo iure priuatur.* Hanc ponit Damhauder. in rerum criminalium praxi, cap. 92. numero 7. Quia in eo caſu ſtuprator deſtituitur optione eligendi alterutram partem pœnæ, & hic locus eſſe non poteſt determinationi deciſionis d. cap. 1 ... de adult.

Octaua

Octaua Concluſio. *Qui acceſsit ad eam, atque carnaliter cognouit, quæ in populi fama virgo habebatur, ſed in veritate talis non erat, ſi occulte id fiat, & ſecluſa fraude ad nullam tenetur reſtitutionem, aut damni recompenſationem in conſcientia.* Hæc eſt omnium ſententia, vt teſtatur Petrus à Nauarra vbi ſupra, numero 448. & eam tenent Ioan. Maior in 3. ſentent. d. 37. q. 33. vt eum allegat & ſequitur Nauarr. in manuali confeſſar. cap. 16. numero 19. Franciſcus Cordub. lib. 1. qq. q. 13. & Petrus à Nauarra. Ratio eſt. Talis enim in nullo damnum aut iniuriam fecit. Ergo non eſt locus recompenſationi. Aliter tamen Nauarr. Maior, & Cordub. putant, quando virginis fama ex tali actu læderetur vtpote quando in hominum notitiam, res deducta foret: tunc enim teneretur ad damni illati recompenſationem: arbitrio boni viri: cum ſuo actu cauſa fuerit illius infamiæ. Petrus à Nauarra hanc poſtremam illorum DD. doctrinam moderatur, ita quod ſi ipſa voluntariè conſenſit, vel ſe obtulit non teneatur ex iuſtitia: Cum famam vel matrimonium futurum iniuſtè non abſtulerit. Ipſa enim ſibi imputare debet tale damnum: Secus eſſet, ſi culpa viri ipſa patitur infamiam, vt quia illa occultè, & in loco tuto conſenſit: alter vero ſe iactans, vel alia via rem manifeſtans, infamię cauſa fuit. Tum enim iniuſtus eſt dãnificator, & tenetur prouidere de

dote, vel alia via ſatisfacere, ad quod alius quicunque famæ proditor teneretur: Verũ ſi illa famã amiſit ſua culpa vtpote quia aliquo actu cauſam dedit, vt ſua turpitudo in notitiam deueniret, is qui eam carnaliter cognouit, nec ei iniuriam fecit ea fruendo, cum ipſa ſpõte conſenſerit, nec infamando: cum eadem cauſam infamiæ dederit. Vnde nec locus eſſe poteſt reſtitutioni.

Nona Concluſio. *Qui iniuſtè virginem defloravit, quæ æquè benè nupſit, ac ſi deflorata non eſſet, nec vllum ex amiſſæ virginitatis flore damnum patitur, non tenetur ad aliquam recompenſationem, aut reſtitutionem pro fractione ſignaculi virginalis.* Hanc docent Corduben. in q. d. dicto 4. Nauarr. loco citat. Petrus à Nauarra vbi ſupra, num. 451. qui & allegat in eandem ſententiam Didacum Perez ſuper titul. 15. lib. 8. Ordinat. Ratione confirmatur. Vt in ſuperioribus probatum eſt, vulnerans ratione cicatricis, aut deformitatis non tenetur ad vllam pretij ſolutionem, aut recompenſationem, vt communis opinio ſentit, quam ſupra q. 3. concluſ. 5. explicauimus. Ergo ratione ſignaculi fracti præcisè nemo etiam tenetur ad reſtitutionem: Cum id etiam ſit quiddam corporale, quod pretio æſtimari non poteſt. Nunc agendum reſtat hoc loco de iniuria verbali.

NONA

NONA QVAESTIO.

Quomodo & quibus modis iniuria verbalis committatur?

AD plenè perfecteq; cognoſcendam naturam iniuriæ verbo illatæ, quæ longè lateq; tam in foro conſcientiæ, quam exteriori extenditur, aliqua ſunt præcognoſcenda, ne non cognitis & præhabitis fundamentis, infirma & confuſa cognitio ſequatur.

Primum. *Iniuria verbalis dicitur, quando aliquid turpe improperatur alteri.* Bartol. in L. Item apud Labeonem. §. Ait Prætor. ff. de iniur. Bald. & DD. in l. 3. in Principio, ff. de liber. & poſth. Alexand. Bald. & alij in L. Turpia de Legat. 1. Azo in ſumma. C. de infam. Angel. in tract. malefic. circa verba illa: Verba contumelioſa & iniurioſa. Imò ad latiorẽ explicationem rei verbum iniurioſum deſcribere poſſumus, ex d. L. Item apud Labeonem. §. Sed, quid adijcitur, quo aliquid improperatur quod bonis moribus aduerſatur, quodq; ad infamiam, vel ad iniuriam, vel ad inuidiam alicuius ſpectat.

Secundum. *Hæc ſunt peccata verborum præcipuè, ſi clare diſtinguere volumus ex Theologorum doctrina, ad quæ iniuria verbo expreſſa extra iudicium reuocari poteſt.* ex S. Thom. 2. 2. à q. 72. per ſeq. &

cōmentatoribus ibid. Soto de iuſtit. & iur. l. 5. à q. 9. vſq; ad finem lib. Nauarr. in manuali cōfeſſ. cap. 18. Petro à Nauarra in tract. de reſtitut. lib. 2. cap. 4. num. 63. & Summiſtis in ſuis verbis proprijs. Contumelia, Conuitium & Improperium, Detractio, Suſurratio, Deriſio & Maledictio.

Tertium. *Vt horum peccatorū natura plenè perſpiciatur ſingula ſunt definitione, aut deſcriptione explicanda.* Cōtumelia eſt quando improperatur in pręſentia malū culpę alicui vt quod ſit fur, aut latro. Huic concordat & text. in l. 1. ff. de Iniurijs. Contumelia autem ſecundū quoſdā deriuatur à contumeo, eo quod contumeliofus tumēs & turgenti animo inflatus ſit. Vlpianus autē in d. l. 1. vult contumeliā dici à contemnendo. Conuitiū autem latius accipitur, quando alicui obijcitur malū culpę, aut pœnæ, ſiue etiam defectus naturæ, vt ſi aliquis nominetur ab aliquo fur, vel cœcus. Conuitiū autē ſecundum Labeonē in L. Item apud Labeonē. §. Ait Prætor: dicitur à concitatione, vel à conuentu, hoc eſt à collatione vocū: eum in vnum quam plures voces cōferuntur, conuitiū quaſi cōuociū nominatur: vel conuitiū dicitur à materia, eo quod vitiū imponitur, vel quaſi vitiū ſecūdum Alexand. Alen. 2. par. q. 145. mēb. 1. Improperiū autē eſt quando aliquis repræſentat alicui defectū minorationis, ſiue indigētiæ: tū enim derogat honori cōſequenti quamcunq; excellentiā, & hoc propriè contingit, quando

quis

quis alteri iniurioſe ad memoriã reducit auxiliũ collatũ tempore neceſsitatis. Verum tamen eſt quod iſta nomina frequẽter cõfundantur, & vnũ pro alio ſumatur, quod pręſertim locũ habet in cõtumelia & cõuitio. Prædictã diſtinctionẽ inter contumeliã conuitiũ & improperiũ, annotarunt Alenſis loc. d. D. Thomas 2.2. q. 72. art. 1. ad nũ. 3. & poſt eum S. Antonin. in 2. part. tit. 7. cap. 6. Angel. Sylueſt. & alij in ſũmis. verb. Contumelia & paſsim alibi. Detractio eſt denigratio alienę famę per occulta verba. Suſurratio eſt quando quis occultè obloquitur alicui, vt amicitiam diſſoluat ab altero. Hinc grauius peccatũ eſt contumelia & detractione; quia amicitia quæ per ſuſurrationem tollitur maius bonũ eſt, quam honor & fama quæ per contumeliã & detractionẽ læduntur. Deriſio eſt quãdo aliquis malũ vel defectũ alterius ludo, vel riſui exponit, vt erubeſcentia, vel rubore ſuffundatur. Hæc etiã ad iniuriam refertur, quãdo intẽtio eſt mordere & lacerare famã aut honeſtatẽ proximi, & rei paruitas non excuſat. Irriſio etiã non raro ſub ironia tegitur, vt ſi quis deformẽ pulchrũ, luxurioſum caſtũ appellet. Maledictio vt hic de ea agimus, eſt imprecatio ſiue exoptatio alicuiꝰ mali notabilis proximo facta ſub ratione mali ex intẽtione ꝓcedens. Quæ deſcriptio colligitur ex doctrina S. Tho. 2.2. q. 76. art. 1. & eã ãplectuntur S. Antonin. 2. par. tit. 7. cap. 5. Angel. Sylu. & alij in verb. maledict. Dominic. à Soto l. 5. de iuſtit.

de iuſtit.& iure,q.12.art.1. Nauarr. in manuali confeſſar.cap.23.nũ.117. Maledictio autem nomine blaſphemiæ etiã quãdoq; ſignificatur, vt colligitur ex D. Gregorio l. 31. moraliũ. cap. 31. vbi blaſphemiam filiabus iræ annumerat, & id D. Antonin. loco cit. obſeruat. Poteſt tamen in hoc ſenſu etiam blaſphemia referri ad contumeliam auctore D. Thoma, 2. 2. q. 158. art. 7. in corp. verſus finem. Hinc intelligitur ſenſus illius quæſtionis quam aliqui iuriſperiti mouent: an verba blaſphemiæ ſpectent ad iniuriam verbalem, ſiue ad verbum iniurioſum. Bartol. in L. Item apud Labeonem. §. Ait Prætor numero 5. Angel. ab Aretio in tract. Malefic. in verb. Verba contumelioſa & iniurioſa, §. Quid autem ſi non dixit verba contumelioſa. Ioan. de Anania in cap. Statuimus. col. 11. verſu. In ea gloſſa in fine, vbi habetur quod in dubio, &c. de maled. Damhauder. in praxi criminali, cap. 136. num. 5. Reſpondet Bartol. & poſt eum alij: quod blaſphemia ſit verbum iniurioſum, quia dicitur contra mores ciuitatis ad inuidiam eius, de quo loquitur, cum optet malum in futurum propter inuidiam quam in animo gerit. Addit tamen Angel. de verbo blaſphemiæ, in noſtra ſignificatione, quod blaſphemare eſt verbum iniurioſum, de iure, ſed non haberet locum in ſtatutis, vbi verba iniurioſa & contumelioſa punirentur noua pœna, cum ſtatuta intelligantur in verbis proprijs, & blaſphemare

mare non ſit proprie dicere verbum iniurioſum, aut contumelioſum. Intellige autem maledictionem ſeu blaſpemiam in hoc ſenſu, quando aliquis proximo mala & dira imprecatur, vt precor malam crucem, vellem te patibulo alligatum, &c. Verum Damhauderus rectè obſeruat de his & ſimilibus verbis iura nullam ſtatuere pœnam, cum nihil aliud ſint, quam leuia & futilia verba quæ non admodum grauiter alterum lædunt, & ſic etiam vſus nunc obtinet, vt non agatur contra proferentem talia verba. Subiungit tamen idem auctor, quod ſi ſic iniuriatus ſuo iniurianti alapam impingeret, aut ſimul ex commotione aliud conuitium (intellige leue) regereret, vtcunque excuſandus eſſet, aut certè leuius puniendus.

Quartum. *Quoniam inter peccata & iniurias verborum contumelia ſiue conuitium, & detractio principalem obtinent locum, de his latius differendum.* Atque ſic in primis hæc differentia annotanda ex S. Thoma. 2.2. quæſtio 73. art. 1. & art. 4. ad primum Caietan. ibidem ſuper art. 1. q. 72. S. Antonino. 2. part. tit. 8. cap. 4. Angel. in verb. Detractio, & alijs communiter alibi, quod contumelia fiat in præſentia eius, cui infertur & in publico. Et licet quandoque contumelioſus in abſentia defectum alicuius aperiat, tamen eius intentio eſt, vt ad notitiam contumelia affecti deueniat. Detractio autem vt plurimum in abſentia & in occulto,

ſicuti etiam furtum, vt colligitur ex cap. 1. de maledicis. Hinc rectius intelligitur text. in §. Sed quod adijcitur. L. Item apud Labeonem. ff. de iniurijs. & in L. Siquidem C. eod. tit. quibus declaratur conuitium, hoc iniuriam verbalem, (pro eodem hæc late accipiuntur) non tantum in præſentia iniuriati, ſed etiam in abſentia committi. Quod etiam Panorm. Ancharan. & alij canonum DD. annotant in d. c. 1. de maledict.

Quintum. *Contumelia & Detractio principaliter & per ſe in obiecto differunt.* Contumelia enim eſt verbalis iniuria, quæ cõmittitur contra honorem proximi. Detractio anté circa læſionẽ & detrimentum famæ verſatur, vt cõmuniter DD. ſentiunt. S. Tho. 2. 2. q. 73. art. 1. & alibi. S. Antonin. & Angel. vbi ſupra. Sylu. & Aurea Armil. in verb. Cõtumelia, & Detractio. Sot. l. 5. de iuſtit. & iur. q. 9. art. 1. & q. 10. art. 1. & alibi. Mart. Nauarr. in cõmentario, cap. Inter verba. 11. q. 3. concluſ. 6. num. 3. & 4. & in manual confeſſ. cap. 18. & num. eod. Petrus à Nauarr. lib. 2. de reſtitut. cap. 4. & alij alibi. Et quoniam quis ex intentione poteſt in duplex obiectum, honorem ſcilicet & famam, verbum iniurioſum referre, nihil impedit, quo minus vnico actu duplex peccatum contumeliæ & detractionis queat committi, vt exempli gratia, ſi quis in præſentia vocet aliquem concubinarium animo inhonorandi, & etiam

etiam infamandi, prout Nauarr. in d. num. 3. cap. inter verba, annotat. Atque vt hæc differentia melius intelligatur quantum ad præſens inſtitutum neceſſarium eſt, obſeruandum, honorem & famam etiam differre. Honor enim eſt teſtimonium excellentiæ, quæ eſt in homine, maximè propter virtutem iuxta D. Thomam, 2. 2. q. 103. art. 1. S. Antoninum in 4. part. cap. 10. §. 1. Sotum in d. libr. 5. q. 9. art. 1. & in releꝺt. de ratione tegendi & detegendi decretum, memb. 1. q. 3. in concluſ. 4. Nauarr. in d. commento concluſ. 4. numero 5. & alios. Vnde clarum redditur quod honor conſiſtat in exterioribus, aut verbis, aut in factis: Quia quantum ad homines, vt rectè D. Thomas ait, aliquis non poteſt teſtimonium ferre niſi per aliqua ſigna exteriora, vel verborum puta cum aliquis ore pronunciat excellentiam alicuius, vel factis ſicut inclinationibus, obuiationibus, & alijs exterioribus ſignis. Et cum contrariorum eadem ſit diſciplina, hinc contingit, quod contumelia ad inhonorandum tendens etiam non ſolum in verbis, ſed etiam in factis, quatenus eandem rationem ſignificandi habent, licet rarius locum habeat iuxta illud Gloſſæ ad Romanos 1. ſuper illa: contumelioſos, ſuperbos, &c. Relatum à D. Thoma in d. q. 72. art. 1. quod contumelioſi ſunt, qui dictis, vel factis, contu-

melias

melias & turpia inferunt. Fama autem etſi in genere ſumatur pro omni eo quod de aliquo diuulgatur, tamen in præſenti in bonam partem accipimus, & ſic in L. Cognitionem. §. Exiſtimatio. ff. de varijs & extraord. cognit. à iuriſconſulto definitur: Fama eſt illæſæ dignitatis ſtatus, vita & moribus comprobatus, & in nullo diminutus. Clarius tamen ſecundum aliorum ſententiam ſic definiri poteſt, quod ſit clara notitia, & bona exiſtimatio quã alij de nobis habent. Sæpè tamen hæc ſolent confundi, quemadmodum & alia honoraria bona. Non tamen id prætereundũ, quod honor ſiue bonum nomen omnium bonorum externorum ſit præſtantiſsimum iuxta illud prouerb. 22. Melius eſt nomen bonum quam diuitiæ multæ, & aliud Liuij lib. 3. Dec. 3. Famæ damna maiora ſunt quam vt ęſtimari poſſint. Eam ob cauſam Ethnici quidam, & Romani olim gloriam famamque ardentiſsimè dilexerunt, & propter hanc viuere voluerũt, & pro ea mori non dubitarunt, vt teſtis eſt D. Auguſtin. lib. 5. de Ciuit. Dei. cap. 12. Cuius ſententiæ etiam fortaſſe fuerunt, vt etiam Nauarr. in d. c. Inter verba, concl. 4. num. 24. indicat, iuriſconſulti Paulus & Scęuola: hic in L. Codicillis, §. matre, ff. de Leg. 2. dum approbare videtur adulterium vxoris marito peius eſſe morte: Ille in L. Iſti quidem. ff. Quod metus cauſa. dum in eam opinionem deſcendiſſe viſus eſt, quod infamia peior ſit

morte,

morte, licet etiam aliter ad has ll. Nauarr. reſpondeat. *Dubitari tamen poteſt in hoc loco.* An Chriſtiano liceat propter honorem vitam periculo exponere: Siue vt melius intelligatur. Vtrum fama ſit præferenda bonis corporis? Gabriel in 4. d. 15. q. 16. ait quibuſdam videri quod fama præferenda bonis corporis. Petrus à Nauarr. lib. 2. de reſtitut. cap. 4. illam opinionem attribuit ex mente Gabr. ſuper canonem miſſæ. Lect. 74. in litera P. Richardo & Lyræ in cap. 18. Math. Et illius ſententiæ etiam videtur Aurea Armilla, in verbo, Detractio, numero vlt. Sed dictus Auctor non rectè perpendit dicta Gabrielis, qui non Richardo & Lyræ hanc ſententiam attribuit, ſed eorum dicta in ſanum & rectum ſenſum interpretatur: Quicquid autem ſit. Veritas hæc eſt, quod fama non ſit præferenda vitæ & bonis corporis: Huius ſententiæ eſt Auguſtin. loco cit. & ibidem cap. 14. Vbi reprehendit Sçæuolas, Curtios & Decios, qui potius mortem quam vitam cum dedecore, & ignominia eligendam duxerunt. Atque hanc veritatem docent Gabr. Nauarr. Petrus à Nauarra loco cit. S. Thom. 2. 2. q. 73. art. 3. in corp. Caietan. ibidem ſuper art. 2. prope finẽ, & communis Theologorum ſententia. Ratio eſt clara. Maius bonum eſt minori ſecundum rectam rationem præferendũ, ſed vita & corporis bona ſunt maiora quam exteriora ſcilicet honor, & diuitiæ. Ergo ſunt iſta his præfe-

renda. Maior certa & clara eſt: Minor etiam recepta eſt ab omnibus Theologis,& eam docent S. Thom. in d. art. 3. Gab. Nauarr. & alij, vbi ſupra. Sotus de ratione tegendi & detegẽdi, memb. 3. q. 4. & alibi. Sed pro huius rationis meliori notitia reducendum in mentem tria eſſe bonorum genera iuxta doctrinam S. Thomæ 2. 2. q. 73. art. 3. ab alijs receptam. Primum genus bonorũ animi,ſub quo continentur ſcientiæ,virtutes,&c. Et illa bona præſtant bonis corporis,quemadmodũ etiã anima prę-ſtantior corpore eſt. Secundũ eſt bonorũ corporis, vt vitæ, mẽbrorum, firmæ valetudinis, &c. Et hoc cum ſit intimũ homini, & fundamentũ cæterorum externorũ, eis etiam excellentius eſt. Tertium eſt bonorum exteriorum, vt honoris,famæ,pecuniæ,&c. Et hoc in duo mẽbra diſtingui poteſt iuxta quorundam doctorũ mentẽ ita vt bonorum externorũ quędã ſint honoraria, vtpote honor, fama, gloria, laus &c: alia fortunę & diuitiarũ temporaliũ. Bona honoraria ſinę cõparatione ſunt digniora bonis temporalibus. Melius eſt nomen bonũ quã diuitię multę Pouerb. 22. Et cura habẽda eſt de bono nomine, magis enim illud permanebit, quã mille theſauri magni & prętioſi. Tandem quoniã ex quorundã tam Chriſtianorũ quam Ethnicorũ dictis ſimplicibꝰ apparere poteſt; ꝙ potius mors appetẽda, quã turpis & ignominioſa vita cõſeruanda ſit, talia dicta in ſanũ ſẽſum interpretanda ſũt, vt ſignificẽt potius peccatum

catum, à quo infamia & turpitudo oritur, vitandũ, quã mors honeſta fugiẽda quæ virtutẽ decoratur: Nemo enim dubitat, poſſe quẽ pro virtute, & fide cũ gloria mori: Cum virtus vt dictũ eſt, ſit prẹſtantius bonum vita. Hinc merito Eleazar. 2. Machab. cap. 6. cõmendatur, ꝙ glorioſam mortẽ magis quam odibilẽ vitam amplectabatur: Ad quod ꝓpoſitũ Alberic. L. Iſti quidẽ, ff. quod metus cauſa; quando textus innuit; quod vir & fœmina honeſta potius debent mortem ſubire, quam in ſtuprum vel adulterium conſentire, colligit quod homo potius mortem debet oppetere, quam peccatum mortale committere.

Sextum. *Quod ex præcedẽtibus infertur, cæteris paribus maxima eſt iniuria quæ bonis corporis infertur, & in hac etiam eſt gradus.* Quædam enim infert dãnũ irreparabile, vt quando mors iniurioſè infertur, aut mẽbrum mutilatur. Alia reparabili dãno afficit: vt vulneris incuſsio, alapẹ in faciẽ percuſsio, atq; ex hoc capite ꝓcedit quod homicidiũ grauius ſit peccatũ detractione, & alijs quæ honorẽ & famã lẹdunt, vt tradit S. Tho. 2. 2. loco cit. Prior cum maius bonum tollat eſt grauior ſecunda. His corporis iniurijs ſuccedit in grauitate verbalis, quæ excellentiſsimum bonũ poſt corporis dona, aut lædit aut tollit, ſcilicet honorẽ & famam hominis. Fama enim inæſtimabilis eſt, L. Si in duabus, ff. de regula iuris. Cui conſonat & illud Liuij ſupra relatum: Famæ damna maiora ſunt

quam vt ęſtimari poſsint. Vnde grauior & maior eſt famæ quam omniũ bnorũ temporaliũ & pecuniariorum iactura. argum. L. Iulianus ff. Si quis omiſs. cauſa teſtamenti. L. Seruorum, §. fin. ff. de pœnis: & cap. Deteriores. 6. q. 1. Nunc ad quæſtionis deciſionem deſcendendum eſt per concluſiones.

Prima Concluſio. *Verbis iniuria proximo irrogatur.* Eſt communis Theologorum & iuriſperitorum, illorum in locis allegatis, vbi agunt de peccatis verborum: horum partim in cap. 1. de maledicis, partim in tit. iuris ciuilis. C. de iniurijs. L. Si non conuitij, & alijs. & ff. eodem tit. L. Item apud Labeonem, & pluribus ibidem, & pleniſsimè ex ſequentibus conſtabit concluſio. Ratio etiam clara eſt. Verbis quis poteſt alium damno iniuſtè afficere in optimis bonis ſcilicet famæ & honoris. Sed hoc ſpectat ad iniuriam. Vt hæc concluſio altius intelligatur annotandum ex S. Thom. 2. 2. q. 72. art. 1. ad primum: quod quamuis verba quatenus ſunt naturalis ſonus, nullum alteri nocumentum inferant, niſi fortè grauando tenerrimum auditum, quando nimis altè & durè pronunciantur: in quantum tamen ſigna exiſtunt repræſentantia aliquid in notitia aliorum, ſic poſſunt damna inferre etiam in honore vel fama, &c.

Secunda Concuſio. *Ad iniuria verbalis ſubſtantiam requiritur intentio, ſiue animus iniuriandi:* vel alijs verbis: *iniuria non poteſt eſſe in verbis niſi adſit animus*

animus iniuriandi. Hæc probatur ex L. Si non cõuitij, C. de iniurijs. L. Illud relatum. ff. eodem tit. & hæc lex eſt canonizata 15. q. 1. cap. merito, §. Illud relatum. Angel. Salyc. Alberic. & alij in d. L. Si non conuitij: & DD. in d. L. Illud relatum. Bertrandus in conſil. 37. numero 2. part. 2. Alexander in conſil. 212. col. 3. lib. 2. Bald. in conſ. 230. incip. Omne factum. lib. 3. & in conſil. 443. incip. Coram vobis. lib. 4. Roman. in conſ. 96. incip. Super eo. Ioann. ab Anania conſ. 44. incip. In quæſtione Stabioti. Oldrat. in conſ. 53. incip. Conſueuit dubitari. numero 3. Decius conſil. 487. num. 13. & 15. Aymo Crauet. in conſ. 9. num. 35. & in conſ. 13. num. 2. & alij alibi. His congruit Theologorum doctrina, quam tradunt S. Thom. 2. 2. q. 72. art. 2. & poſt eum Angel. in verb. Contumelia. num. 1. Syluéſt. eadem verb. q. 2. Sot. l. 5. de iuſtit. & iur. q. 9. art. 2. concluſ. 1. & alij communiter, quod hoc diſcrimen inter peccata quæ in facto conſiſtunt, & ea quæ in verbis poſita ſunt, quod in illis prioribus genus ex ſolo obiecto perpenditur: in poſterioribus autem non niſi ex adiuncta ſimul intentione. Ratio fundamentalis optima à S. Thoma redditur. Verba enim in quãtum ſunt ſoni quidam non inferunt alijs nocumentum, vt nunc traditum eſt ex eodem D. ſed quatenus aliquid ſignificant. Significatio autem ex intentione, & interiori affectu procedit. Ideoque in peccatis verborum ma-

ximè conſiderandum videtur ex quo affectu aliquis verba proferat. Vnde in d. L. & §. Illud relatú, ſubiungitur: Cum enim iniuria ex affectu facientis cóſiſtat: conſequens erit dicere hos (intelligit furioſú & impuberem) ſiue pulſent, ſiue conuitium dicant, iniuriá feciſſe non videri. Ex hac cóclusione infertur cú S. Tho. Angel, Syluest. & Soto locis citatis, & S. Antonino in 2. part. tit. 7. cap. 6. & alijs alibi, quod quando ſuperior correctionis gratia cóuitiú, aut contumeliá dicit, non iniuriatur, nec peccat: Quia non eſt animus iniuriandi, ſed corrigendi. Et ſicut licitum eſt aliquem verberare, vel damnificare in rebus temporalibus cauſa diſciplinæ: ſic etiam licet verbis ad eundem effectum corrigere; Sic Dominus ad diſcipulos euntes in Emaus. Luc. vlt. dixit. O ſtulti & tardi corde ad credendú, & Paulus ad Gal. 2. O inſenſati Galathæ, quis vos faſcinauit Euangelio non obedire. Obſeruant tamen Theologi in locis cit. poſt D. Auguſtin. de ſermone domini in monte, lib. 2. cap. 30. raro & ex magna neceſsitate obiurgationes huiuſmodi eſſe adhibédas, in quibus nó nobis ſed vt domino inſeruiatur, inſtemus. Id tamen memoria tenédum ex D. Thom. Angel. & alijs vbi ſupra, vt homo moderatè talibus verbis vtatur, etiamſi non intendat inhonorare maximè quádo verba ex ſua natura conuitiú, aut contumeliá graué ſignificant, & eius honoré contra qué proferuntur, notabiliter lędunt; Quia in his poſſet

quis

quis mortaliter peccare, etſi non intẽderet dehonorationem alterius. ſicut etiam percutiens aliquẽ in ludo incautè agendo, ſi grauiter lædat culpa non caret. Deinde ex radice eius cõcluſionis eruitur, quod verba ioci, aut riſus gratia prolata non ſunt peccata, nec iniuriã inferũt, modo nõ dicãtur talia tamq; grauia verba quæ dehonorationẽ inferãt, aut imoderatè cõtriſtent proximũ iuxta doctrinã S. Thõ. in d. art. 2. ad primũ receptam cõmuniter ab alijs Theologis vbi ſupra. His accedit Iuriſperit. ſententia, dum aſſerunt in dictum per iocum non cadere actionem iniuriarum per Gloſſ. & DD. in L. Si non cõuitij. & L. Illud relatum. §. Sane. & L. obligationum ſubſtantia, in fine vbi dicitur: Nec enim. ff. de actionibus & obligationibus. Ratio horum omnium eſt, quoniã dicta per iocum non proferuntur animo iniuriandi, ſed potius delectandi gratia. Ad eutrapeliam enim pertinet ſecundum Ariſtotelem 4. Ethic. cap. 8. aliquod leue cõuitium dicere, non ad dehonorandum, aut contriſtãdum, ſed magis cauſa delectationis & ioci.

Tertia Concluſio. *Omne verbum ex ſua natura iniurioſum, animo iniuriandi prolatum præſumitur, niſi contrarium probetur.* Text. hoc probat in L. Si non conuitij. C. de iniur. Gloſſ ibid. in verb. probare. Bald. Angel. Petrus de bella perthica, Alberic. & alij in eadem. L. & hæc cõmunis eſt opinio vt poſt Socinũ ſeniorẽ cõſil. 146. incip. viſo ꝓceſſu. ſub nũ. 7. vol. 1. & Pariſ. conſ. 149.

incip.in præſenti cauſa vertente, num. 19. vol. 4. ex recentioribus atteſtantur Iulius Clarus lib. 5. ſentent. §. Iniuria, numero 12. Andreas Gaill. pract. obſeruat. lib. 2. obſeruat. 106. numero 1. & Ioſeph. Maſcard. de probat. vol. 2. concl. 902. numero 6. Ratio concluſionis. Sicut ſe habent verba, ita ſe habere videtur affectus, vt Bald. probat. Cum ergo talia verba ex ſua natura iniuriam ſignificent, ita vt præſumptio contra proferentem ſit, ex d. L. conuicij & DD. ibidem, iniurioſa præſumuntur. Verbis animus declaratur, & talis quis præſumitur qualem probata verba ſignificant. L. Labeo, §. Idem Tubero. ff. de ſupell. legat. & Ariſt. in lib. 1. περιερμηνείας cap. 1. voces eſſe ſigna earum rerum quæ ſunt in anima notæ. Ex verbis prolatis declaratur qualis ſit animus. Gloſſ. in L. Fulcinius §. Sed is ff. Ex quibus cauſ. in poſſeſ. eatur. & ex loquela animus hominis iudicatur. Decius in L. Semper in ſtipulationibus. numero 4. de reg. iuris. & Bald. in L. ea quæ. C. Quomodo & quando iudex. Verba mentis noſtræ euidentiſsimum teſtimonium. De qua re multa congerunt Boer. in deciſ. 1. numero 34. Andr. Tiraquell. in L. Si vnquam, in verb. libertis. numero 17. C. de reuocand. donat. Aymo Crauet. conſ. 20. num. 2. Menoch. de præſumpt. lib. 6. præſumpt. 35. Sed hæc intelligenda, niſi contrarium probetur. Probatio autem erit per coniecturas, cum aliter probari nequeat, vt reſoluit

ſoluit Bellaper. in d. L. Si non conuitij, num. 3. Nam quæ liquido probari non poſſunt, per coniecturas probantur, arg. l. 1. ff. ad L. Cornel. de Sicar. & L. Non omnes. §. à barbaris. ff. de re milit. *Dubium hoc loco eſſe poteſt.* An quando non ſatis probatum eſt, iniuriantem verba iniurioſa animo iniuriandi dixiſſe, ei iuramentum purgationis poſsit deferri, quod verba iniurioſa animo iniuriandi non protulerit. Hoc dubium mouet & reſoluit Andr. Gaill. in d. obſeruat. 106. & reſpondet iudicem ex æquitate, conſideratis perſonis & iniuriæ circumſtantijs poſſe reo deferri iuramentũ purgationis, & ſic animus non iniuriandi poteſt probari iuramento, vt tradidere etiam Guido Papæ conſ. 223. incip. Fuit lata ſententia. num. 3. & Menoch. de præſumpt. l. 5. præſumpt. 40. in fine. Primo quæ conſiſtunt in animo, & ab eo dependent, iuramento probantur, L. Furti, §. qui iuſſu. ff. de his qui notant. infamia. Gloſſ. ibidem in verb. innocentiam, L. Inter omnes. §. rectè, ff. de furtis. DD. in lib. 1. §. Tertio. ff. de aq. pluu. & æſt. cap. Cum in tua. §. fin. Qui matrim. accuſ. poſſunt, & cap. Paſtoralis, in fine de excep. Innocẽt. in cap. quærelam, de elect. q. penult. ſuper verbo. Subtractam. Hoſtien. in ſumma tit. de purgat. canonica, Roman. in conſil. 76. incip. In cauſa nobilis, & in conſ. 32. incip. Hæc iſtorum, numero 3. Alex. conſ. 19. incip. viſu proceſſu cauſæ vertentis, num. 2. lib. 1. Ioan. ab Anania,

conſ. 44.incip.In quæſtione Stabioli Marc. de mantua. ſing. 4.nũ. 9. & ſequent.& multi alij, quos ad lõgum allegat Maſcard.vol. 2. de probat.num. 2. concl. 881. verſ. Quando ſit inducẽda. Et iudex actore deficiẽte in probatione, & reo veriſimilib.præſumptionibus grauato ad oſtendendam ſuã innocentiã iuramentum purgationis deferre poteſt cap.fin.§. fin.de iureiur. Hoſtiẽ.loco cit. His accedit quod ignorantiá & ſcientia poſſunt etiã probari per iuramentum partis ita aſſerentis.cap. Nulli,in fine, de elect. lib. 6. & L. præſenti.§. Sed ſic vbi. C. de his qui ad eccleſ. cõfug. Quod maximè veritatẽ habet, quãdo iuramẽtum alia præſumptione iuuatur,vt docent Panor. in cap. Quoſdam in fine, de præſumpt. Menoch. l. 2. de arbitrar. iudic. qq. caſu.186. Maſcard. in d.cõcl. 881. num. 13. Andr. Gaill. tamen putat & rectè iudicẽ non debere eſſe facilẽ, ſed prouidum & circũſpectũ in huiuſmodi iuramentis purgationis deferẽdis, nec ſtatim ad cuiuſq; petitionẽ huic iuramento cõuenit locum dare, ꝓpter præſumptionẽ iuris, quæ eſt cõtra iniuriantẽ. d. L. Si non cõuitij. & DD.ibid. Quando autẽ à cõſanguineo & coniuncto aliquod verbum iniurioſum dictum fuiſſet, non præſumeretur animo iniuriãdi prolatum, cum ratio ſanguinis tollat præſumptionẽ inferendæ iniuriæ. L. Si hi qui adulterij. C. ad L. Iul. de adulterio, ibi: obtentu proximitatis, & L. penult.§.fin.ff. quod falſo tut. author. geſt. ibi. affectu enim propen-

propenſiore magis, quam dolo malo id videri feciſſe. & Bartol. in L. Vt vim. poſt num. 3. ff. de iuſtit. & iur. & poſt eum Bonifac. Vitalin. in tract. malefic. in tit. de iniur. col. 3. verſ. Sed tamen fallit in perſonis coniunctis. Angel. in tract. eiuſd. tit. in verb. Verba cõtumelioſa & iniurioſa. Gaill. in d. obſeruat. nũ. 6. & Maſcard. lib. 2. de probat. concl. 902. num. 12. tradunt quod animus iniuriandi inter cõiunctos non præſumatur vſq; ad ſeptimũ gradũ. Quod autẽ dictũ inter coniunctos non præſumi animũ iniuriandi, intelligẽdũ ꝗ locũ non habeat in atrociſsimis, in eis enim ceſſat talis præſũptio, vt poſt Bart. loco cit. Maſc. nũ. 14. limitat.

Quarta Concluſ. *Varijs & multis verbis iniuria verbalis cõmittitur.* Hęc concluſio ex declaratione cõſtabit. Didac. l. 1. variar. reſolut. cap. 11. nũ. 2. teſtatur, apud Hiſpanos ſtatutũ, vt qui alterum aliquo ex ſex vicijs cõuitiarit, illã retractet corã iudice & honeſtis pſonis, & ter centũ ſolidis mulctetur. l. 2. tit. 9. lib. 8. ordinat. Sunt autẽ hæc 6. vitia, Leproſus, Sodomita, Hęreticus, Proditor, Cornutus, & meretricis nomen fœminę maritatę obiectũ. Itẽ apud Hiſpa. vſu receptũ eſt, ſi quis alterũ cõuitij cauſa Iudæum appellet. Hoc enim valde odioſum eſt Hiſpa. Nomẽ cornutũ, etiã cõtumelioſũ eſſe aſſerunt, Accurſ. in L. Si inimicitię ff. de his quib. vt indign. Ioan. de Ana. in cap. 1. nũ. 5. de maled. Faber in §. Patitur. Inſtit. de iniur. Alciat. lib. 7. Parerg. cap. 5. & alij alibi. Si quis aliquem nominet

minet cucurbitam. Auffrer. ad deciſionem Capellæ Tholoſ. in addit. ad q. 127. Panormit. in cap. Cum te, de ſentent. & re iudicat. Specul. de in iur. & dam. dato col. 2. Ioann. Andr. ibi in addition. Hoſt. in Summa eodem tit. §. Contra quos detur. verſ. Quid ſi voces cucurbitam. Cucurbita nomen latinum non eſt, vt Andreas Alciat. lib. 7. Parergon iuris, cap. 5. ſignificat. Vocatur autem à DD. cucurbita à vulgari lingua, quæ cuculum eum vocat, qui matrimonij ſui incurioſus eſt, & vxorem ſuam mœchis permittit, cõniuetq; vt alij vxore ſua turpiter abutantur. Hinc verbũ cucurbitare, quaſi cuculitare. De quo illud in cap. 2. Quibus modis feudum amittat. Fiduciario fundo priuari clientem, qui dominum cucurbitauerit. Aut ſi quis aliquem nominet vſurarium, in quo caſu Crauetta conſil. 145. conſuluit, ſi id publicè iniuriandi animo dicat. Aut infamem, Bertrand. conſ. 131. lib. 5. & Auffrer. loco cit. Vel falſarium. Roman. conſ. 96. Vel dominum beſtiarum & non hominum. Crauet. conſil. 9. vel obijciat mulieri hæc verba: Ego te deſponſaui. Bald. conſil. 230. lib. 3. Aut ſi quis dicat aliquem natum ex adulterio, aut ex Monacho, aut ſpurium. L. Etſi pepercerit, ff. de liber. & poſthum. in princip. Bart. Iaſ. & alij ibidem. Aut baſthardum. Panormit. in d. cap. Cum te, num. 27. & 28. Bertrandus in conſ. 189. lib. 6. Aufrerius loco cit. Hoſtien. vbi ſupra. Ioan. Andre. in cap. fin.

hoc eo-

hoc eodem, in Gloſſa, 4. Caſtrenſis in L. Etſi pepercerit. Et dicit, quod vltramontani non reputant ſibi iniuriã, ſed in hoc loquitur tanquam non expertus. Germani enim ęgerrimè ferunt ſi quis eo nomine quem vocet. Similis ratio eſt, ſi quis dicat non es legitimè natus. Azo in ſumma. C. de infamib. & Bald. in L. Etſi pepercerit. Et à maiori ſi quis dicat, quod aliquis ſit latro, & gladiator, id eſt homicida, per text. in eadem L. Etſi pepercerit: aut Leno. Bartol. ibidem num. 2. aut ſi aliquis iniuriandi animo alicui dicat, tu es cœcus vel claudus. Bartol. in L. Eum qui nocentem in princ. ff. de iniur. Ioan. Andr. loco citit. ad Specul. Sunt etiam verba iniuriarum, ſi quis dicat. Tædet me, quod fueris condemnatus de falſo, vel alio delicto. Angel. in L. Veſtem. ff. eodem. Iaſ. in L. Si quis extraneus. ff. de acquir. hæred. num. 9. & ff. de legat. 1. L. Turpia, num. 9. vel fuiſti mitriatus pro falſo. Bartol. in d. L. Eum qui nocentem, ſiue fuiſti mitriatus. Alexand. in d. L. Etſi pepercerit, num. 6. Omnium ſententia iſta verba. Tu mentiris, ſunt iniurioſa. Bartol. in L. Item apud Labeonem. §. Ait Prætor, numero 3. ff. eodem. Idem cum Paulo Caſtren. Alexandro, Ioan. Imolen. Iaſon. & alijs in d. L. Si quis extraneus. Panormit. in d. c. Cum te. Felin. in cap. Dilecti. num. 10. de except. Bald. Angel. Iaſo & communiter DD. in L. Illud eleganter. ff. Quod quiſq; iuris. Alberic. in 2. part. ſtatutor. q. 44.

Sed dubitari poteſt de iſtis verbis. Si quis dicat, tu mẽtiris ſaluo honore tuo, vt cõmuniter DD. loquuntur: aut ſalua reuerentia iuxta Caſtren. & Ioan. de Imola. in d. L. Si quis extraneus. Specul. in tit. de aduocato §. Iam nũc. verſic. Hæc tamẽ caueat. Angel. in repertorio ſuo, in verba illa. Tu mẽtiris, vt refert Bertach. in repert. in verb. iniu. colũ. 3. verſ. fin. & ſequitur eundẽ ac putat, quod ſi proteſtatio ꝓcederet nõ eſſet verbũ iniurioſum: exẽpli gratia. Saluo honore tuo, vel ſalua reuerentia mentiris, & hoc tenẽt dicti auctores ꝓpter rationẽ Dyni & Bartol. in d. L. Si quis extraneus, in principio, dũ rationẽ hanc aſsignant, quare iſta verba iniurioſa ſint. Mẽtiris ſaluo honore tuo, quia videlicet iniuria pręcedens declarat, ꝙ habuit animũ iniuriandi, licet dicat ſaluo honore tuo, & ſic ex iſta ratione videtur Bartol. velle quod ſi poteſtatio verbũ pręcederet, non eſſet iniuria. Sed ſiue pręfatio honoris pręcedat, aut ſequatur verbũ iniurioſum, parũ refert, vt optimè Iaſ. in d. L. Illud elegãter cõprobat, cuius doctrinam inferit. Andr. Gaill. lib. 2. pract. obſeruat. 101. obſer. Primo per regulã, in his quæ vno cõtextu fiunt, non eſt dare, nec prius, nec poſterius. L. Nec enim. ff. de ſolut. Deinde ꝓteſtatio cõtraria actui nihil operatur per text. in cap. Cũ M. Ferrarien. de cõſtit. Gloſſ. ibid. in verb. ſine præiudicio, & cap. Olim cauſam de cẽſib. Gloſſ. ibid. in verb. ꝓteſtatus. Bartol. cum alijs in L. Nõ ſolũ. §. morte. ff. de noui operis

peris nunciat. & quãdo actus eſt potẽtior ꝓteſtatione, tunc nihil releuat facta ꝓteſtatio, vt Iaſ. oſtendit, & in re facta verborũ artes, vel ſimulatę ꝓteſtationes nihil proſunt, vt ait Feli. in cap. Quæ in Eccleſ. num. 86. de cõſtit. Illud tamẽ eſt obſeruandũ, ꝙ ſi ſubeſſent cõiecturæ, quibus talis proteſtatio adiuuaretur, ꝙ nõ habuiſſet animũ iniuriandi, talis ꝓteſtatio vtiq; prodeſſet ex ſentẽtia Oldr. in cõſil. 53. incip. Cõſueuit dubitari, an dicens alicui verbũ contumelioſum, &c. quã cõmuniter approbatam poſt Socin. conſ. 118. nũ. 5. lib. 1. Iul. Clar. lib. 5. ſentent. §. iniur. num. 13. in fin. affirmat. Quod ſi autem aliquis ꝓuocatus alterius iniurioſis verbis, quibus furti, adulterij, aut alterius criminis falſo inſimularetur, honoris ſui defendendi cauſa, ſtatim, hæc verba: Tu mentiris, aut mentiris per gulam, vt Itali, & aliqui doctores loquuntur, in iniuriantem retorqueret, iniuriarum actio nõ haberet locum. Cum non tam iniuriandi animo, quam iuſtæ defenſionis ergô feciſſe præſumeretur: & quemadmodum vim vi incontinenti licitum eſt repellere. L. Vt vim. ff. de iuſtit. & iure: Ita etiam iniuriam iniuria propulſare iura admittunt. Per text. in L. Quæ omnia, §. 1. ff. de procurat. Bartol. & Angel. ibidem. Alexandr. in d. L. Etſi pepercerit. num. 6. & 7. Caſtrenſis in L. fin. ff. Quod quiſque iuris. numero 36. Speculator. in tit. de accuſat. verſ. Quid ſi te vocaui latronẽ. Panormit. in d. cap.
Cum

Cum te. num. 25. Felin in d. cap. Dilecti. numero 10. Angel. in tract. malefic. in verb. Verba contumelioſa & iniurioſa. Decius conſil. 487. nůmero 5. incip. in quæſtione. Aufrer. in addit. ad q. 127. Capellæ Tholoſ. & eruditè Gaill. lib. 2. obſeruat. pract. obſeruat. 100. & 101. & hæc eſt vera & communiſsima DD. ſententia. Videbitur fortaſsè alicui minus docto in contrarium eſſe communem opinionem, poſt Iulium Clar. lib. 5. ſentent. in §. Iniuria. num. 14. quando quærit: Nunquid ſi aliquis ab alio prouocatus, dicat illi, Tu mentiris, teneatur ne ex eo iniuriarum, non obſtante ipſa prouocatione, etiamſi verū dicat. Reſpondet quod ſic. Et eſt cōmunis opinio, vt dicit Boërius conſ. 4. num. 7. vbi etiam ſubdit quod ita obſeruatur in practica, & ita reperio in facti contingentia deciſum per conſilium Neapolitanū, teſte Capicio deciſ. 58. in cauſa Nicolai, regulariter enim in delictis prouocatio non excuſat. Sed benè prouocatus, regulariter mitius punitur: Senatus tamen aliter iudicauit in cauſa Nicolai Fodrij, quem in totum excuſauit, quod dixiſſet cuidam, tu mentiris, qui ei prius dixerat, quod non fecerat dagentil huomo. 9. Ianuarij. 1557. P. N. Sed fortè erat inter ipſos ſecuta pax, quo caſu, in huiuſmodi iniurijs verbalibus, ſenatus ſemper ſolet clementer agere. Hæc Clarus. in quibus videtur contrarius prædictæ doctrinæ, quam communiſsimam aſſeruimus. Reſpondetur ſimpliciter,

pliciter, quod hic auctor cum communi, quã allegat intelligitur, quando prouocatus verbis, reſpondet. Tu mentiris, non cauſa ſe defendendi aut iniuriam retorquendi, ſed vindictæ & vltionis: aut conuitium contra iniuriantẽ retortum cõcernit aliud factum; quod non ſpectat ad defenſionem innocentiæ iuxta ea quæ dicunt Panormit. in d. cap. Cum te. num. 25. & poſt eum Aufrer. vbi ſupra. Gaill. in d. obſeruat. 100. numer. 10. & alij alibi, per text. in cap. Veniens, de iureiur. ibi: alternatim conuicia inferendo. Prouocatus autem mitius in hoc caſu punitur; tum quod tunc difficile ſit iuſtum animi dolorem compeſcere. L. Si adulterium, §. Imperatores; ff. ad L. Iul. de adulterio: tum quod in dubio ille qui prouocatus eſt, præſumitur, id quod facit; cauſa ſe defendendi & non vltionis gratia facere, & ita dicunt iura & DD. vt ait Marſil. in conſil. 137. numero 8. & poſt eum Clarus in d. lib. 5. §. fin. q. 60. numero 18. verſic. Nunc quæro, nunquid prouocatio aduerſarij, &c. Hoc in loco occaſione prædictorum graue occurrit dubium: *An prouocatus verbis iniurioſis contra ſe prolatis, poſsit ſe non ſolum verbis iniurioſis ſed etiam gladio & armis defendere, & an tum ſi iniuriantem occidat, teneatur L. Cornelia de Sicarijs: vel mitius puniatur?* Ad hoc dubium, quod in forma etiam mouet Boerius in deciſ. 169. incip. Primo videtur. quod L. Cornelia, &c: reſpondetur primo quod de iure iniuria verbis illata, ver-

bis ſit repellenda; ſicut violentia, quæ armis infertur, armis etiam repellitur. l. 3. & ibi gloſſ. prima ff. de vi, & vi armata, & in l. 1. cum Gloſſ. in verb. moderatione. C. eodem. Baldus ibidem. verſic. Sed nunquid ex ſolis minis, &c. Verbis contra verba debet reſiſti, non autem ad manum & ferrum, facit ad idem text. 13. q. 1. cap. 1. §. Ad hæc, & Gloſſ. ibidem in verb. Verba, adducens illud: Res dare pro rebus, pro verbis verba ſolemus, & pro hac doctrina ſunt Angel. Caſtren. Iaſ. & in L. Illud eleganter. ff. Quod quiſque iuris. Et ratio etiam euidens eſt. Si quis armis ſe defenderet contra iniuriantem verbis, non ſeruaret moderamen inculpatæ tutelæ, & ſic excederet. Vnde iniuriam faceret, & peccaret; Et in hac re non eſt dubium. Deinde ſi quis verbis prouocatus iniurioſis, & ſe gladio defendendo occideret non teneretur. L. Cornel. de ſicarijs, ſed mitius puniretur. Angel. in d. L. Si adulterium, §. Imperatores. Marſilius in conſ. 25. numero 26. Alexander in conſ. 111. incip. Videtur in caſu propoſito. numero 13. libr. 2. Bertrand. de Carpentario conſ. 274. numero 2. vol. 1. & alij plures, quos allegat Boërius in d. deciſ. & dicit pro hac parte concluſum eſſe in Tornella. & latum areſtum die 7. Septemb. Anno Domini 1537. Et ita in facti contingentia ſeruatum fuiſſe in quodam homicida qui verbis iniurioſis fuerat prouocatus, refert

refert Papo lib. 22. tit. 5. Arreſto primo, & eum allegat & approbat Iulius Clarus libro 5. §. fin. pract. crimin. q. 60. numero 18. Prætereaetiam dubium alicui occurrere poteſt. *An ſit verbum iniurioſum, ſi quis dicat: Tu dicis falſum?* Reſpondetur cum DD. quod non. Sic Salycet. & Alexand. in L. de tutela. C. de in integrum reſtitut. minor. Iaſ. in L. Si quis extraneus, numero 11. ff. de acq. hæred. Bertachin. in repertorio, in verb. Iniuria. col. 4. Ratio eſt quia poteſt quis dicere falſum exiſtimans eſſe verum, & ſic non mentiretur, cum contra mentem non iret. Vnde conſtat non eſſe idem dicere falſum, & mentiri. Quod ſatis probatur per text. in cap. Is autem 22. q. 2. Nemo mentiens iudicandus eſt, qui dicit falſum, quod putet verum, quia quantum in ipſo eſt, non fallit ipſe ſed fallitur. Quæreret quis poſsit: An quando aliquis verbis iniurioſis falſiſque prouocatus, defenſionis gratia retorquet dicendo. Tu mentiris, prouocans iterum poſsit retorquere affirmando, imo tu mentiris, quæ poteſt dici retorſio retorſionis, ſiue vt barbaro vocabulo Angel. loquitur in L. Illud eleganter. ff. Quod quiſque iuris, retorcutio retorcutionis. Reſpondetur cum DD. Angel. Alexand. numero 4. Paulo Caſtren. Iaſon. numero 5. & alijs communiter in d. L. Illud eleganter, quod ſine iniuria non fit retorſio retorſionis: Quia qui retorſioné retorquet non eſt prouocatus,

 ſed

ſed magis prouocauit, & ita non poteſt dici quod defenſionis neceſsitas eum excuſet. Poſtremo id memoria retinendum quod cum verba ſecundum loquendi vſum regionis accipiantur. argum. L. Cum de Lanionis. §. Aſinam molendinariam. ff. de fun. inſtrum. & inſt. L. Labeo. ff. de ſuppell. leg. cap. Ex literis 1. de ſponſalib. Felin. in procemio decretal. numero 3. Bartol. in l. 1. in princip. ff. de ſuis & leg. Math. Matheſilanus in ſing. 95. & alij plures quos allegat Ioſeph. Maſcardus libro 1. de probat. concluſ. 190. numero 4. ſecundum conſuetudinem & vſum regionum ſingularium, aliqua verba ſunt magis vel minus iniurioſa: vt apud Hiſpanos, ſi quis aliquem vocet Iudæum, apud Italos, ſi traditorem, apud Germanos, nebulonem.

Quinta Concluſio. *Quando verbum aliquod prolatum eſt indifferens quod ſignificare & ſonare poteſt iniuriam vel non, tunc accipiendum & interpretandum in mitiorem partem, ita vt non iudicetur iniurioſum.* Hanc docent Bartol. in conſ. 108. incipiente. In quęſtione vertente. Marſil. in conſ. 21. incip. Vocem meam exaudi Domine. numero 9. nec poteſt de hoc dubitari. text. in L. Interpretatione. ff. de pœnis, & in d. cap. Is autem 22. q. 2. & in cap. Eſtote. de regul. iuris. Confirmat hanc concluſionem illa Theologorum doctrina, quod dubia in meliorem partē ſint interpretanda. Gloſſ. in illa verba ad Roman. 14. Qui non manducat manducantem non iudicet:

dicet: quæ deſumpta eſt ex D. Auguſtino lib. 2. de ſermone Domini in monte, cap. 28. Beda in illa verb. Lucæ 6. Nolite iudicare, &c. S. Thom. 2.2. q. 60. art. 4. & eius commentatores ibidem. D. Antonin. part. 1. tit. 29. cap. vnico de regul. iuris. ſub lit. D. dum exponit illam regulam: Dubia ſunt in meliorẽ partem interpretanda. Dominic. Soto lib. 3. de iuſtit. & iure. q. 4. art. 4. & alij alibi. His adiungitur, quod vbi verba poſſunt trahi ad falſum ſenſum, & non falſum facienda interpretatio, vt non contineant falſum. Gloſſ. in L. Iurisgentium. §. quod fere, in verb. Approbetur. ff. de pact. & DD. ibidem. Bald. in L. Imperator ff. de ſtat. homin. & in l. 1. C. de ſacroſ. Eccleſ. Salycet. in d. L. De tutela. Alexander. in conſil. 70. incip. Viſo proceſſu inquiſitionis formatæ. col. 2. lib. 1. allegans etiam Salycet. in d. L. Iaſ. in l. 1. numero 14. ff. Si quis ius dicent. non obtemper. Marſil. in d. conſ. 21. numero 7. & in conſ. 51. incip. Licet nedum plenè, numero 30. Et fortius confirmatur ex Gloſſ. in cap. Ne quis arbitretur. 22. q. 2. dum dicit quod verba impropriantur, vt quis dicatur bonus, & Gloſſ. in cap. Nauiganti. de vſuris, in dubio quis non præſumitur vſurarius. & Gloſſ. in cap. Accedens. de crimine falſ. & Oldrad. in conſ. 53. incip. Conſueuit dubitari. col. fin. ait: quod ſi quis in iudicio dicat aduerſario ſuo verbum iniurioſum, præſumitur potius illud dixiſſe animo iuris ſui conſer-

uandi & defendendi, quam animo iniurian-di. Plura quæ faciant pro hac concluſione ad-fert, Marſilius in conſ. allegatis.

Sexta Concluſio. *Obijciens alicui verum conuitium, aut iniuriam, quæ veritati innititur, quando intereſt reipubl. aut cauſa iuſta & rationabilis mouet, non poteſt in foro exteriori actione iniuriarum conueniri de iure ciuili.* Pro huius concluſionis intelligentia annotandum in primis, quod quis duobus modis poteſt alteri crimen obijcere, ſiue alium conuitio impetere. Vno modo falsè & cum mendacio, vt dicendo furem eum, qui in veritate non eſt. Alio modo obijciendo verum crimen, quod commiſſum eſt ab eo, cui obijcitur, eſt tamen ſecretum, nec ad communem hominum notitiam deductum. Deinde crimina ſunt in duplici differentia. Quædam ſunt quæ expedit Reipublicæ ſcire, vt Latrocinium, Veneficium ſiue maleficiũ, & hoc modo etiam diſtingui poſſunt defectus naturę, vt lepra quam expedit ſcire, vt alij ſibi caueant, ne inficiantur; aut quem eſſe ſpurium, qui ad ordines Eccleſiaſticos & dignitates non debet promoueri: nec ad honorifica etiam politicæ reipubl. ſecundum quarundam ciuitatum & rerum politicarum ſtatuta & laudabiles conſuetudines, munia atque officia, debent euehi. Alia vero ſunt quæ ſcire parũ curat reſpublica, ſed ſunt priuata crimina, vel etiam defectus naturæ, vt vnica fornicatio occulta ex infirmitate commiſſa; aut quod aliquis ſit pau-

per &

per & claudus, &c. Præterea dictum in concluſione, (in foro exteriori de iure ciuili.) Quia de iure canonico diſtinctio illa locum non habet, quod quædam ſint iniuriæ, quas rempubl. expediat ſcire vel non, vel quod crimen verum vel falſum obiectum fuerit, & ſic regulariter veritas conuitij non excuſat ab actione iniuriarum, vt canoniſtæ ſentiunt referente Fabro in Inſtit. de iniurijs. §. Iniuria. Et ſic etiam atteſtatur Iulius Clarus lib. 5. §. Iniuria. numero 15. quod de iure canonico alteri iniuriam dicens, licet vera ſit, non excuſatur, cum prius debeat præcedere charitatiua admonitio, vel correctio. Et eſt communis opinio doctorum, vt atteſtatur Alexander de Neuo conſ. 82. numero 5. in fine. Sic Clarus: Sed puto quod in foro exteriori parum referat, facere illam diſtinctionem de iure ciuili & canonico in actione iniuriarum; cum in vtroque foro procedendum foret iuxta concluſionem poſitam, & aliam ponendam: ſed in conſcientia magna eſt vtiq; differentia, ibi enim non eſt locus præſumptionibus, ſed veritati & conſcientiæ ſtandum eſt, & curandũ quid lex diuina, quæ infallibilis regula eſt rerum gerendarum, præſcribat, quæq; iubet vt crimina, quæ non ſunt excepta, ſi ſint ſecreta, non manifeſtentur niſi ſeruato fraternæ charitatis ordine, vt ſic proximus nõ infametur cõtra iuſtitiã & charitatẽ. Concluſio eſt cõmunis

 ſecundum

ſecundum Alexdr. in L. Etſi pepercerit. num. 6. ff. de lib. & poſthum. quem referunt Villa-bob. in collect. communium opinionum in lit. A. numero 29. & poſt alios Iulius Clar. vbi ſupra. & eam tenent in ſpecie Bartol. in L. Eum qui nocentem. ff. de iniurijs. Cynus in L. Si non conuitij. C. eodem. Panormit. in cap. Cum te. numero 26. de ſentent. & re iudic. Ioan. Andr. in addit. ad Speculatorem in Rubr. de iniurijs. Oldrad. conſ. 53. incip. Conſueuit dubitari. Roman. in conſ. 96. incip. Super eo. Angel. in d. L. Etſi pepercerit. Iaſ. ibidem, num. 7. Andr. de Iſernia in cap. 1. §. Si quis vero temerario auſu. col. 2. & 3. de pac. iuram. firmand. Crauet. in conſil. 168. incip. De duobus principaliter videndum num. 3. Andr. Gaill. pract. obſeruat. lib. 2. obſeruat. 99. & alij alibi. Aliqui vero dicunt quod dicens alicui iniuriam, quæ vera eſt, non teneatur actione iniuriarum, & ſic communiter teneri putat Petrus de bellapert. in d. L. Si non conuicij. Alij vero contrarium ſentiunt, quod teneatur, & hanc dicit eſſe communem opinionem. Curtius Iunior in L. fin. num. 3. ff. Quod quiſque iuris, quam refert Clarus loco cit. Quare Guilhelm. de Ludo in ſing. 26. malè pro ſingulari poſuit per L. Eum qui nocentē & Gloſſ. ibid. ff. de iniur. iniurias veras in aliquē dicens, non teneri actione iniuriarū, niſi intelligatur ſecundum præcedentē concluſionem, ſecundum quam d. L. Eum qui

qui intelligenda eſt, & tunc nõ eſt quid ſingulare. De hac re: An verum dicens conuicium, teneatur actione iniuriarum. Oldrad. & Roman. in dd. conſil. & Ludouicus Bologninus in addit. ad conſ. 44. Ioan. ab Anania, & alij, quatuor congerunt ſententias. & Panormit. in cap. Cum te, de ſentent. & re iudic. à numero 26. ſecutus Ioannẽ Andr. in addit. ad Specul. tit. de iniurijs ſex recitat opiniones, quas lector pro oportunitate videre poterit. Pro noſtra concluſione etiam ſciendum, quod crimen quod intereſt reipubl. fieri manifeſtum, debet probari. Si autem probatum non extiterit, obijciẽs tenetur actione iniuriarũ, & hæc eſt cõmunis opinio, vt atteſta. Boëri. in cõſil. 4. nũ. 36. quẽ allegat & ſequit. Iul. Clar. vbi ſup.

Septima Concluſio. *Cum non intereſt reipubl. cognoſcere crimen aut conuicium, tunc veritas conuicij non excuſat ab actione iniuriarum.* Hanc tenent etiam communiter DD. in locis allegatis in proxima concluſione. Ratio adfertur quia defectus noſtros ſine cauſa detegi inhumanum & iniurioſum eſt. L. 2. C. quando & quibus quar. pars lib. 10. & hæc concluſio cum ſua ratiõne etiam obtinet locum in foro conſcientiæ, vt ſuo loco latius conſtabit. Circa has duas concluſiones, vt earum ſenſus profundius eruatur, obſeruandum quod ſemper præſupponitur iniuriandi animus, qui eſt de ſubſtantia iniuriæ. Itaque exprobratio veri criminis, cuius manifeſtatio reipubl. intereſt, ſecluſo ani-

mo iniuriandi, & à peccato & ab iniuriarum actione aliena eſt etiam in foro conſcientiæ, vt rectè colligitur ex ea doctrina, quam hac de re colligit Couar. lib. 1. variarum reſolut. cap. 11. à num. 6. & poſt eum Mynſing. centur. 4. obſeruat. 4. Deinde ad ſumendum præſumptiones & coniecturas, an veri criminis & pernicioſi reipubl. obiectio ex animo iniurioſo procedat conſiderandum, an abſq; vlla cauſa & vtilitate negotij quod tractatur, crimen in publicum adducatur. Quod etiam in iudicio obtinet. Si ex iuſta rationabilique cauſa reuelatio proceſſerit, æquitas ſuadet nõ eſſe de iniuriandi animo præſumendum, vt idem doctor ex aliorũ ſententia infert. Hinc infertur actione iniuriarum eum teneri, qui extra iudiciũ alteri conuitiũ obiecerit, quod etiam manifeſtum reipubl. fieri expedit, non ob aliquam iuſtã cauſam, ſed libidinis, & iræ propriæ explendæ gratia. In hoc enim caſu veritas conuitij non liberat ab actione iniuriarũ & pœna debita, & pro hac deciſione Couarr. adfert L. iuſtiſsimos. C. de offic. rector. prouinc. & l. 2. C. Quãdo & quib. quarta pars lib. 10. nec non etiam Oldrad. Ioan. Andr. Roman. Abbatem & alios in locis cit. quorũ profecto hæc mens eſt, ſi eorũ dicta æquo iudicio perpendantur. Hinc etiã optima illatione ſuccedit, poſſe etiam extra iudiciũ abſq; iniuriarum crimine & pœna reuelari crimen alterius iuſta de cauſa, vtpote vel ob ipſius criminoſi

correctio-

correctionẽ: vel ob reipub. aũt proximorũ neceſsitatẽ, vtilitatemq;. Id tamen cautela magna præſtandum eſt, ne peccatũ incurratur quod cõmitti poteſt etiamſi actio iniuriarũ locum non habeat. Quandoquidẽ aliquando etiã reuelando verum crimen poſsit quis peccare, ſi proximũ infamaret, contra iuſtitiã apud eos, penes quos nulla infamia laborat, ratione cuius infamię illatę teneretur in cõſcientia ad reſtitutionẽ famæ, & omniũ damnorũ quæ infamiam iniuſtè illatã conſequerentur, licet fortè non eſſet locus actioni iniuriarũ. Hinc placet illa deciſio ſacri cõſilij regij, cuius poſt Grammat. in deciſ. 37. Maranta meminit in ſpeculo aureo, part. 4. nũm. 98. quod aut dixerit quis animo iniuriandi, & tunc ſiue verũ ſiue falſum dixerit, tenetur iniuriarũ actione: aut non animo iniuriandi dixerit, & tunc ſecus; & reddit Maranta hanc rationem, quia licet quis habuerit vitium ſeu defectum à natura non propterea debet vituperari, ſed eius potius miſerendum eſt, vt inquit Philoſophus 3. Ethic. cap. 5. his verbis: homini cœco natura, vel morbo vel ictu, nemo vitium obijciet, vt probrum, aut eius miſerebitur potius: Cœcum vinolentia, aut alia immoderatione nemo non culpabit. Ea porro vitia corporis quæ ſunt in noſtra poteſtate, damnantur, non ea quæ non ſunt, hæc ille. Ex dictis poteſt colligi verus ſenſus L. Eum qui nocentem ff. de iniurijs: quæ ſic habet: Eum qui nocentem infama-

infamauit non eſſe bonum & æquum ob eam rem condemnari. Peccata enim nocentium nota eſſe, & oportere & expedire. Illa lex intelligitur quando reuelatur crimen pernicioſum reipub. quod debet, & vtile eſt in notitiam publicam producere, non tamen animo iniuriandi, ſed iuſta vrgente cauſa, quæ ſpectet aut ad neceſsitatem proferentis; aut ad bonum eius contra quem profertur; aut ad reipubl. vtilitatem, vt crimen puniatur & alij deterreantur à malo; aut etiam quando quis in iudicio in defenſionem, & non ad iniuriam verum crimen obijcit. *Dubium hoc loco eſſe poteſt. An teneatur iniuriarum obijciens alicui crimen verum poſt reſtitutionem à principe factam?* Reſpondetur breuiter cum Aymone Crauet. in conſil. 168. incip. de duobus principaliter, num. 1. & Adriano in quodlib. 11. q. 1. col. 22. Teneri iniuriarum, crimen à principe dimiſſum poſt reſtitutionem obijcientem animo iniuriandi. Ratio redditur. Quia poſt gratiam & reſtitutonem à principe factam omnis infamia & macula aboletur, ideo bannitus à principe reſtitutus perdit nomen banniti, & eligi poteſt ad officia, ſicut alius non bannitus. Bald. in L. Imperialis. §. fin. C. de nupt. & exiſtẽte ſtatuto quod bannitus poſsit impunè offendi, tale ſtatutum non habet locum in reſtituto à principe, & ſublato banno. L. Genero. ff. de infamib. & in L. fin. ff. de adulterio. Et in confirmationem huius facit, illud traditum à Ro-

mano in conſ. 387. incip. In terminis. Crauet. loco cit. & alijs alibi, quod vitans aliquem tanquam excõmunicatum poſtquam ab ipſa excommunicatione abſolutus eſt, tenetur actione iniuriarum, quod intelligendum, quando ei conſtat de abſolutione. Latius hanc reſolutionem Crauet. confirmat. *Aliud dubium: An iniuriam inferat obijciens alteri crimen, de quo comprehenſus, & praecedentibus indicijs tortus, atque per torturam ſe purgauit nihil confitendo.* De huius dubij materia actum à nobis eſt in commentario tit. C. de malefic. & mathem. in L. Etſi excepta. q. 1. concl. 17. Nunc breuiter reſpondetur, ſi quis alicui obijciat crimen magiæ, maleficij aut quoduis aliud, de quo ſe plene ad arbitrium iudicis, aut iudicum purgauit per torturam, & abſolutè dimiſſus eſt, infamat, & poteſt contra eum inſtitui actio iniuriarum: Hæc reſponſio fortiſsimè probatur auctoritate Bartoli, Bald. Salyc. Pauli Caſtren. & Iacobi Butrij: in L. Nullam. C. Ex quibus cauſ. infam. irrogetur. per text. ibidem. Franciſcus Brun. de inditijs & tort. q. 8. 2. par. numero 8. Bertach. in verb. tortura. num. 70. qui docet eum non infamari tortura, qui præcedentia indicia purgauit & abſolutus eſt. Hinc illud dictum Iacobi de Bellouiſu in tract. crimin. in tit. de quæſtionib. relatum à Boerio in deciſ. 163. incip. Dico præmittendo primo. numero 14. quod beatus homo qui ſe omnino tenere potuit in tormentis, quoniam abſoluetur,

uetur, & melior quam ante accuſationem reputabitur; cum proſperè & fœliciter ſe purgauerit à ſibi impoſitis arg. Auctent. Quomodo oporteat Epiſcopos & Cleric. §. Si vero nemo accuſauerit, collat. 1. Talis ergo tortura crimen purgauit. Ergo amplius non poteſt obijci ſine iniuria & iactura. Dictum eſt qui ſe plenè purgauit, & perfectè abſolutus eſt: Quia alia ratio eſſet, ſi quis dimiſſus, & abſolutus, eo quod non ſufficienter indicia purgauerit, cum condemnatione ad aliquam pœnam extraordinariam præſcriptionis, banni, exilij, aut ſimilem. Talis enim pœna argumento eſt indicia non plenè purgata, & cum talis ſententia ſit condemnatoria in actione famoſa & criminali infamat. Quia conuentus & condemnatus in actione famoſa, infamia notatur per text. in L. Infamem. ff. de publicis iudic. Bartol. ibidem, & in L. Athletas. §. fin. ff. De his qui notant. infamia. & cap. Cum te. de re iudicat. & per multa alia iura allegata, in prima parte Rubr. 13. notabili.

Octaua Concluſio. *Qui in iudicio ſuo aduerſario etiam verum crimen obiecerit, quod nihil ad proprij negotij, aut iuris comprobationem, vel defenſionem ſpectauerit, nec ex iuſta cauſa proceſſerit actione iniuriarũ tenetur.* Concluſionem clarè ponit Couar. loc. cit. nu. 7. & aſſeritur in eis quæ latè inuoluunt Alberic. in L. Si non conuitij C. de iniurijs. Salycet. ibid. verſus finẽ. verſic. Quæro ſi turpis exceptio. Panor. in cap. Cum te. num. 29. de ſen-

de ſentent. & re iudic. Poſt Ioan. And. in add. ad Specul. tit. de iniur. Angel. in tract. malefic. verb. Verba contumelioſa, &c. Oldrad. conſ. 53. & DD. in L. fin. ff. Quod quiſq; iuris & alij alibi. Ratio eſt, quoniã quando obijcitur etiã in iudicio crimẽ verum ſine vlla neceſsitate, & cauſa iuſta, ſatis pręſumitur tale verbũ prolatũ animo iniuriãdi, & ſic fundamẽtũ habet actio iniuriarũ. Hinc reo obijciens turpẽ exceptionem, quã non probat, tenetur iniuriarũ: cum ex defectu probationis inſurgat calũniæ & iniuriæ præſumptio, quæ cum qualitate verborum vincit pręſumptionẽ, quæ poteſt eſſe pro exceptione. Vnde animo iniuriandi turpè crimẽ obieciſſe pręſumitur, niſi fortiora argumẽta ſint in contrarium pręſumptionẽ elidentia. Notant tamẽ cõmuniter DD. pro pract. vt excipiens aut opponens in iudicio contra teſtes, aut alios, proteſtetur ſe non facere animo iniuriandi, ſed ſui iuris cõſeruandi, aut defendẽdi cauſa. Similiter actor vocans aliquẽ in ius ſuper tali facto, ex quo fama, aut honor læditur, iniuriarum tenetur, ſi ſuccumbat L. Iniuriarum. §. Si quis per iniuriam. & L. Item apud §. Si quis libello. ff. eodem. Ex quo enim in actione ſuccumbit, animo iniuriandi & calũniandi feciſſe præſumitur, niſi aliqua iuſta cauſa occurrat, quæ excuſet ab animo iniuriandi. Et in caſu quo animus iniuriandi apparet, reus abſolutus à tali actione per ſententiam poteſt contra ipſum actorem actionem

iniuriarum intentare. Seruanda tamen hæc cautela cum Fabro, Angelo & alijs in Inſtit. de iniurijs §. Iniuria, vt non niſi finita prima actione, agatur pro iniuria tali per L. Si tibi ſeruitutis. C. de liberali cauſa.

Nona Concluſio. *Quando vnum idemq́; verbum iniurioſum vno impetu & tempore eodem idem ſignificans, repetitur, vna tantum iniuria cenſetur, & non plures.* Hanc tenent Bartol. in L. Item apud Labeonem. §. ait Prætor. de iniurijs & in conſ. 108. Angel. in L. Si non cõuicij. C. eod. Bald. in conſil. 361. incip. Quidam dixit alicui. falſarius, proditor, &c. part. 4. & alij alibi. & probatur per text. in L. Vnum. ff. de teſtamẽtis. L. Cum filius. §. Eum qui. ff. de legat. 2. Facit ad idem propoſitum Gloſſ. L. Si conuenerit. in princip. ff. de pignor. act. vt ſi dicam alicui tu es fur, tu es fur. In tali enim caſu, non tã noua, quã continuata iniuria cenſenda eſt, & ſic niſi vna iniuria eſt. Eadem eſt ratio ſi eodem impetu & tempore plura proferantur ad eundem finem tendentia.

Decima Concluſio. *Si in vna oratione continentur plura verba ad diuerſos effectus tendentia, quorum quodlibet eſt per ſe contumelioſum & contra bonos mores, tunc dicentur plura verba iniurioſa.* Bartol. & Angel. locis cit. argum. L. Titia. §. fin. ff. de verbor. ſignific. & L. Pluribus, in princ. eod. tit. Ioannes de Platea. Inſtitut. de iniurijs. §. Iniuria autem. Angel. ab Aretio in tract. maleſic. in verb. Verba contumelioſa. verſ. Quid autem

autem ſi ſtatuto caueatur. Exemplum huius concluſionis eſt, vt ſi quis dicat. Tu fur nocte ingreſſus es domum meam , non ſolum mea rapuiſti; ſed etiam filiam ſtupro affeciſti, aut. Tu es adulter, homicida, & fur.

Vndecima Concluſ. *Si quis eodem impetu plurá verba iniurioſa in aliquem effuderit etiamſi diuerſa ſignificent, non ſunt cenſendæ plures iniuriæ, aut plura conuitiá, ſed tantum vnica iniuria, aut vnum conuitium.* Probatur ex text. in L. Item apud Labeonem. §. ait prætor. ff. eod. Bartol. ibidem. & hac auctoritate motus Couarr. lib. 2. variar. reſolut. cap. 10. num. 8. concluſionem clarè ponit. Conuenit cum hac doctrina Bald. in L. Si familia. ff. de iuriſdict. omnium iudic. dū ait, quod quando delictum habet nomen collectiuum, & illud ex pluribus actibus reſultat, & vnus titulus eſt criminis, vt in iniuria, tunc dicitur vnum delictum. Hinc etiam congruum eſt, quod tradidêre Cœpoll. in conſil. criminali. 77. Andr. Alciatus in cap. Cum non ab homine de iudicijs. num. 33. & poſt hos Couarr. in d. loco, quod ſi quis eadem oratione, eodem impetu & furore plura verba blaſphemiæ in Deum effutierit, vnius tantum blaſphemiæ pœna punitur, ac vna blaſphemia cenſetur: & ſic in caſu concluſionis plura verba pro vnica iniuria punienda forent.

Duodecima Concluſio. *Si lex peculiaris, aut ſtatutum alicuius ciuitatis, aut prouinciæ pro quolibet verbo iniurioſo certam imponeret pœnam, tunc etiamſi*

vno impetu & oratione plura verba, quorũ vnumquodq; perfectam ſignificaret iniuriam, proferantur, pluribus pœnis proferens puniendus foret Bartol in d. conſil. 108. Bald. in d. conſ. 361. Vterque Angel. Peruſin. & Aretin. in locis allegat. Iacob. de Arenis in d. L. Item apud Labeonem. §. Conuitium. Platea in d. §. Iniuria. Couarr. vbi ſupra, & alij alibi: Ratio clara eſt ex ſuperioribus. In caſu huius concluſionis ſunt plura verba iniurioſa, & ſtatutum, vt præſupponitur, punit quodlibet. Ergo pro verborum numero pœna multiplicatur: Secus autem iudicandum foret, ſi ſtatutum definiret certam pœnam pro vna iniuria, aut vno conuitio.

Decimatertia Concluſio. *Si quis ex interuallo, diuerſo loco, & tempore in eandem perſonam iniuriam iterauerit maximè ad diuerſos effectus, plures iniurias committit.* Hæc concluſio conſtare poteſt ex dictis. Omnes enim DD. ad vnitatẽ iniuriæ vnitatem impetus, orationis, & temporis, nec non eiuſdẽ continuationẽ, ſicut etiam identitatem effectus requirũt. Quando ergo hęc mutantur, variantur etiam iniuriæ, & eſt text. in cap. 1 de pœnis. Gloſſ. in c. imitare. 6. q. 1. & cap. Apoſtolicæ. verſ. deierauit. de re iudic. in 6. Petrus Ancharan. ibidẽ, criminis iteratio ex interuallo nouum delictũ producit. Abbas & Felin. in cap. Sicut de teſtibus, ſimile eſſe poteſt, ſi quis in clericum quinq; aut ſex ictibus, aut percuſsionibus manus violentas iniecerit eodem impetu & temporis cõtinuatione, vnicam tan-

cam tantũ excõmunicationem incurrit, arg. in text. Cum pro cauſa. de ſentent. excõ. & DD. ibid. Ioan. Andr. in reg. Delictum, de reg. iuris in 6. Cardinal. in Clem. 1. de priuileg. §. Si qui. & hæc eſt cõmmunis ſententia vt poſt alios Iul. Clar. lib. 5. ſentent. §. fin. pract. crim. q. 84. nũ. 2. refert. At ſi quis ex interuallo diuerſo tempore & loco eundem clericum percuſſerit, in aliam excõmunicationem incidit per idem ius. Nam ſemel excõmunicatus iterũ poteſt excomunicari Gloſſ. & DD. in d. cap. Cũ pro cauſa, & in cap. Officij. eod. tit. Vnde ad obtinendũ abſolutionis effectũ quando quis pluribus excõmunicationib. excõmunicatus eſt, vt pfectè abſoluatur, oportet omnes cauſas ꝓpter quas excõmunicationis pœnã incurrit, exprimere, iuxta text. & DD. in d. cap. Cũ pro cauſa, & in d. cap. Officij. De qua re latè ex alijs Syluest. in verbo Abſolutio. 3. q. 7. num. 11.

Decimaquarta Concluſio. *Iniuria verbalis iracundia calore prolata, non poteſt reuocari, nec per pœnitentiam hoc titulo excuſatur quis ab actione iniuriarũ & pœna.* Concluſionem tradunt Bald. Cyn. Petrus de bellapertica & alij nonnulli in L. Si non Conuitij. C. eod. tit. dum docent, quod in delictis & maleficijs quis non excuſetur ob calorem iracundiæ. Hos ſequuntur Capella Tholoſana in deciſ. 409. incip. Itẽ Titius fuit mihi iniuriatus, &c. Stephanus Aufrerius in addit. ibidem. Ludouicus. Roman. in

ſing.514.prope fin.Boërius in deciſ.169 incip. Licet in capitalibus cauſis. num.15. Licet Fernand. Vaſq. illuſtr. controuerſ. lib.1. cap.18. num.38.Boerio aliam opinioné tribuat, quod ante litis côteſtationem reuocari poſsit. Boſs. in pract. tit. de iniurijs. num. 22. Iul.Clar.lib. 5. ſentent. in §. Iniuria. num. fin. Vaſq. loc.cit. Andr. Gaill. obſeruationum pract. lib.2. obſeruat.106. & alij alibi. Et hanc puto communem veramque ſententiam, à qua in praxi nequaquam recedendum, licet Ioan. Arnob. in Epitom. 58. relatus à Iulio Claro loco cit. exiſtimet communé omnium ſententiam in contrarium, quod verba iniurioſè prolata per iracundiam non ſint punienda. Sed Iulius Clar. rectè nec credit, quod hæc communis ſit opinio, nec quod ſit vera: Sed antequam noſtra concluſio probetur, memoria retinendum varias eſſe opiniones inter eos qui intendunt iniuriam verbalem poſſe ob caloré iracundiæ reuocari, ita vt non ſit locus actioni & pœnæ. Lucas de penna in L. Omnes omnino curiales. C. de decurionibus, lib.10. vbi quærit intra quantum tempus ille, qui alicui infert iniuriam poſsit ſe excuſare allegando dictũ, vel factum per iracundiam, duas in primis refert opiniones ſecundum Leges Longobardorum: alteram quod huic allegationi locus ſit, antequam iniurians citetur. Aliam quod antequam probet: Deinde aliã adducit quod intra triginta dies hoc allegari poſsit, & iniuria

reuo-

reuocari, & hanc dicit ſibi placere. Hanc etiam ſententiam adducit Vaſq. vbi ſupra; & adfert aliquos DD. Decium, Lanfrancum Orianum, Angelum, Marſilium, & alios; ex quibus aliqui nę in minimo quidem accedunt ad hanc doctrinam, vt eſt videre apud Angel. in d. L. Si non conuitij, quem locum Vaſq. allegat: & Marſil. in ſing. 626. & c. Pro hac opinione adducitur text. in cap. Cum apud Theſſalonicã. 11. q. 3. & in L. Si vindicari. C. dę pœnis. Sed rectè adhæc iura Boërius loco cit. reſpondet. Primo quod illa iura loquuntur clarè in ſententia principis: ſuper aduerſione alicuius lata, intra triginta dies non exequenda, ſed differenda quouſq; locus miſericordiæ, vel pœnitentiæ non appareat, & ita Gloſſa in d. cap. Cum apud Theſſalonicã. Secundo, quia prædicta regula locum non habet in delictis in quibus quis calore iracundiæ non excuſatur. L. Si non conuitij. C. de iniurijs. Vt DD. ibidẽ atteſtantur, dum diſtinguunt, quod quædã ſunt, quæ iuris effectum ſortiuntur, vt repudium, contractus, votum, confeſsio, & c. Eţ iſta non ſortiuntur effectum, nec aliquid operantur, ſi facta ſint calore iracundiæ, quia non procedunt ex animo: cum ira mentis alienationem inducat. L. Si adulterium. §. Imperatores. ff. ad L. Iul. de adulterio, & cap. Si quis iratus. 2. q 3. & iuxta Vulgarem verſum; Impedit ira animum, nę poſsit cerne verum. Et quomodo in contractu, voto, iuramento,

& cófeſsione locum habeat regula; Quicquid calore iracundiæ factum eſt, pro infecto habetur. ff. de reg. iuris, & non in delictis breuiter declarat & confirmat Ludouic. Rom. in ſing. 514. incip. Volo commentari L. Quicquid calore, & Iaſ. in L. Si filiam. C. de inofficioſ. teſtam. Quædam ſunt quæ non ſortiuntur iuris effectum, vt maleficia & crimina; & in iſtis non excuſatur delinquens ob iracundiæ calorem, nec pœnitentia à pœna alienum efficit, & ex his plenius intelligitur text. in L. Quicquid calore. ff. de reg. iuris. Alia etiam eſt ſententia aliorum, quæ videtur docere quod iniuria verbalis calore iracundiæ dicta, vel prolata, poſsit reuocari indiſtinctè præſertim, vt intelligere videntur DD. ſi in continenti reuocetur, & pro hac opinione eſt Ang. in d. L. Si non conuitij, & ab alijs citatur Lanfrancus in cap. Quoniam contra, de probat. Felin. in cap. Dilecti. num. 16. de except. vbi ait. Hoc modo habes remedium euitandi actionem iniuriarum, vt reuoces verbum iniurioſum dicens, non fuiſſe benè dictum. De quo exclamat Lanfrancus in repet. cap. Quoniam cótra, &c. Sic Felin. & Marſil. in ſing. 626. incip. Calor iracundiæ plura operatur, vbi ait: Teneas mente notabile verbũ, videlicet ſi aliquis calore iracundiæ dixiſſet aliquod verbum iniurioſum alicui, & ex poſt eum pœniteat, tale dictum non ſibi nocebit, ſi iniuria eſt talis, quod poſsit reuocari per pœnitentiã, vt ſunt verba

verba iniurioſa: ſecus autem ſi iniuria eſſet talis, quæ reuocari non poſſet pœnitentia, vt ſi quis occidiſſet hominē, &c. Et in fin. ibid. ſubiungit: Tene mente pro adiuuando amico dicente iniuriā verbalē alicui, vt ſæpè cōtingit, & ego hoc anno habui hoc in facto & obtinui: ſic Marſil. ſunt etiā alij pro hac ſententia. Sed concluſio eſt cōmunis, & probatur cōmuniter hac ratione, quod in delictis cōſumātis non attenditur iracūdia, neq; pœnitentia, ne crimina maneant impunita, præſertim quādo actus iniuria cōiunctus eſt in prçiudiciū tertij. Alias ſi iniuria conſumata excuſaretur reuocatione, vix vnquā iniuria puniretur, & id fieret cum damno & læſione multorū, & hanc cōcluſionē probat text. in L. Si non cōuitij, ſecundū communē DD. ſenſum. Et dicit Iul. Clar. lib. 5. ſent. in §. Iniuria. num. 16. quod ita viderit in pract. obſeruari, & ſic deciſum etiā fuit in facti cōtingentia per curiā Tholoſ. in d. deciſ. 409.

Decimaquinta Concluſio. *Si quis calore iracūdiæ iniuriam verbo intulerit, mitius punitur.* Hanc tenent DD. communiter, Capella Tholoſana in d. deciſ. 409. Aufrer. ibidem, poſt Salycet. Bald. & Cynū in L. Si non conuitij. C. de iniurijs. Ludouic. Roman. in ſing. 514. Andr. Gaill. lib. 2. obſeruat. pract. obſeru. 106. Iul. Clar. & Vaſq locis cit. & alij communiter alibi; & ait Clarus quod ita ſemper vidit obſeruari. Ratio concluſionis in hoc fundatur, quod in delictis iracundia nō excuſet, ſed tan-

tum diminuat, vt mitius delictum puniatur, vt DD. volunt. Iaſ. in L. Si filiam tuam. num. 6. & ſeq. C. de inoffic. teſtam. Felin. in cap. Dilecti filij, de except. M. Anton. Bauerius in tract. de virtute iuramenti. num. 144. in 3. vol. Oceani iuris. Roman. loco cit. Boër. in deciſ. 168. late. Vaſq. in d. cap. 18. & plurimos pro hac re colligit DD. Gabriel. Sarayna in addit. ad Lodouicum Romanum in ſing. 514. & hæc eſt communis ſententia. Concluſionē probant. L. 1. C. Si quis Imperatori maledixiſ. L. Famoſi. ff. ad L. Iul. Maieſt. L. Si adulterium, §. Imperatores. ff. de adult. & cap. Quis iraſcitur. 13. q. 2. Ratio eſt etiam pro hac concluſione, quia ira mentis alienationem inducit & rationem perturbat. L. Si adulterium. §. Imperatores. ff. ad L. Iul. de adult. Et ira cōmotus non eſt in plenitudine intellectus. Bald. cap. 1. §. 1. in fin. de pace iuramento firmand. Quibus & Theologrum doctrina cōgruit, dum docent iram intelligentiæ lucem ſubtrahere, & iudicium rationis impedire, vt poſt D. Gregor. lib. 5. moral. cap. 31. S. Thomas 1. 2. q. 48. art. 3. & eius commentatores ibidem. D. Antonin. 2. part. tit. 7. cap. 1. §. 2. & alij alibi tradunt. Radix huius doctrinæ eſt, quod ira cum ſit paſsio, quando anteuertit vſum rationis, diminuit libertatem, & ex conſequenti etiam rationem culpæ. Cum enim libertas oriatur ex libero iudicio, & ira iudicium perturbet, perturbatum iudicium ſequitur

quitur non omnino libera voluntas in peccãdo, vnde ratio culpę diminuitur cui pœna cõmenſuratur: Cui doctrinæ pulchrè conſonat illa ſententia Ciceronis lib. 1. officior. In omni iniuſtitia, permultum intereſt vtrum perturbatione aliqua animi, quæ plerunque breuis eſt, & ad tempus, an conſultè & cogitatè fiat iniuria: leuiora enim ſunt ea quæ repentino aliquo motu accidunt, quam ea quæ meditata & præparata inferuntur. Ex quo capite doctorum ſententia exurgit quod calor iracundiæ pœnam diminuat, licet nón omnino excuſet. Hinc iuriſperiti tradunt eum qui calore iracundiæ blaſphemauit, aut peierauit mitius puniendum & non pœna ordinaria. Iaſ. in d. L. Si filiam tuam, allegans etiam alios. Abbas antiquus in cap. 2. de maledic. Decius in L. Quicquid calore. num. 8. de regul. iuris Menoch. de arbitr. iudic. qq. cauſu. 319. nũ. 32. Iul. Clar. lib. 5. Sentent. §. fin. pract. crim. q. 60. num. 9. & alij alibi. Iræ autem calore quando quid factum dicitur ad effectum, vt dictũ vel factum mitius puniatur, non præſumitur, ſed probandum eſt, vt poſt Panormit. & Felin. in cap. Sicut. de iureiur. Decium in d. L. Quicquid calore, in fine, & ibid. Hieron. Cagnol. num. 9. Fernand. Vaſq. in d. cap. 18. num. 32. oſtendit. Ratio redditur ab eodem: Quia homo eſt animal rationale: Ira autem remouet ab eo vſum rationis. Ergo nunquam præſumitur in homine niſi probetur. Cum autem

ira furor breuis ſit iuxta Horatium lib. 1. Epiſtol. non eſſet ferendus, vt Vaſquius annotat, qui cauſaretur quaſi ob iram delictum ſe feciſſe, ſi inter cauſam iraſcendi, & illud delictum fuiſſet longum interuallum. Quando hactenus traditum, quod ira faciat ad hoc vt in delictis mitior pœna infligatur, intelligendum eſt de ira non ſimpliciter, ſed ex iuſta cauſa orta & concepta, ſiue vt aliqui dicunt, de ira laceſsita, vt tradidere Decius & Hieronymus Cag. in d. L. Quicquid calore. Abbas & Ioannes Andreas in cap. 2. de maledic. & poſtea recentiores Vaſq. in d. cap. 18. num. 30. Iulius Clarus in d. §. fin. q. 60. numero 9. & hæc eſt communis opinio ſecundum Vaſquium. Dicit tamen Clarus ſe quandoque repeřiſſe eos etiam qui ſine iuſta cauſa calore iracundiæ in verbis exceſſerant puta contumelias inferendo, fuiſſe mitius punitos, & refert ex Afflict. ſuper 3. part. conſtit. regni Rubr. 54. numero 5, quod per curiam Neapolit. fuerit abſolutus quidam ruſticus, qui faciendo computa cum domino ſuo iratus dixit, quod Deus non potuiſset facere, quod eſſet debitor tot operarum. *Dubitari poteſt hoc in loco. An iniuria ſcripta verbali comparetur, vel reali*: Antequam reſpondeatur præſupponitur tanquam certū, & ab omnibus receptum, iniuriam etiam literis & famoſis ſcriptis inferri per L. vnic. C. de famoſ. lib. & L. Lex Cornelia §. Si quis librū. ff. de iniurijs. Pro reſolutione ſit.

Decima-

Decimaſexta Concluſio. *Iniuria per ſcripturã illata non eſt realis, ſed verbalis.* Hanc tenent Ludouic. Roman. in conſil. 378. incip. Quoad primum. Aufrer. ad deciſ. 127. Capellæ Tholoſanæ. Addit. ad Bartol. in L. Item apud Labeonem. §. ait Prætor. ff. de iniurijs. Andreas Gaill. pract. obſeruat. lib. 2. obſer. 104. num. 1. Concluſio probatur per d. §. Si quis librũ, vbi iniuria ſcripta cõparatur verbali, & quo ad pœnã & quantũ ad delicti qualitaté. Quod nõ cõueniret, ſi verbalis nõn eſſet: cum realis iniuria grauior ſit, fauet etiam text. in d. L. apud Labeonem §. Conuitium. Verum hoc obſeruandum quod iniuria ſcripta, vel picta in hoc differat à verbali, quod illa non tollatur in anno, ſicut hæc. Vnde etiam actio ſupra iniuria ſcripta poteſt intentari poſt annũ, nec tẽporis ratio habetur ea de cauſa, quod ſcriptura ſit perpetua, ſemperq; maneat, ac ſemper loquatur vt Zaſ. in L. Cum lex. num. 4. ff. de legib. probat, & ſcriptura habet actũ permanentem. Bald. in L. vnic. nũ. 5. C. de cõfeſſ. & non cõfeſſio viua voce facta. Et ſic in Camera Spirenſi ſeruatur, vt in decernẽdis ꝓceſsibus, ſi iniuria ſcriptis ſit illata temporis ratio non habeatur, an videlicet actio intentata infra, vel poſt annum ſit, vt teſtis eſt Gaill. in d. obſer. ꝓpe finẽ.

Decimaſeptima Concluſio. *Iniurioſa & contumelioſa verba contra Principem dicere, non eſt crimen læſæ maieſtatis.* Hanc tenent Aymo. Grauet. in conſil. 6. incip. Plura videnda ſunt.

num.1. & poſt eum Couarr. lib.1. variar. reſo-lut. cap.11. num.5. verſus finem. Hieron. Gigas in tract. de crimine læſæ Maieſtatis, tit. Quomodo & à quib. crimen læſæ maieſtatis committatur. Menoch. lib.2. de arbitr. Iudic, qq. caſ. 377. num. 14. qui & alios allegat, probatur. In iure crimina maledictionis & læſæ maieſtatis ponuntur ſub diuerſis & ſeparatis titulis. Ergo diuerſa ſunt crimina. Sic ex diuerſitate titulorum arguunt Abbas in conſil. 57 col. 3. verſ. 3. lib. 1. Oldrad. in conſil. 210. incip. Regularis, probans Sortilegium non eſſe hæreſin; & Dominicus Geminian. in conſ. 54. Deinde diuerſitas pœnæ arguit diuerſitatem delicti. Bald. in conſ. 48. incip. Super vnitate. col.2. lib. 3. & Federic. de Senis in conſ. 61. incip. Quidam vſurarius; At diuerſæ ſunt pœnæ maledicentis principi & committentis crimen læſæ maieſtatis. L.1. C. Si quis Imperatori maled. & in C. & ff. ad L. Iul. maieſt. Præterea horum duorum criminum diuerſitas oſtenditur arguendo à crimine læſæ maieſtatis diuinæ ad crimen læſæ maieſtatis humanæ, quod argumentum procedit iuxta Gloſſ. in L. Manichæos. in verb. debet. C. de hæret. & Alexand. in L. fin. ff. ad L. Iul. Maieſt. Sed in Deo & Chriſto crimen læſæ maieſtatis & crimen maledictionis diſtinguuntur, & vt ſeparata ponũtur, & longe diſpar eſt pœna vtriuſque criminis, vt patet in tit. de hæret. & in

alio

ālio de maled. Plura quæ faciunt pro hac cõcluſione adfert Crauet.

Decimaoctaua Concluſio. *Irrogans, ſiue inferens contumeliam, conuitium, ſiue iniuriam verbalem Cardinali, non incurrit pœnas ſtatutas à Romano Pontifice in cap. Fœlicis de pœnis, in 6.* Hæc concluſio eſt contra Ioannem ab Anania in cap. 1. num. 5. de maledic. & Feliſium in cap. Non dubium. de ſentent. excommunicat. Eam autem tradunt Ioannes Bernard. Epiſcopus Calagurienſis in pract. crimin. canon. cap. 60. & Couarr. in d. num. 5. Antequam hæc concluſio probetur, pro eius intelligentia in primis prænotandum, quod cap. Felicis, de pœnis, quantum ad pœnas loquitur de eo, qui inſectatus fuerit, percuſſerit, aut cœperit tanquam inimicus aliquem Cardinalem, &c. Et talis in illo cap. redditur infamis, ac ſi reus eſſet læſæ maieſtatis, nec poteſt teſtari, nec capax eſt ad recipiendum ex teſtamento, &c. Et tandem excommunicatus eſt cum reſeruatione abſolutionis. His accedit quod quantum ad excommunicationem nunc extenditur illud cap. per Bullam Cœnæ Domini vltra Cardinales, ad Patriarchas, Archiepiſcopos, Sedis Apoſtolicæ legatos, & nuncios vt annotat. Nauarr. in manuali confeſſariorum, cap. 27. num. 67. & 97. Poſtremo Ioannes ab Anania, quem refert, nec ab eo recedit Felin. loco cit. fundat ſe in hoc, quod percuſsio duplex ſit. Quædam facto fiat

cto fiat: alia verba ex Bartol. in L. Aut facta, in princip. ff. de pœnis, & ita latè accipitur percuſsio in d. conſtitutione prout vtramq; cóprehendit. Cum enim ea cóſtitutio fauorabilis ſit & in fauorem Romanæ Eccleſiæ, & miniſtrorum eius, in lata ſignificatione conſtitutio intelligenda. Probatur nunc concluſio. Grauis pœna à iure in percutientem ſtatuta, nunquam comprehendit inferentem verbis iniuriam, & confirmatur. Si ratio reddita ab Anania valeret etiam concluderet ſententiam Canonis. Si quis ſuadente. 17. q. 4. includere inferentes iniurias verbis contumelioſis & iniurioſis, &c. Cum ea conſtitutio in fauorem totius cleri facta ſit: quod nemo canonum, aut Theologiæ peritus vnquam dixit. Præterea pœnalis conſtitutio nunquam extenditur ex lata verborum ſignificatione niſi eadem ratio ſubſit, iuxta tradita per Dominicum & Franc. in cap. 1. de temporibus ordinand. in. 6. Bartol. & recentiores in L. conſtante ff. Solut. matrim. Iaſ. in L. fin. ff. de in ius vocand. Decium in cap. tranſlato. de conſtit. At diuerſa eſt ratio iniuriæ verbalis & realis, vt quiſque ratione vtens facilè aduertit: Ergo conſtitutio mentionem faciens iniuriæ, quæ facto cómittitur non debet trahi ad verbalem. Plura in confutationem ſententiæ illius Couarr. adfert.

QVAE-

QVAESTIO DECIMA.

An iniuria, & quomodo remittenda?

QVAE in hac quæſtione pertractabuntur tam foro fori, quam conſcientiæ inſeruient.

Prima Concluſio. *Quiſquis in præparatione animi ita debet eſſe conſtitutus, vt cum patientia velit omnes contumelias & iniurias illatas ſuſtinere, quatenus propria & aliorum ſaluti id conueniens fore cognouerit.* Hanc tradunt S. Thomas. 2. 2. q. 72. art 3. & commentatores eius ibidem. D. Antoninus in 2. part. tit. 7. cap. 6. §. 4. Angel. Sylueſt. & alij in verbo Contumelia. Archidiac. & Ioann. à Turre. rem. cum text. in cap Paratus 23. q. 1. ex Auguſt. lib. 1. cap. 34. & ſeq. de ſermone Domini in monte, dum exponit illud præceptum DOMINI: Si quis te percuſſerit in vna maxilla, præbe ei & aliam, &c. Præcepta enim patientiæ in his quæ cotra nos fiunt, & dicuntur in præparatione animi ſunt habenda. Vnde in d. cap. Paratus debet eſſe homo iuſtus, & pius patienter eorum malitiam ſuſtinere quos fieri bonos quærit, vt potius creſcat numerus bonorum: non vt pari malitia ſe quis numero addat malorum. Deniq; iſta præcepta magis ad præparationé cordis, quam ad opus quod in aperto fit pertinent, vt teneatur in ſecreto

creto animi patientia cum beneuolentia, & Latius ibid. de hac materia, & D. Auguſt. vbi ſupra.

Secunda Concluſio. *Interdum laudabile, Chriſti humilitati conformius, & Chriſtiana charitate, dignum, illatas iniurias ſuſtinere, & de verbis contumelioſis falſo nobis impoſitis in Domino gaudere.* Hanc docent S. Thomas, quodlibeto 10. art. 13. S. Antonin. loco cit. & ex recentioribus doctè Martinus Nauarr. in comment. cap. Inter verba. 11. q. 3. concl. 2. & communiter DD. alibi, & probatur ex ſacris literis. Pſal. 37. Qui inquirebant mala mihi locuti ſunt vanitates, & ſubditur: Ego autem tanquam ſurdus non audiebam; & ſicut mutus non aperiens os ſuum. Matth. 5. Cum maledixerint vobis homines mentientes propter me, gaudete & exultate: quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis, & Lucas in act. 5. cap. de Apoſtolis: Ibant gaudentes à conſpectu concilij: quoniam digni fuerunt pro nomine Ieſu contumeliam pati, & in multis canonib. de hac re ſunt luculenta teſtimonia, inter quæ maximum eſt illud D. Gregorij, lib. 8. Epiſtolarum, cap. 45. relatum à Gratiano in d. cap. Inter verba. Inter verba, ait, laudantium, ſiue vituperantium ad mentem ſemper recurrendum eſt: & ſi in ea non inuenitur bonum, quod de nobis dicitur: magnam triſtitiam generare debet: & rurſum ſi in ea non inuenitur malum, quod de nobis homines loquuntur, in magnam lætitiam debemus

bemus proſilire. Quid enim ſi homines laudent, & conſcientia nos accuſet? aut quæ debet eſſe triſtitia, ſi omnes accuſent, & ſola conſcientia liberos nos eſſe demonſtret? Habemus Paulum dicentẽ (Gloria noſtra hęc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ) Iob quoque dicit (Ecce in cœlo teſtis meus) Si ergo eſt nobis teſtis in cœlo, teſtis in corde: dimittamus ſtultos foris loqui, quod volunt, &c. Ibidẽ cap. Senti: ex Auguſtino ad Secundinum Manichæum; Senti, de Auguſtino quicquid libet. Sola me in oculis Dei conſcientia non accuſet? & c. In cunctis. & 23. q. 4. cap. Quod Chriſtus. §. Poteſt. Dominus autem volens eos iniuriam propriæ perſonæ cum patientia & gaudio tolerare: iniuriam vero ſeruitutis Diuinæ non inultam relinquere ait: Neſcitis cuius ſpiritus eſtis. Hinc etiam Petrus qui cum alijs audierat. Beati eritis cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſus vos: gaudetẽ in illa die & exultate, &c. Chryſoſt. hom. 9. in opere imperfecto ſuper Matth. Si autem verum eſt quoniam qui calicem aquæ porrexerit, merces eius non perit: conſequenter qui vel vnius leuiſsimi verbi iniuriam fuerit paſſus vacuus non erit à mercede, & ibidem prope finem: quantum aliquis lætatur de laude hominum, tantum de vituperatione triſtatur. Qui vero gloriam concupiſcit in cælo, opprobria non timet in terris, & in hom. 5. in eodem

capite. Illius diſcamus exemplo noſtras quidē iniurias magnanimiter ſuſtinere, Dei autem iniurias, neque vſque ad auditum ſufferre: quoniam in proprijs iniurijs eſſe quem patientem laudabile eſt: iniurias autem Dei minis impium eſt diſsimulare. D. Gregorius hom. 9. ſuper Ezechielem. Quid autem poterit obeſſe, ſi homines vobis derogent, & ſola vos conſcientia defendat? ſed tamen linguas detrahentium ſicut noſtro ſtudio non debemus excitare; ne ipſi pereant; ita ob ſuam malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare; vt nobis meritum creſcat, & Liberius Pontifex in cap. Suggeſtum; 7. q. 1. Non vos à piæ mentis propoſito afflictionis amaritudo coërceat recedere; conſiderantes quanta creator Dominus pro vobis pertulerit: quibuſue contumelijs afficiendum tradiderit pro veſtra liberatione. Poſtremo vt ait S. Thomas in d. art. 13. In vitis Patrum legitur de multis ſanctis qui proprias infamias ſuſtinebant eas non repellentes.

Tertia Concluſio. *Quandoq; homo debet contumeliam illatā repellere maximè propter duo.* Primo propter bonum eius qui contumeliā infert, vt eius audacia reprimatur, ne de cætero ſimilia attentet, & ſecundum hunc ſenſum procedit illud Pouerb. 27. Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi videatur ſapiens. Alio modo ob bonū multorū, quorum profectus impeditur propter contumelias illatas. Hinc Gregor,

Gregor. hom. 9. ſuper Ezech. Hi quorum vita in exemplo imitationis eſt poſita, debent ſi poſſunt detrahentium ſibi verba cōpeſcere, ne eorum prædicationē non audiant, qui audire poterant, & ita in prauis moribus remanentes, benè viuere cōtemnant. De hac re D. Thomas 2. 2. in d. art. 3. Antonin. Angel. Sylueſt. & Nauarr. locis cit. Sot. lib. 5. de iuſtit. & iure. q. 9. art. 3. Hinc infertur cum Nauarro in d. cōcl. 2. num. 15. quod cōcionatores, Doctores & Prælati peccant, qui modeſtè non reſpondent iniurijs & detractionibus quæ probabiliter fructum doctrinæ, cōuerſationis & regiminis cōijciuntur impedituræ. Vnde & D. Gregor. in d. homil ſubiungit: Linguas detrahētiū oportet aliquādo cōpeſcere, ne dum de nobis mala diſſeminant, eorū qui nos audire ad bona poterāt cordis innocētia corrumpatur: & in hunc ſenſum etiā intelligendū illud Auguſt. in cap. Non ſunt audiendi. 12. q. 1. Duæ res ſunt cōſcientia & fama, conſcientia neceſſaria eſt ſibi: fama proximo ſuo, qui confidens conſcientiæ negligit famam, crudelis eſt. Quod veriſsimū eſt in eis, qui præſunt alijs: tum enim proficiendi occaſio tollitur. Atque idem dicendum eſt quando infamia alicuius redundaret in infamiam, aut damnum aliorum. Priuatus enim quando ſcandalum abeſt, patienter ferre poteſt contumelias & detractiones.

Quarta Concluſio. *Quiſquis moderatè & ſapienter mitibus verbis poteſt conuiciantis audaciam com-*

primere, ne ſibi videatur ſapiens: non tamen duris & acerbis, ne ei efficiatur ſimilis. Hanc docent S.Tho. in ſol. ad primum Sot. & Nauarr. locis cit. & probatur ex illis duobus locis ſcripturæ quæ contraria ſonare videntur, & ſecundum hanc concluſionem conciliantur. Quorum vnum eſt: Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ei ſimilis efficiaris: & aliud eiuſdem: Sapientis. Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ei ſimilis efficiaris. Quæ poſtrema verba in hunc ſenſum accipienda, vt reſpondens ſtulto & iniurianti, non ita immoderatè, & imprudenter metas rationis excedēdo reſpōdeat, vt etiam ſtultus & iniurians efficiatur. Aduertendum autem pulchrum documentum D. Thomæ in d. art. 3. ad vltimum, quod poſt eum S. Antonin. Nauarr. Sotus & alij recentiores in memóriam reducunt: Si quis cōuiciantem eo animo & quaſi dolo tacendo audiat, vt obmuteſcendo eum ad maiorem iracundiam prouocet, peccat: quia hoc ad vindictam ſpectat. At ſi aliquis taceat, vt det locum iræ iuxta Apoſtolicam doctrinam laudabile eſt, vnde illud Eccleſ. 8. Non litiges cum homine linguato, & non ſtruas in ignem illius ligna.

Quinta Concluſio. *Iniuriam verbo vel facto paſſus, tenetur ex animo & corde remittere iurianti rancorem, & odium ſi quod erga illum concepit ob iniuriam illatam.* Hanc tradunt S. Thom. 2. 2. q. 108. art. 1. S. Antonin. in 2. part. tit. 8. cap. 3. §. 6.

Angel.

Angel.in verb.Iniuria.num.6.Syluest. ibidē q.5. Aurea Armil. ibidem. num.4. doctè Gabriel ſuper can. miſſæ lect. 73. in lit. E. & in lect.76. S. Bonauent. in 3. d.30 in expoſit. literæ, & in q. 4. & 5. Scotus in ead. d. Gloſſ. Turrecrem. in cap. Si quis contriſtatus d. 90. Panormit. in cap. 1. de maledict. Antonius à Butrio in cap. Quod quidem de pœnit. & remiſs. Ioan. Lup. in tract. de confœderatione principum. §. Antequam veniam ad aliud. Bald. Faber. & alij §. finali Inſtit. de iniur. Couarr. lib. 2. variarum reſolut. cap. 10. num. 7. Nauarr. in manuali confeſſ. cap. 14. numero 25. & alij alibi, & hæc eſt communiſsima opinio tam Theologorū quam Iuriſperitorum. Hæc concluſio probatur ex Oratione Dominica Matth. 6. Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus. & ibidem. Si non dimiſeritis hominibus, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra, & Matth. 5. Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros. Marc. 11. Cum ſtabitis ad orandum, dimittite, ſi quid habetis aduerſus aliquem, vt & pater veſter qui in cœlis eſt, dimittat vobis peccata veſtra. Roman. 12. Nulli malum pro malo reddentes: & iterum ibidem: Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum. Ad Coloſſ. 3. Nunc autem deponite & vos omnem iram, indignationem, &c. ſupportantes inuicem & donantes vobiſmetipſis, & ad Epheſ. 4. Eſtote inuicem benigni, miſericordes, donan-

tes inuicem, ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis. Eccleſiaſtici 28. Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius ſeruans ſeruabit. Relinque proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur. Homo homini reſeruat iram: & à Deo quærit medelam? In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur? Ipſe dum caro ſit reſeruat iram: & propitiationẽ petit à Deo? quis exorabit pro delictis illius? Memento nouiſsimorũ & deſine inimicari: Hæc Eccleſiaſtici verba aurea ſunt ad perſuadendum omni Chriſtiano non omnino indurato propoſitã concluſionẽ. Præterea text. in d. 90. cap. Si quis cõtriſtatus, ſecũdũ omnes probat hanc veritatẽ, & etiã cap. fin. de pœnit. d. 5. dum dicitur: Falſa eſt enim pœnitentia, cum pœnitens ab officio, &c: aut ſi odiũ in corde geſſerit: aut ſi offenſo cuilibet nõ ſatisfaciat: aut ſi offenſus offendẽti non indulgeat: Præterea cum ſit præceptũ hoc negatiuũ, ſemper homo deponere tenetur ex corde odium & rancorẽ erga proximũ. Sed multis præceptũ de dilectione inimicorũ obſeruatu impoſsibile videtur. Sed S. Patres optimè tradũt non fore difficile. Baſil. in li. de inſtitutis Monachorũ, cap. 77. & in antiquiorib. 82. Auguſtin. ſerm. 61. de tempore Hieronym. in cap. 6. Matth. in illa verba: Diligite inimicos veſtros. Theophilact. ibid. & alij. Concluſio eſt intelligenda, quod iniuriatus teneatur deponere

rancorem

rancorem & odium erga offendentem, ſiue is petat ſiue non, vt D. Bonauentura in d. d. 30. ſuper litera Magiſtri, Gabr. loco cit. Syluest. in verb. charitas q. 6. numero 4. Gloſſ. in d. cap. Si quis contriſtatus. Couarr. loco cit. & alij rectè intelligunt. Quamuis Bartol. in L. Si tibi, §. 1. ff. de pact. & in L. Non ſolû. §. Iniuriarû. ff. de iniurijs dubitet motus, vt ipſe putat auctoritate Magiſtri in d. d. 30. qui tamen nihil ad propoſitum ait, ſed vnam auctoritatem Auguſtini in Enchridio allegat, quam S. Bonauentura ſoluit, an ante petitionem iniuriantis, iniuriatus teneatur remittere rancorem & odium, ſed tandem bene ſe reſoluit Bartol. in hoc ſtandum eſſe Theologis. Poſt Bartol. auctoritatem etiam dubitarunt Bald. §. fin. Inſtit. de Iniur. Anton. Burgen. in cap. 1. col. penult. de empt. & vendit. qui tamen etiam ſe ſubmittit iudicio Eccleſiæ & ſui Reuerendiſsimi Epiſcopi, & Ioannes ab Anania in capite 1. de maledict. in col. penult. qui tamen tandem concludit tanquam tutius tenendum quod quis teneatur dimittere etiam non petentibus. Vnde clarum redditur non rectè Didacum Couarr. allegare loco citato. Bartol. Burgen. & Anan. quaſi ſimpliciter teneant iniuriam paſſum nô teneri dimittere rancorem & odium, niſi iniuriam inferens petierit. Cum hi DD. nihil definiuerint, & Anan. contrarium tutius iudicauerit, & benè. Optimè enim Gabr. in

 d. lect.

d. lect. 73. in lit. P. dicit, non refert an iniurians & offendens petat, an non petat ſibi ignoſci: an quærat reconciliari an non; quia non ex eo quod petunt, nos eis ignoſcere obligamur; ſed quia Chriſtus præcepit dimittere debitoribus noſtris, & diligere inimicos noſtros. Vnde non dixit Chriſtus; dimittite debitoribus veſtris, qui vos deprecatur, vt ignoſcatis; Diligite inimicos veſtros, qui quærunt reconciliari vobis, ſed ſine adiectione dixit; Si non dimiſeritis debitoribus véſtris, neque pater veſter cœleſtis dimittet vobis peccata veſtra. His accedit quod nullo tempore homo odium habere, & rancorem gerere ergà proximum debet; cum hoc contra præceptum Dei & charitatem proximi ſit.

Sexta Concluſio, *Homo offenſus, ſiue quacunq; iniuria affectus non tenetur proximo qui ei iniuriam intulit, remittere actionem iniuriarum, & ſatisfactionem pro iniuria illata.* Hanc etiam communiter DD. tenent. S. Antonin. loco cit. Gabriel. Angel. in verb. Iniuria. Couarr. Gloſſ. in d. cap. Si quis contriſtatus & alij vbi ſupra. Panormit. Anton. de Butrio. Imol. & Felin. in cap. De cætero. de teſtibus. Et vt hæc concluſio cum annexis melius intelligatur notandum ex Petro Tarantaſio quem Syluester in d. q. allegat, & Durando quem S. Antonin. adducit vbi ſupra, ex illatione iniuriæ tria frequenter, & vt plurimum oriri, hoc tamen intellige niſi perfectio in offenſo aliqua excludat. In corde ſiue affectu

ue affectu rancor, ſiue ira, aut odium naſcitur. In opere & effectu ſigna rancoris & inimicitiæ, & in iure ſiue foro exteriori actio contra iniuriantem pro ſatisfactione. In quinta concluſione actum de priori, in hac agitur de poſteriori prætermiſsis ſignis, quæ ad ſecundum ſpectant, de quibus S. Thomas 2. 2. q. 25. art. 8. & præcipuè 9. & Commentatores eius ibidem, & Sylueſt. in d. q. 6. & eruditè Gabr. ſuper can. miſſæ. lect. 76. quæ diligenter perſpicienda cōfeſſario, vt intelligat quando abſoluendi, vel non in confeſsione, qui remiſſo rancore non exhibent ſigna vniuerſalia, aut particularia dilectionis offendenti & iniurianti. Concluſio ſatis nota eſt ex praxi quotidiana & experientia. Deinde vindicatio, & etiam accuſatio mediante auctoritate publica eſt actus virtutis iuſtitiæ iuxta S. Thomam 2. 2. q. 108. art. 1. & 2. Caietan. 22. q. 68. art. 1. Sotum in relect. de tegend. & deteg. ſecretum memb. 2. q. 5. concl. 2. Didac. loco cit. & alios alibi. Actus autem virtutis debitis veſtitus circumſtantijs non eſt prohibitus, ſed licitus. Ad hæc ſi non eſſet licitum agere pro ſatisfactione iniuriæ apud iudices, magna confuſio & perturbatio generaretur in republ. concordia ſolueretur, iuſtitia læderetur, & paſsim mali bonos iniurijs impeterent, tribuereturque impijs incentiuum delinquendi. Accuſatione ergo & iniuriarum actione apud magiſtratū compeſcenda eſt temeritas, & audacia male-

uolorum. Verum tamen aduertendum ex doctrina S. Thomæ in d. q. 108. art. 1. recepta ab Angelo, Sylueſtro, Aurea Armilla, & alijs in verb. Vindicatio. Ioannes à Medina in C. de rebus reſtituendis quæſtion. 29. Conarr. loco citato, & alijs alibi; quod in accuſatione & vindicatione, quæ fit publica auctoritate, vt ſine peccato fiat, recta intentio deſideretur. Et vt hoc rectè intelligatur cum S. Thoma & DD. alleg. recolendum quod intentio poteſt ferri, aut in læſionem, & malum eius contra quem proceditur, & agitur: vt ibi animus quieſcat: & cum hoc ſpectet ad odium proximi, eſt peccatum mortale, quod & comprobatur 23. q. 4. c. Si Eccleſia, & cap. Quiſquis Chriſtianus & cap. Ea vindicta: Aut animus ſic agentis tendit in aliquod bonum, ad quod peruenitur per pœnam & vindictam, vtpote emendationem eius qui læſit, iuſtitiæ conſeruationem, quietem aliorum, aut honorem Dei, &c. Et tunc ſi non occurat aliqua circumſtantia mala, licita eſt actio, nec peccato inficitur & ſpectat ad actum virtutis iuſtitiæ. Exiſtimat tamen ex mente D. Thomæ, & Sylueſtri in verb. Accuſatio. q. 5. Didac. vbi ſupra, quod ſi principalis intentio recta ſit, etiam ſi humana fragilitate animus in affectum aliquem aduerſus reum labatur, non ſtatim ſit culpæ mortalis arguendus, ſed ſit tantum veniale, ſi aliqua paſſio fragilitatis adiungatur principali intentioni

tioni vt Syluest. loquitur arg. cap. Accuſaſti de accuſat. & 2. q. 7. c. Si qui ſunt.

Septima Concluſio. *Etſi iniuriatus & iniuria affectus in confeſsione, & in foro conſcientiæ ſiue animæ, iniuriam dimiſerit & condonauerit, tamen adhuc poterit in iudicio & exteriori foro accuſare, & actionem iniuriarum inſtituere contra iniuriantem.* Bartol. in L. Non ſolum. §. 1. ff. eod. & in L. Si tibi decem. §. 1. ff. de pactis. Alexander ibidem. Ioan. ab Anan. in cap. 1. de maledic. Felin. in cap. De his criminibus, de accuſat. DD. in §. fin. Inſtit. de iniurijs, & hæc eſt communis opinio, vt atteſtantur poſt Alexandr. in d. §. 1. Couarr. libro 2. variarum reſolut. capit. 10. numero 7. verſic. Tertium conſtat. & Iulius Clarus libro 5. §. fin. practic. crimin. Ratio concluſionis à DD. redditur: Quia remiſsio quæ fit in foro conſcientiæ, ad odium & rancorem pertinet, & non ad accuſandum & agendi ius, cum ex præcepto Euangelij Chriſtianus tantum dimittere & deponere teneatur rancorem & odium. Hinc infertur cum DD. quod ſi quis in infirmitate ſacerdoti confeſſus iniuriam remiſiſſet, ſi conualeſceret poſſet adhuc accuſare & reum conuenire actione iniuriarum: Verumtamen, ſi iniuriatus mentem ſuam ita aperiret, vt remiſſio non ſolum tenderet ad odium & rancorem, ſed etiam ad ſatisfactionem & actionem iniuriæ, tunc plenè remiſsio ſuum obtineret effectum, vt ſi diceret ſe plenam

facere

facere remiſsionem. Felin. cap. De his criminib. de accuſat. &c. Inter quatuor de maior.& obedient. numero 7. Bald. in cap. 1. de pace iuramento firmanda, §. Iniuria num. 7. Iaſo, in lege. Si tibi decem. §. Quædam ff. de pact. Marſil. in ſingul. 246. incip. Remiſsio iniuriarum, In dubio autem ſolum cenſetur remiſiſſe rancorem & odium in animo non actionem iniuriarum, vt communiter DD. definiunt contra Gloſſ. fin. in §. fin. Inſtit. de iniurijs, & Bart. Bald. Iaſ. & alij in d. L. Si tibi decem.

Octaua Concluſio, *Remiſſa etiam iniuria, quantum ad ius accuſandi & agendi in foro exteriori læſus & iniuria affectus adhuc poteſt petere damna & expenſas ſi quæ enata ſint ex læſione & iniuriæ illatione.* Sic tradunt Speculator tit. de accuſatore, §. 1. verſ. Quid ſi vulneratus, Bald. in c. 1. §. Iniuria punitur. num. 7. verſ. Quæro vtrum iniuria remiſſa, de pace iuram. firmand. Idem Bald. Alexand. Iaſ. & DD. alij in d. L. Si tibi decem, §. Quædam. Panormit. & Petrus Ancharan. in hoc cap. Felin. in d. cap. De his criminibus. Boërius in deciſ. 52. num. 6. Henningus conſ. 2. de iniurijs, num. 2. vol. 9. Menochius de recuperand. poſſeſs. remed. 1. numero 307. & latè lib. 3. de præſumptionibus, præſumption. 114. & hæc eſt communis opinio, vt ſentiunt Didac. vbi ſupra verſ. Quarto eodem iure. Iulius Clarus lib. 5. §. fin. pract. crimin. q. 58. numero 38. Andreas Gaill. in tract. de Arreſt.

imperij.

imperij.cap.14.num.7.qui dicit in materia iniuriarum cõmuni DD. calculo illud receptũ, & in Camera multis præiudicijs cõfirmatum, & poſt alios Ioſeph. Maſcard. de probationibus vol.2.concl.902.nũ.29.Cõcluſio probatur per text. in L. Si domus. ff. de ſeruit. Vrban. Prædior. quem communiter DD. ita allegant & Boër. per l. 35. Qui in puteum. §. Si poſtea. ff. Quod vi, aut clam. & fundatur in optima ratione. Iniuria illata, & damnũ ex ea proueniens diuerſa & ſeparata ſunt ſecundũ Panormit. & Ancharan. in hoc cap. & alios alibi. Ergo vnũ ſine altero remitti poteſt; & remiſſa iniuria non cenſentur remiſſa damna; & intereſſe ſiue expenſæ: Quia hæc nomine iniuriæ non continentur, ſed diuerſa ſunt. Hinc pro cautela obſeruandum, vt in tranſactione iniuriarum, quando tranſigitur etiam de damnis & intereſſe, inſtrumento pacis expreſsè & nuncupatim exprimatur: vt meminit Gaill. loco cit. num. 8. poſt Bald. in d. L. Si tibi. §. Quædam & alios.

Nona Concluſio. *Iudex, ſiue officialis prouinciam regens & iuriſdictionem exercens non poteſt cogere offenſum, vt iniuriam remittat, & pacem ineat cum iniuriante & offendente.* Bald. in l. 1. §. Qui eſt, numero 2. ff. de offic. præfect. vrbis. Marſilius conſ. 98. incip. Titius & Seius, &c. ſtatim à numero 1. & dicit communem eſſe opinionem, & poſt eum Iulius Clarus in d. q. 58. numero vlt. & allegatur pro hoc textus in Auctor.

Vt litig.

creto animi patientia cum beneuolentia, & Latius ibid. de hac materia, & D. Auguſt. vbi ſupra.

Secunda Concluſio. *Interdum laudabile, Chriſti humilitati conformius, & Chriſtiana charitate, dignum, illatas iniurias ſuſtinere, & de verbis contumelioſis falſo nobis impoſitis in Domino gaudere.* Hanc docent S. Thomas, quodlibeto 10. art. 13. S. Antonin. loco cit. & ex recentioribus doctè Martinus Nauarr. in comment. cap. Inter verba. 11. q. 3. concl. 2. & communiter DD. alibi, & probatur ex ſacris literis. Pſal. 37. Qui inquirebant mala mihi locuti ſunt vanitates, & ſubditur: Ego autem tanquam ſurdus non audiebam; & ſicut mutus non aperiens os ſuum. Matth. 5. Cum maledixerint vobis homines mentientes propter me, gaudete & exultate: quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis, & Lucas in act. 5. cap. de Apoſtolis: Ibant gaudentes à conſpectu concilij: quoniam digni fuerunt pro nomine Ieſu contumeliam pati, & in multis canonib. de hac re ſunt luculenta teſtimonia, inter quæ maximum eſt illud D. Gregorij, lib. 8. Epiſtolarum, cap. 45. relatum à Gratiano in d. cap. Inter verba. Inter verba, ait, laudantium, ſiue vituperantium ad mentem ſemper recurrendum eſt: & ſi in ea non inuenitur bonum, quod de nobis dicitur: magnam triſtitiam generare debet: & rurſum ſi in ea non inuenitur malum, quod de nobis homines loquuntur, in magnam lætitiam debemus

bemus proſilire. Quid enim ſi homines laudent, & conſcientia nos accuſet? aut quæ debet eſſe triſtitia, ſi omnes accuſent, & ſola conſcientia liberos nos eſſe demonſtret? Habemus Paulum dicenté (Gloria noſtra hęc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ) Iob quoque dicit (Ecce in cœlo teſtis meus) Si ergo eſt nobis teſtis in cœlo, teſtis in corde: dimittamus ſtultos foris loqui, quod volunt, &c. Ibidē cap. Senti: ex Auguſtino ad Secundinum Manichæum; Senti; de Auguſtino quicquid libet. Sola me in oculis Dei conſcientia non accuſet? & c. In cunctis. & 23. q: 4. cap. Quod Chriſtus. §. Poteſt. Dominus autem volens eos iniuriam propriæ perſonæ cum patientia & gaudio tolerare: iniuriam vero ſeruitutis Diuinæ non inultam relinquere ait: Neſcitis cuius ſpiritus eſtis. Hinc etiam Petrus qui cum alijs audierat. Beati eritis cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſus vos: gaudete in illa die & exultate, &c. Chryſoſt. hom. 9. in opere imperfecto ſuper Matth. Si autem verum eſt quoniam qui calicem aquæ porrexerit, merces eius non perit: conſequenter qui vel vnius leuiſsimi verbi iniuriam fuerit paſſus vacuus non erit à mercede, & ibidem prope finem: quantum aliquis lætatur de laude hominum, tantum de vituperatione triſtatur. Qui vero gloriam concupiſcit in cælo, opprobria non timet in terris, & in hom. 5. in eodem

capite. Illius diſcamus exemplo noſtras quidē iniurias magnanimiter ſuſtinere, Dei autem iniurias, neque vſque ad auditum ſufferre: quoniam in proprijs iniurijs eſſe quem patientem laudabile eſt: iniurias autem Dei minis impium eſt diſsimulare. D. Gregorius hom. 9. ſuper Ezechielem. Quid autem poterit obeſſe, ſi homines vobis derogent, & ſola vos conſcientia defendat? ſed tamen linguas detrahentium ſicut noſtro ſtudio non debemus excitare; ne ipſi pereant; ita ob ſuam malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare; vt nobis meritum creſcat, & Liberius Pontifex in cap. Suggeſtum; 7. q. 1. Non vos à piæ mentis propoſito afflictionis amaritudo coërceat recedere; conſiderantes quanta creator Dominus pro vobis pertulerit: quibuſue contumelijs afficiendum tradiderit pro veſtra liberatione. Poſtremo vt ait S. Thomas in d. art. 13. In vitis Patrum legitur de multis ſanctis qui proprias infamias ſuſtinebant eas non repellentes.

Tertia Concluſio. *Quandoq; homo debet contumeliam illatā repellere maximè propter duo.* Primo propter bonum eius qui contumeliā infert, vt eius audacia reprimatur, ne de cætero ſimilia attentet, & ſecundum hunc ſenſum procedit illud Pouerb. 27. Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi videatur ſapiens. Alio modo ob bonū multorū, quorum profectus impeditur propter contumelias illatas. Hinc

Gregor.

Gregor. hom. 9. ſuper Ezech. Hi quorum vita in exemplo imitationis eſt poſita, debent ſi poſſunt detrahentium ſibi verba cōpeſcere, ne eorum prædicationē non audiant, qui audire poterant, & ita in prauis moribus remanentes, benè viuere cōtemnant. De hac re D. Thomas 2. 2. in d. art. 3. Antonin. Angel. Syluest. & Nauarr. locis cit. Sot. lib. 5. de iuſtit. & iure. q. 9. art. 3. Hin infertur cum Nauarro in d. cōcl. 2. num. 15. quod cōcionatores, Doctores & Prælati peccant, qui modeſtè non reſpondent iniurijs & detractionibus quæ probabiliter fructum doctrinæ, cōuerſationis & regiminis cōijciuntur impediture. Vnde & D. Gregor. in d. homil ſubiungit: Linguas detrahētiū oportet aliquādò cōpeſcere, ne dum de nobis mala diſſeminant, eorū qui nos audire ad bona poterāt cordis innocētia corrumpatur & in hunc ſenſum etiā intelligendū illud Auguſt. in cap. Non ſunt audiendi. 12. q. 1. Duæ res ſunt cōſcientia & fama, conſcientia neceſſaria eſt ſibi: fama proximo ſuo; qui confidens conſcientiæ negligit famam, crudelis eſt. Quod veriſſimū eſt in eis, qui præſunt alijs: tum enim proficiendi occaſio tollitur. Atque idem dicendum eſt quando infamia alicuius redundaret in infamiam, aut damnum aliorum. Priuatus enim quando ſcandalum abeſt, patienter ferre poteſt contumelias & detractiones.

Quarta Concluſio. *Quiſquis moderatè & ſapienter mitibus verbis poteſt conuiciantis audaciam com-*

primere, ne ſibi videatur ſapiens: non tamen duris & acerbis, ne ei efficiatur ſimilis. Hanc docent S.Tho. in ſol. ad primum Sot. & Nauarr. locis cit. & probatur ex illis duobus locis ſcripturæ quæ contraria ſonare videntur, & ſecundum hanc concluſionem conciliantur. Quorum vnum eſt: Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ei ſimilis efficiaris: & aliud eiuſdem: Sapientis. Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ei ſimilis efficiaris. Quæ poſtrema verba in hunc ſenſum accipienda, vt reſpondens ſtulto & iniurianti, non ita immoderatè, & imprudenter metas rationis excedēdo reſpōdeat, vt etiam ſtultus & iniurians efficiatur. Aduertendum autem pulchrum documentum D. Thomæ in d. art. 3. ad vltimum, quod poſt eum S. Antonin. Nauarr. Sotus & alij recentiores in memoriam reducunt: Si quis cōuicantem eo animo & quaſi dolo tacendo audiat, vt obmuteſcendo eum ad maiorem iracundiam prouocet, peccat: quia hoc ad vindictam ſpectat. At ſi aliquis taceat, vt det locum iræ iuxta Apoſtolicam doctrinam laudabile eſt, vnde illud Eccleſ. 8. Non litiges cum homine linguato, & non ſtruas in ignem illius ligna.

Quinta Concluſio. *Iniuriam verbo vel facto paſſus, tenetur ex animo & corde remittere iníurianti rancorem, & odium ſi quod erga illum concepit ob iniuriam illatam.* Hanc tradunt S.Thom. 2. 2. q. 108. art. 1. S. Antonin. in 2. part. tit. 8. cap. 3. §. 6.

Angel.

Angel. in verb. Iniuria. num. 6. Syluest. ibidē q. 5. Aurea Armil. ibidem. num. 4. doctè Gabriel ſuper can. miſſæ lect. 73. in lit. E. & in lect. 76. S. Bonauent. in 3. d. 30 in expoſit. literæ, & in q. 4. & 5. Scotus in ead. d. Gloſſ. Turrecrem. in cap. Si quis contriſtatus d. 90. Panormit. in cap. 1. de maledict. Antonius à Butrio in cap. Quod quidem de pœnit. & remiſs. Ioan. Lup. in tract. de confœderatione principum. §. Antequam veniam ad aliud. Bald. Faber. & alij §. finali Inſtit. de iniur. Couarr. lib. 2. variarum reſolut. cap. 10. num. 7. Nauarr. in manuali confeſſ. cap. 14. numero 25. & alij alibi, & hæc eſt communiſsima opinio tam Theologorũ quam Iuriſperitorum. Hæc concluſio probatur ex Oratione Dominica Matth. 6. Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus. & ibidem. Si non dimiſeritis hominibus, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra, & Matth. 5. Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros. Marc. 11. Cum ſtabitis ad orandum, dimittite, ſi quid habetis aduerſus aliquem, vt & pater veſter qui in cœlis eſt, dimittat vobis peccata veſtra. Roman. 12. Nulli malum pro malo reddentes: & iterum ibidem: Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum. Ad Coloſſ. 3. Nunc autem deponite & vos omnem iram, indignationem, &c. ſupportantes inuicem & donantes vobiſmetipſis, & ad Epheſ. 4. Eſtote inuicem benigni, miſericordes, donan-

tes inuicem, ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis. Eccleſiaſtici 28. Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius ſeruans ſeruabit. Relinque proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur. Homo homini reſeruat iram: & à Deo quærit medelam? In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur? Ipſe dum caro ſit reſeruat iram: & propitiationē petit à Deo? quis exorabit pro delictis illius? Memento nouiſsimorū & deſine inimicari. Hæc Eccleſiaſtici verba aurea ſunt ad perſuadendum omni Chriſtiano non omnino indurato propoſitā concluſionē. Præterea text. in d. 90. cap. Si quis cōtriſtatus, ſecūdū omnes probat hanc veritatē, & etiā cap. fin. de pœnit. d. 5. dum dicitur: Falſa eſt enim pœnitentia, cum pœnitens ab officio, &c: aut ſi odiū in corde geſſerit: aut ſi offenſo cuilibet nō ſatisfaciat: aut ſi offenſus offendēti non indulgeat: Præterea cum ſit præceptū hoc negatiuū, ſemper homo deponere tenetur ex corde odium & rancorē erga proximū. Sed multis præceptū de dilectione inimicorū obſeruatu impoſsibile videtur. Sed S. Patres optimè tradūt non fore difficile. Baſil. in li. de inſtitutis Monachorū, cap. 77. & in antiquiorib. 82. Auguſtin. ſerm. 61. de tempore Hieronym. in cap. 6. Matth. in illa verba: Diligite inimicos veſtros. Theophilact. ibid. & alij. Concluſio eſt intelligenda, quod iniuriatus teneatur deponere

rancorem

rancorem & odium erga offendentem, ſiue iſpetat ſiue non, vt D. Bonauentura in d. d. 30. ſuper litera Magiſtri, Gabr. loco cit. Syluеſt. in verb. charitas q. 6. numero 4. Gloſſ. in d. cap. Si quis contriſtatus, Couarr. loco cit. & alij rectè intelligunt. Quamuis Bartol. in L. Si tibi, §. 1. ff. de pact. & in L. Non ſolũ. §. Iniuriarũ. ff. de iniurijs dubitet motus, vt ipſe putat auctoritate Magiſtri in d. d. 30. qui tamen nihil ad propoſitum ait, ſed vnam auctoritatem Auguſtini in Enchridio allegat, quam S. Bonauentura ſoluit, an ante petitionem iniuriantis, iniuriatus teneatur remittere rancorem & odium, ſed tandem bene ſe reſoluit Bartol. in hoc ſtandum eſſe Theologis. Poſt Bartol. auctoritatem etiam dubitarunt Bald. §. fin. Inſtit. de Iniur. Anton. Burgen. in cap. 1. col. penult. de empt. & vendit. qui tamen etiam ſe ſubmittit iudicio Eccleſiæ & ſui Reuerendiſsimi Epiſcopi, & Ioannes ab Anania in capite 1. de maledict. in col. penult. qui tamen tandem concludit tanquam tutius tenendum quod quis teneatur dimittere etiam non petentibus. Vnde clarum redditur non rectè Didacum Couarr. allegare loco citato. Bartol. Burgen. & Anan. quaſi ſimpliciter teneant iniuriam paſſum nõ teneri dimittere rancorem & odium, niſi iniuriam inferens petierit. Cum hi DD. nihil definiuerint, & Anan. contrarium tutius iudicauerit, & benè. Optimè enim Gabr. in

d. lect. 73. in lit. P. dicit, non refert an iniurians & offendens petat, an non petat ſibi ignoſci: an quærat reconciliari an non; quia non ex eo quod petunt, nos eis ignoſcere obligamur; ſed quia Chriſtus præcepit dimittere debitoribus noſtris, & diligere inimicos noſtros. Vnde non dixit Chriſtus: dimittite debitoribus veſtris, qui vos deprecãtur, vt ignoſcatis; Diligite inimicos veſtros, qui quærunt reconciliari vobis, ſed ſine adiectione dixit; Si non dimiſeritis debitoribus veſtris, neque pater veſter cœleſtis dimittet vobis peccata veſtra. His accedit quod nullo tempore homo odium habere, & rancorem gerere ergà proximum debet; cum hoc contra præceptum Dei & charitatem proximi ſit.

Sexta Concluſio, *Homo offenſus, ſiue quacunq, iniuria affectus non tenetur proximo qui ei iniuriam intulit, remittere actionem iniuriarum, & ſatisfactionem pro iniuria illata.* Hanc etiam communiter DD. tenent. S. Antonin. loco cit. Gabriel. Angel. in verb. Iniuria. Couarr. Gloſſ. in d. cap. Si quis contriſtatus & alij vbi ſupra. Panormit. Anton. de Butrio. Imol. & Felin. in cap. De cætero. de teſtibus. Et vt hæc concluſio cum annexis melius intelligatur notandum ex Petro Tarantaſio quem Sylueſter in d. q. allegat, & Durando quem S. Antonin. adducit vbi ſupra, ex illatione iniuriæ tria frequenter, & vt plurimum oriri, hoc tamen intellige niſi perfectio in offenſo aliqua excludat. In corde ſiue affectu

ue affectu rancor, ſiue ira, aut odium naſcitur. In opere & effectu ſigna rancoris & inimicitiæ, & in iure ſiue foro exteriori actio contra iniuriantem pro ſatisfactione. In quinta concluſione actum de priori, in hac agitur de poſteriori prætermiſsis ſignis, quæ ad ſecundum ſpectant, de quibus S. Thomas 2. 2. q. 25. art. 8. & præcipuè 9. & Commentatores eius ibidem, & Sylueſt. in d. q. 6. & eruditè Gabr. ſuper can. miſſæ. lect. 76. quæ diligenter perſpicienda cõfeſſario, vt intelligat quando abſoluendi, vel non in confeſsione, qui remiſſo rancore non exhibent ſigna vniuerſalia, aut particularia dilectionis offendenti & iniurianti. Concluſio ſatis nota eſt ex praxi quotidiana & experientia. Deinde vindicatio, & etiam accuſatio mediante auctoritate publica eſt actus virtutis iuſtitiæ iuxta S. Thomam 2. 2. q. 108. art. 1. & 2. Caietan. 22. q. 68. art. 1. Sotum in relect. de tegend. & deteg. ſecretum memb. 2. q. 5. concl. 2. Didac. loco cit. & alios alibi. Actus autem virtutis debitis veſtitus circumſtantijs non eſt prohibitus, ſed licitus. Ad hæc ſi non eſſet licitum agere pro ſatisfactione iniuriæ apud iudices, magna confuſio & perturbatio generaretur in republ. concordia ſolueretur, iuſtitia læderetur, & paſsim mali bonos iniurijs impeterent, tribuereturque impijs incentiuum delinquendi. Accuſatione ergo & iniuriarum actione apud magiſtratũ compeſcenda eſt temeritas, & audacia maleuolorum

ſioni vt Sylueſt. loquitur arg. cap. Accuſaſti de accuſat. & 2. q. 7. c. Si qui ſunt.

Septima Concluſio. *Etſi iniuriatus & iniuria affectus in confeſsione, & in foro conſcientiæ ſiue animæ, iniuriam dimiſerit & condonauerit, tamen adhuc poterit in iudicio & exteriori foro accuſare, & actionem iniuriarum inſtituere contra iniuriantem.* Bartol. in L. Non ſolum. §. 1. ff. eod. & in L. Si tibi decem. §. 1. ff. de pactis. Alexander ibidem. Ioan. ab Anan. in cap. 1. de maledic. Felin. in cap. De his criminibus, de accuſat. DD. in §. fin. Inſtit. de iniurijs, & hæc eſt communis opinio, vt atteſtantur poſt Alexandr. in d. §. 1. Couarr. libro 2. variarum reſolut. capit. 10. numero 7. verſic. Tertium conſtat. & Iulius Clarus libro 5. §. fin. practic. crimin. Ratio concluſionis à DD. redditur: Quia remiſsio quæ fit in foro conſcientiæ, ad odium & rancorem pertinet, & non ad accuſandum & agendi ius, cum ex præcepto Euangelij Chriſtianus tantum dimittere & deponere teneatur rancorem & odium. Hinc infertur cum DD. quod ſi quis in infirmitate ſacerdoti confeſſus iniuriam remiſiſſet, ſi conualeſceret poſſet adhuc accuſare & reum conuenire actione iniuriarum: Verumtamen, ſi iniuriatus mentem ſuam ita aperiret, vt remiſſio non ſolum tenderet ad odium & rancorem, ſed etiam ad ſatisfactionem & actionem iniuriæ, tunc plenè remiſsio ſuum obtineret effectum, vt ſi diceret ſe plenam

facere

facere remiſsionem. Felin. cap. De his criminib. de accuſat. &c. Inter quatuor de maior.& obedient. numero 7. Bald. in cap. 1. de pace iuramento firmanda, §. Iniuria num. 7. Iaſo, in lege. Si tibi decem. §. Quædam ff. de pact. Marſil. in ſingul. 246. incip. Remiſsio iniuriarum. In dubio autem ſolum cenſetur remiſiſſe rancorem & odium in animo non actionem iniuriarum, vt communiter DD. definiunt contra Gloſſ. fin. in §. fin. Inſtit. de iniurijs, & Bart. Bald. Iaſ. & alij in d. L. Si tibi decem.

Octaua Concluſio, *Remiſſa etiam iniuria, quantum ad ius accuſandi & agendi in foro exteriori læſus & iniuria affectus adhuc poteſt petere damna & expenſas ſi quæ enata ſint ex læſione & iniuria illatione.* Sic tradunt Speculator tit. de accuſatore, §. 1. verſ. Quid ſi vulneratus, Bald. in c. 1. §. Iniuria punitur, num. 7. verſ. Quæro vtrum iniuria remiſſa, de pace iuram. firmand. Idem Bald. Alexand. Iaſ. & DD. alij in d. L. Si tibi decem, §. Quædam. Panormit. & Petrus Ancharan. in hoc cap. Felin. in d. cap. De his criminibus. Boërius in deciſ. 52. num. 6. Henningus conſ. 2. de iniurijs, num. 2. vol. 9. Menochius de recuperand. poſſeſs. remed. 1. numero 307. & latè lib. 3. de præſumptionibus, præſumption. 114. & hæc eſt communis opinio, vt ſentiunt Didac. vbi ſupra verſ. Quarto eodem iure. Iulius Clarus lib. 5. §. fin. pract. crimin. q. 58. numero 38. Andreas Gaill. in tract. de Arreſt.

imperij.

imperij.cap.14.num.7.qui dicit in materia iniuriarum cõmuni DD. calculo illud receptũ, & in Camera multis præiudicijs cõfirmatum, & poſt alios Ioſeph. Maſcard. de probationibus vol.2.concl.902.nũ.29. Cõcluſio probatur per text. in L. Si domus. ff. de ſeruit. Vrban. Prædior. quem communiter DD. ita allegant & Boër. per l. 35. Qui in puteum. §. Si poſtea. ff. Quod vi, aut clam. & fundatur in optima ratione. Iniuria illata, & damnum ex ea prouieniens diuerſa & ſeparata ſunt ſecundum Panormit. & Ancharan. in hoc cap. & alios alibi. Ergo vnum ſine altero remitti poteſt; & remiſſa iniuria non cenſentur remiſſa damna; & intereſſe ſiue expenſæ: Quia hæc nomine iniuriæ non continentur, ſed diuerſa ſunt. Hinc pro cautela obſeruandum, vt in tranſactione iniuriarum, quando tranſigitur etiam de damnis & intereſſe, inſtrumento pacis expreſsè & nuncupatim exprimatur: vt meminit Gaill. loco cit. num. 8. poſt Bald. in d. L. Si tibi. §. Quædam & alios.

Nona Concluſio. *Iudex, ſiue officialis prouinciam regens & iuriſdictionem exercens non poteſt cogere offenſum, vt iniuriam remittat, & pacem ineat cum iniuriante & offendente.* Bald. in l. 1. §. Qui eſt numero 2. ff. de offic. præfect. vrbis. Marſilius conſ. 98. incip. Titius & Seius, &c. ſtatim à numero 1. & dicit communem eſſe opinionem, & poſt eum Iulius Clarus in d. q. 58. numero vlt. & allegatur pro hoc textus in Auct. Vt litig.

Vt litig. iurent. §. Quia vero, quem Angel. ibidem notat, & text. in L. Ex ſtipulatione. C. de ſentent. & interlocut. omn. iudic. Gloſſ. in L. furti. §. Qui iuſſu. ff. de his qui notant. infam. quam ibidem approbat Bart. & Alber. Sic etiam Bartol. Angel. & Bald. & Marſilius in num. 3. dicunt, quod iudex non poteſt compellere partes ad pacem, ſed ſolum poteſt eas adhortari; non tamen eam componere inuitis partibus. Bald. & Iaſ. in L. Quidam extimauerunt. ff. Si certum petatur. Anton. & Ioann. Immol. in cap. 1. de mutuis petitionibus. Vnde ſingulariter Bald. dixit in d. L vnica. §. Qui es, quod iudex ſeu prouincialis regens prouinciam poteſt ſuadere ad pacem, non autem cogere, quia offenſus ſuadendus eſt; non autem cogendus vt remittat iniuriam: quoniam æquitatis ratio non patitur, vt quis inuitus cogatur parcere iniurianti, niſi in foro pœnitentiæ; allegat. §. fin. Inſtit. de iniurijs. Limitatur tamen iſta concluſio; vt non habeat locum; quando inter offenſum & offendentem generaretur bellum, aut tumultus reipubl. in tali caſu poſſent cogi ad pacem & remiſsionem. Eadem eſt ratio, ſi cauſa verteretur coram Papa, Imperatore, aut aliquo ſimili ſupremo iudice, penes quem eſſet plenitudo poteſtatis: Hic notanda illa regula Speculat. relata à Matheo ab Afflict. in cap. 1. §. Iniuria. de pace iu-

ramento firmand. num. 98. Quod in actione iniuriarum ſemper iudex debet laborare vt partes redigantur ad concordiam etiamſi criminaliter agatur; & pro hac regula eſt text. & Gloſſ. in cap. ſtudendũ 90. d. & in L. AEquiſſimum in princip. ff. de vſufr.

Decima Concluſio. *Actio iniuriarum ſemel remiſſa pro aliqua iniuria, non poteſt amplius intentari.* Angel. Bald. Ioann. de Platea & recentiores per text. in §. fin. Inſtit. de iniurijs, & ratio etiam reddi poteſt: Actio ſemel extincta non reuiuiſcit. L. Qui res. §. aream ff. de ſolut. & remittentibus actiones ſuas non datur regreſſus ad eaſdem. L. Quæritur. §. Si venditor ff. de ædil. edict. Et notat Ioann. à Platea hoc locum habere ſiue iniuria ſit remiſſa ſine cauſa, ſiue ex cauſa, quæ poſtea non ſecuta eſt. Nec etiam ex cauſa ingratitudinis actio iniuriarum de nouo reſuſcitari poteſt ſecundum eundem D. in d. §. fin. per Gloſſ. in L. Si donationis C. de donat.

Vndecima Concluſio. *Iniuriam fuiſſe remiſſam, quando alias non conſtat, præſumptionibus & coniecturis probandum eſt.* Baldus in L. In ipſius, C. famil. Erciſcund. Ioſeph. Maſcard. de probat. vol. 2. concl. 902. num. 17. Concluſio planè conſtabit ex ſequentibus quæ eam latius oſtendent & declarabunt. Dictum in concluſione, quando alias non conſtat, quia quando expreſsè remiſſa eſt, tunc aut teſtibus aut inſtrumento conſtare poteſt: concluſio autem intelligenda

quando

quando tacitè remiſſa præſumatur. In primis autem ſi iniuriatus ſatisfactionem recepit ab offendente, maxima præſumptio eſt eum iniuriam remiſiſſe. text. in leg. Sed ſi vnius. §. Si autem iudicem. ff. eod. Qui enim accepit ſatisfactum; ait Vlpianus, iniuriam ſuam remiſit. Angel. ibidem. Maſcard. vbi ſupra, numero 18. qui & alios allegat. Deinde mutua familiaritatis & amicitię ſigna ſingularia faciunt & præſumptionem remiſsionis iniuriarum; vt ſunt ſalutatio mutua. Bald. in d. L. In ipſius. Felin. in cap. Repellantur numero 7. de accuſat. Angel. & alij quidam in §. fin. Inſtit. de iniurijs. Stephan. Aufrer. in add. ad deciſ. 233. cap. Tholoſ. Panormit. infra in cap. olim Angel. in verb. Iniuria. numero 7. Sylueſt. ibid. numero 10. DD. in practicis in tit. de iniurijs. Salutatio eſt ſignum reconciliationis ſicut eiuſdem ſolitæ, ſubtractio eſt indicium inimicitiarum Gloſſ. cap. Cum Adrianus. 63. diſt. Simile eſt iudicium ſi iniuriatus cum iniuriam inferente poſtea biberit; comederit, aut ridendo luſerit, ſecundum Gloſſ. & DD. in §. fin. Inſtit. de iniur. Bonifac. Vitell. in tract. de malefic. verſ. Item tollitur ſimiliter actio. tit. eod. Aufrer. in d. deciſ. Iodoc. Damhaud. in praxi rerum criminalium cap. 136. numero 21. Angel. & Syluester loco cit. Verum quod dictum, ſi comederit, aut biberit cum iniuriante, ita interpretandum, ſi id motu proprio fecerit ſecundum Angelū; Fabrum

Fabrum & recentiores in d. §. finali. Alia autem ratio eſt, ſi iniuriatus & iniurians ambo ſint inuitati ad conuiuium ab aliquo tertio, & conueniant in vna eademq; menſa: tum enim non præſumitur inter eos remiſſa iniuria: cum ex quadam neceſsitate, honoris ratione & morum ciuilitate id potius procedat, quam ex amicitia, familiaritate & beneuolentia. Oſculum pacis etiam facit præſumere remiſſionem iniuriæ Gloſſ. cum text. in cap. pacem, de conſecr. d. 2. Felin. in d. cap. Repellantur. Panormit. & Aufrer. & Maſcardus locis cit. & alij alibi. Oſculum enim eſt indicium amicitiæ & cõſenſus. Idem eſto iudicium ſi iniuriatus iniurianti dexteram porrexerit. Angel. & Iaſ. in L. 1. ff. de pact. Dextera enim eſt teſtis fidei & pignus pacis ſecundũ Ioan. Andr. in cap. Fundamenta. §. tu es Petrus. Super verb. Dextras. & Gloſſ. ibidem de elect. in 6. & manum ſtringere dilectionem ſignificat Gloſſ. fin. in cap 1. de ſponſ. duorum. De ſimilibus ſimilis eſt ratio. Dixi ſupra (mutua familiaritas & amicitiæ ſigna particularia,) Quia non intelligitur remiſiſſe iniuriam ſi exhibeat vniuerſalia, quæ quis ratione præcepti dilectionis etiam inimico tenetur neceſſario exhibere: vt ſalutare eum alijs in eodem loco congregatis; non excludere à beneficio communi omnibus, &c. per doctrinam S. Thomæ 2. 2. q. 25. art. 9. dum quærit: Vtrum ſit de neceſsitate ſalutis, quod aliquis ſigna & effe-

ctus dilectionis inimico exhibeat; & reſpondet quod quiſq; de neceſsitate præcepti tenetur exhibere inimico ſigna dilectionis cómunia: quia ea ſubtrahere pertineret ad liuorem vindictę: Non tenetur autem inimico particularia dilectionis ſigna exhibere in opere exteriori, niſi in præparatione animi. Atq; ſecundum hanc diſtinctionem Angel. & Syluester loco cit. intelliguntur. Per ſigna enim vniuerſalia & cómunia dilectionis odium & rancor animi potius præſumuntur remiſſa, quam iniuriarum actio.

Duodecima Concluſ. *Nec per conſeruationem, nec per ſalutationem, nec dexteræ porrectionem & ſimilia iniuria remiſſa cenſetur quantũ ad actionem & ſatiſfactionem, ſi is cui iniuria facta eſt, à principio iniuriam ad animum reuocauerit, iniuriantemq́; citauerit & iudicio conuenerit.* Panormit. Felin. Angel. & Syluester loco cit. S. Antonin. 2. part. tit. 8. cap. 3. §. fin. Deciſio. 233. Capellæ Tholoſ. & Aufrer. in addit. ibidem & alij communiter alibi. Ratio eſt, quoniam in caſu huius concluſionis iniuria remiſſa tantummodo cenſetur quantum ad odium & rancorem animi: Quod quilibet Chriſtianus bonæ conſcientiæ, qui Deum & propriam ſalutem ante oculos mentis habet, facere tenetur: Licet multi ſint adeo ab Euangelica doctrina alieni, vt nec nomen offendentis audire, nec faciem eius intueri velint, contra id Leuit. 19. Non quæres vltionem, nec eris memor iniuriæ ciuiũ tuorum:

rum: & aliud Prouerb. 25. Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: Si ſitit da illi potum.

QVAESTIO VNDECIMA.

Quomodo ſatisfaciendum pro iniurijs verbalibus?

NOn enim hic agitur de reſtitutione dãnorum, quæ ſequuntur aliquando iniuriam verbis allatam, ſed tantum de ſatisfactione quæ debetur læſo pro iniuria illata ad reconciliandum. Atq; hæc quæſtio plus cõſcientiæ, quam fori iudicio inſeruit.

Prima Concluſ. *Qui alteri iniuriam verbis intulit, tenetur iniuriato ad aliquam ſatisfactionem, ſiue recõpenſationem ratione iniuriæ illatæ.* Hæc eſt cõmunis opinio Theologorũ & etiã Iuriſperitorũ. S. Antonin. in 2. part. tit. 2. cap. 2. §. 3. & tit. 7. cap. 6. §. 5. Angel. Syluester. & Aureæ Armillę in ſum̃is verb. Cõtumelia. Scot. in 4. d. 15. q. 4. Gabriel. ibid. q. 16. Adrian. in 4. de reſtit. §. Viſo de bonis animę reſtat videre de bono famæ. Domin. Sot. lib. 4. de iuſt. & iure. q. 6. art. 3. ad 5. Caiet. 22. q. 72. art. 3. Ioã. Medinę in C. de reſtitut. q. 29. Dida. lib. 2. variar. reſo. cap. 10. nũ. 7. verſ. Tenetur itẽ is. Petri à Nauarr. lib. 2. de reſtitut. cap. 4. num. 95. & ſeq. Iuriſperiti in locis cit. in q. præced. vbi tractant dimiſſo odio & rancore poſſe iniuriatum ad hucagere iniuriarũ. Cõcluſio probatur inprimis omnibus

 iuribus,

d. lect. 73. in lit. P. dicit, non refert an iniurians & offendens petat, an non petat ſibi ignoſci: an quærat reconciliari an non; quia non ex eo quod petunt, nos eis ignoſcere obligamur; ſed quia Chriſtus præcepit dimittere debitoribus noſtris, & diligere inimicos noſtros. Vnde non dixit Chriſtus; dimittite debitoribus veſtris, qui vos deprecãtur, vt ignoſcatis; Diligite inimicos veſtros, qui quærunt reconciliari vobis, ſed ſine adiectione dixit; Si non dimiſeritis debitoribus véſtris, neque pater veſter cœleſtis dimittet vobis peccata veſtra. His accedit quod nullo tempore homo odium habere, & rancorem gerere ergà proximum debet; cum hoc contra præceptum Dei & charitatem proximi ſit.

Sexta Concluſio, *Homo offenſus, ſiue quacunq; iniuria affectus non tenetur proximo qui ei iniuriam intulit, remittere actionem iniuriarum, & ſatisfactionem pro iniuria illata.* Hanc etiam communiter DD. tenent. S. Antonin. loco cit. Gabriel. Angel. in verb. Iniuria. Couarr. Gloſſ. in d. cap. Si quis contriſtatus & alij vbi ſupra. Panormit. Anton. de Butrio. Imol. & Felin. in cap. De cætero. de teſtibus. Et vt hæc concluſio cum annexis melius intelligatur notandum ex Petro Tarantaſio quem Sylueſter in d. q. allegat, & Durando quem S. Antonin. adducit vbi ſupra, ex illatione iniuriæ tria frequenter, & vt plurimum oriri, hoc tamen intellige niſi perfectio in offenſo aliqua excludat. In corde ſiue affectu

ue affectu rancor, ſiue ira, aut odium naſcitur. In opere & effectu ſigna rancoris & inimicitiæ, & in iure ſiue foro exteriori actio contra iniuriantem pro ſatisfactione. In quinta concluſione actum de priori, in hac agitur de poſteriori prætermiſsis ſignis, quæ ad ſecundum ſpectant, de quibus S. Thomas 2. 2. q. 25. art. 8. & præcipuè 9. & Commentatores eius ibidem, & Syluest. in d. q. 6. & eruditè Gabr. ſuper can. miſſæ. lect. 76. quæ diligenter perſpicienda cõfeſſario, vt intelligat quando abſoluendi, vel non in confeſsione, qui remiſſo rancore non exhibent ſigna vniuerſalia, aut particularia dilectionis offendenti & iniurianti. Concluſio ſatis nota eſt ex praxi quotidiana & experientia. Deinde vindicatio, & etiam accuſatio mediante auctoritate publica eſt actus virtutis iuſtitiæ iuxta S. Thomam 2. 2. q. 108. art. 1. & 2. Caietan. 22. q. 68. art. 1. Sotum in relect. de tegend. & deteg. ſecretum memb. 2. q. 5. concl. 2. Didac. loco cit. & alios alibi. Actus autem virtutis debitis veſtitus circumſtantijs non eſt prohibitus, ſed licitus. Ad hæc ſi non eſſet licitum agere pro ſatisfactione iniuriæ apud iudices, magna confuſio & perturbatio generaretur in republ. concordia ſolueretur, iuſtitia læderetur, & paſsim mali bonos iniurijs impeterent, tribuereturque impijs incentiuum delinquendi. Accuſatione ergo & iniuriarum actione apud magiſtratũ compeſcenda eſt temeritas, & audacia male-

 uolorum

tioni vt Syluest. loquitur arg. cap. Accuſasti de accuſat. & 2. q. 7. c. Si qui ſunt.

Septima Concluſio. *Etſi iniuriatus & iniuria affectus in confeſsione, & in foro conſcientiæ ſiue animæ, iniuriam dimiſerit & condonauerit, tamen adhuc poterit in iudicio & exteriori foro accuſare, & actionem iniuriarum inſtituere contra iniuriantem.* Bartol. in L. Non ſolum. §. 1. ff. eod. & in L. Si tibi decem. §. 1. ff. de pactis. Alexander ibidem. Ioan. ab Anan. in cap. 1. de maledic. Felin. in cap. De his criminibus, de accuſat. DD. in §. fin. Inſtit. de iniurijs, & hæc eſt communis opinio, vt atteſtantur poſt Alexandr. in d. §. 1. Couarr. libro 2. variarum reſolut. capit. 10. numero 7. verſic. Tertium conſtat. & Iulius Clarus libro 5. §. fin. practic. crimin. Ratio concluſionis à DD. redditur: Quia remiſsio quæ fit in foro conſcientiæ, ad odium & rancorem pertinet, & non ad accuſandum & agendi ius, cum ex præcepto Euangelij Chriſtianus tantum dimittere & deponere teneatur rancorem & odium. Hinc infertur cum DD. quod ſi quis in infirmitate ſacerdoti confeſſus iniuriam remiſiſſet, ſi conualeſceret poſſet adhuc accuſare & reum conuenire actione iniuriarum: Verumtamen, ſi iniuriatus mentem ſuam ita aperiret, vt remiſsio non ſolum tenderet ad odium & rancorem, ſed etiam ad ſatisfactionem & actionem iniuriæ, tunc plenè remiſsio ſuum obtineret effectum, vt ſi diceret ſe plenam

facere

facere remiſsionem. Felin. cap. De his criminib. de accuſat. &c. Inter quatuor de maior. & obedient. numero 7. Bald. in cap. 1. de pace iuramento firmanda, §. Iniuria num. 7. Iaſo, in lege. Si tibi decem. §. Quædam ff. de pact. Marſil. in ſingul. 246. incip. Remiſsio iniuriarum, In dubio autem ſolum cenſetur remiſiſſe rancorem & odium in animo non actionem iniuriarum, vt communiter DD. definiunt contra Gloſſ. fin. in §. fin. Inſtit. de iniurijs, & Bart. Bald. Iaſ. & alij in d. L. Si tibi decem.

Octaua Concluſio, *Remiſſa etiam iniuria, quantum ad ius accuſandi & agendi in foro exteriori læſus & iniuria affectus adhuc poteſt petere damna & expenſas ſi quæ nata ſint ex læſione & iniuriæ illatione.* Sic tradunt Speculator tit. de accuſatore, §. 1, verſ. Quid ſi vulneratus, Bald. in c. 1. §. Iniuria punitur, num. 7. verſ. Quæro vtrum iniuria remiſſa, de pace iuram. firmand. Idem Bald. Alexand. Iaſ. & DD. alij in d. L. Si tibi decem, §. Quædam. Panormit. & Petrus Ancharan. in hoc cap. Felin. in d. cap. De his criminibus. Boërius in deciſ. 52. num. 6. Henningus conſ. 2. de iniurijs, num. 2. vol. 9. Menochius de recuperand. poſſeſs. remed. 1. numero 307. & latè lib. 3. de præſumptionibus, præſumption. 114. & hæc eſt communis opinio, vt ſentiunt Didac. vbi ſupra verſ. Quarto eodem iure. Iulius Clarus lib. 5. §. fin. pract. crimin. q. 58. numero 38. Andreas Gaill. in tract. de Arreſt.

imperij.

imperij.cap.14.num.7.qui dicit in materia iniuriarum cõmuni DD. calculo illud receptũ, & in Camera multis præiudicijs cõfirmatum, & poſt alios Ioſeph. Maſcard. de probationibus vol.2.concl.902.nũ.29.Cõcluſio probatur per text. in L. Si domus. ff. de ſeruit. Vrban. Prædior. quem communiter DD. ita allegant & Boër. per l. 35. Qui in puteum. §. Si poſtea. ff. Quod vi, aut clam. & fundatur in optima ratione. Iniuria illata, & damnum ex ea proueniens diuerſa & ſeparata ſunt ſecundum Panormit. & Ancharan. in hoc cap. & alios alibi. Ergo vnum ſine altero remitti poteſt, & remiſſa iniuria non cenſentur remiſſa damna, & intereſſe ſiue expenſæ: Quia hæc nomine iniuriæ non continentur, ſed diuerſa ſunt. Hinc pro cautela obſeruandum, vt in tranſactione iniuriarum, quando tranſigitur etiam de damnis & intereſſe, inſtrumento pacis expreſſè & nuncupatim exprimatur: vt meminit Gaill. loco cit. num. 8. poſt Bald. in d. L. Si tibi. §. Quædam & alios.

Nona Concluſio. *Iudex, ſiue officialis prouinciam regens & iuriſdictionem exercens non poteſt cogere offenſum, vt iniuriam remittat, & pacem ineat cum iniuriante & offendente.* Bald. in l. 1. §. Qui eſ. numero 2. ff. de offic. præfect. vrbis. Marſilius conſ. 98. incip. Titius & Seius, &c. ſtatim à numero 1. & dicit communem eſſe opinionem, & poſt eum Iulius Clarus in d. q. 58. numero vlt. & allegatur pro hoc textus in Auctẽt. Vt litig.

Vt litig. iurent. §. Quia vero, quem Angel. ibidem notat, & text. in L. Ex ſtipulatione. C. de ſentent. & interlocut. omn. iudic. Gloſſ. in L. furti. §. Qui iuſſu. ff. de his qui notant. infam. quam ibidem approbat Bart. & Alber. Sic etiam Bartol. Angel. & Bald. & Marſilius in num. 3. dicunt, quod iudex non poteſt compellere partes ad pacem, ſed ſolum poteſt eas adhortari; non tamen eam componere inuitis partibus. Bald. & Iaſ. in L. Quidam extimauerunt. ff. Si certum petatur. Anton. & Ioann. Immol. in cap. 1. de mutuis petitionibus. Vnde ſingulariter Bald. dixit in d. L vnica. §. Qui es; quod iudex ſeu prouincialis regens prouinciam poteſt ſuadere ad pacem, non autem cogere, quia offenſus ſuadendus eſt; non autem cogendus vt remittat iniuriam: quoniam æquitatis ratio non patitur, vt quis inuitus cogatur parcere iniurianti; niſi in foro pœnitentiæ; allegat. §. fin. Inſtit. de iniurijs. Limitatur tamen iſta concluſio; vt non habeat locum; quando inter offenſum & offendentem generaretur bellum, aut tumultus reipubl. in tali caſu poſſent cogi ad pacem & remiſsionem. Eadem eſt ratio, ſi cauſa verteretur coram Papa, Imperatore, aut aliquo ſimili ſupremo iudice, penes quem eſſet plenitudo poteſtatis: Hic notanda illa regula Speculat. relata à Matheo ab Afflict. in cap. 1. §. Iniuria. de pace iuramento

ramento firmand. num. 98. Quod in actione iniuriarum ſemper iudex debet laborare vt partes redigantur ad concordiam etiamſi criminaliter agatur; & pro hac regula eſt text. & Gloſſ. in cap. ſtudendũ 90. d. & in L. AEquiſſimum in princip. ff. de vſufr.

Decima Concluſio. *Actio iniuriarum ſemel remiſſa pro aliqua iniuria, non poteſt amplius intentari.* Angel. Bald. Ioann. de Platea & recentiores per text. in §. fin. Inſtit. de iniurijs, & ratio etiam reddi poteſt: Actio ſemel extincta non reuiuiſcit. L. Qui res. §. aream ff. de ſolut. & remittentibus actiones ſuas non datur regreſſus ad eaſdem. L. Quæritur. §. Si venditor ff. de ædil. edict. Et notat Ioann. à Platea hoc locum habere ſiue iniuria ſit remiſſa ſine cauſa, ſiue ex cauſa; quæ poſtea non ſecuta eſt. Nec etiam ex cauſa ingratitudinis actio iniuriarum de nouo reſuſcitari poteſt ſecundum eundem D. in d. §. fin. per Gloſſ. in L. Si donationis C. de donat.

Vndecima Concluſio. *Iniuriam fuiſſe remiſſam, quando alias non conſtat, præſumptionibus & coniecturis probandum eſt.* Baldus in L. In ipſius. C. famil. Erciſcund. Ioſeph. Maſcard. de probat. vol. 2. concl. 902. num. 17. Concluſio planè conſtabit ex ſequentibus quæ eam latiùs oſtendent & declarabunt. Dictum in concluſione, quando alias non conſtat, quia quando expreſsè remiſſa eſt, tunc aut teſtibus aut inſtrumento conſtare poteſt: concluſio autem intelligenda

quando

quando tacitè remiſſa præſumatur. In primis autem ſi iniuriatus ſatisfactionem recepit ab offendente, maxima præſumptio eſt eum iniuriam remiſiſſe. text. in leg. Sed ſi vnius. §. Si autem iudicem. ff. eod. Qui enim accepit ſatisfactum; ait Vlpianus, iniuriam ſuam remiſit. Angel. ibidem. Maſcard. vbi ſupra, numero 18. qui & alios allegat. Deinde mutua familiaritatis & amicitię ſigna ſingularia faciunt & præſumptionem remiſsionis iniuriarum; vt ſunt ſalutatio mutua. Bald. in d. L. In ipſius. Felin. in cap. Repellantur numero 7. de accuſat. Angel. & alij quidam in §. fin. Inſtit. de iniurijs. Stephan. Aufrer. in add. ad deciſ. 233. cap. Tholoſ. Panormit. infra in cap. olim Angel. in verb. Iniuria. numero 7. Syluest. ibid. numero 10. DD. in practicis in tit. de iniurijs. Salutatio eſt ſignum reconciliationis ſicut eiuſdem ſolitæ, ſubtractio eſt indicium inimicitiarum Gloſſ. cap. Cum Adrianus. 63. diſt. Simile eſt iudicium ſi iniuriatus cum iniuriam inferente poſtea biberit; comederit, aut ridendo luſerit, ſecundum Gloſſ. & DD. in §. fin. Inſtit. de iniur. Bonifac. Vitell. in tract. de malefic. verſ. Item tollitur ſimiliter actio, tit. eod. Aufrer. in d. deciſ. Iodoc. Damhaud. in praxi rerum criminalium cap. 136. numero 21. Angel. & Syluester loco cit. Verum quod dictum, ſi comederit, aut biberit cum iniuriante, ita interpretandum, ſi id motu proprio fecerit ſecundum Angelũ,

Fabrum & recentiores in d. §. finali. Alia autem ratio eſt, ſi iniuriatus & iniurians ambo ſint inuitati ad conuiuium ab aliquo tertio, & conueniant in vna eademq; menſa: tum enim non præſumitur inter eos remiſſa iniuria: cum ex quadam neceſsitate, honoris ratione & morum ciuilitate id potius procedat, quam ex amicitia, familiaritate & beneuolentia. Oſculum pacis etiam facit præſumere remiſſionem iniuriæ Gloſſ. cum text. in cap. pacem. de conſecr. d. 2. Felin. in d. cap. Repellantur. Panormit. & Aufrer. & Maſcardus locis cit. & alij alibi. Oſculum enim eſt indicium amicitiæ & cõſenſus. Idem eſto iudicium ſi iniuriatus iniurianti dexteram porrexerit. Angel. & Iaſ. in L. 1. ff. de pact. Dextera enim eſt teſtis fidei & pignus pacis ſecundũ Ioan. Andr. in cap. Fundamenta. §. tu es Petrus. Super verb. Dextras. & Gloſſ. ibidem de elect. in 6. & manum ſtringere dilectionem ſignificat Gloſſ. fin. in cap 1. de ſponſ. duorum. De ſimilibus ſimilis eſt ratio. Dixi ſupra (mutua familiaritas & amicitiæ ſigna particularia,) Quia non intelligitur remiſiſſe iniuriam ſi exhibeat vniuerſalia, quæ quis ratione præcepti dilectionis etiam inimico tenetur neceſſario exhibere: vt ſalutare eum alijs in eodem loco congregatis: non excludere à beneficio communi omnibus, &c. per doctrinam S. Thomæ 2. 2. q. 25. art. 9. dum quærit: Vtrum ſit de neceſsitate ſalutis, quod aliquis ſigna & effe-

rum: & aliud Prouerb. 25. Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: Si ſitit da illi potum.

QVAESTIO VNDECIMA.

Quomodo ſatisfaciendum pro iniurijs verbalibus?

NON enim hic agitur de reſtitutione dãnorum, quæ ſequuntur aliquando iniuriam verbis allatam, ſed tantum de ſatisfactione quæ debetur læſo pro iniuria illata ad reconciliandum. Atq; hæc quæſtio plus cóſcientiæ, quam fori iudicio inſeruit.

Prima Concluſ. *Qui alteri iniuriam verbis intulit, tenetur iniuriato ad aliquam ſatisfactionem, ſiue recõpenſationem ratione iniuriæ illatæ.* Hæc eſt cõmunis opinio Theologorũ & etiã Iuriſperitorũ. S. Antonin. in 2. part. tit. 2. cap. 2. §. 3. & tit. 7. cap. 6. §. 5. Angel. Syluester. & Aureæ Armillę in ſumis verb. Cõtumelia. Scot. in 4. d. 15. q. 4. Gabriel. ibid. q. 16. Adrian. in 4. de reſtit. §. Viſo de bonis animę reſtat videre de bono famæ. Domin. Sot. lib. 4. de iuſt. & iure. q. 6. art. 3. ad 5. Caiet. 22. q. 72. art. 3. Ioã. Medinę in C. de reſtitut. q. 29. Dida. lib. 2. variar. reſo. cap. 10. nũ. 7. verſ. Tenetur itẽ is. Petri à Nauarr. lib. 2. de reſtitut. cap. 4. num. 95. & ſeq. Iuriſperiti in locis cit. in q. præced. vbi tractant dimiſſo odio & rancore poſſe iniuriatum ad huc agere iniuriarũ. Cõcluſio probatur inprimis omnibus

 iuribus,

iuribus, quibus ſupra probatum, iniuria affe-ctum poſſe agere & actionem inſtituere, ratione iniuriæ illatæ. Deinde ex practica communi omnium iudiciorum, à qua non eſt recedendum per text. in L. Illud. ff. de excuſat. tutor. Bald. ibidē. Decius in conſil. 11. incip. Quoniam. Marſil. in prāct. crimin. §. principium, num. 4. Omnes enim iudices ad inſtantiam actorum iniuriantes in aliquo condemnant. Ratio etiam manifeſta eſt pro concluſione. Verbis alium lædens in honore & fama omnium iudicio proximum lædit contra iuſtitiam; Ergo tenetur ad aliquam ſatisfactionem & reparationem, vt inæqualitas reducatur ad æqualitatem, & vt id quod verbis iniurioſis iniuſtè diminutum eſt, in ſuum ſtatumq́ reducatur.

Secunda Concluſio. *Vbi ſtatuto aut conſuetudine aliquid taxatum eſt pro ſingulis iniurijs verbalibus, ſtandum eſt ſtatuto & conſuetudini.* Hæc concluſio merito recipienda eſt ab omnibus: cum enim huiuſmodi conſuetudo & ſtatuta iuſta ſint, merito etiam obſeruanda ſunt.

Tertia Concluſio. *Alias pro illatione iniuriæ reparatio & ſatisfactio facienda eſt ad arbitrium boni & diſcreti viri & iudicis.* Hanc tenent Caietan. Sotus & Couarr. locis cit. Ioſeph. Angles in 4. in q. de reſtitut. honoris & bonorum temporalium art. vnico. Ratio concluſionis etiam clara eſt. Quando enim neque conſuetudine, neque ſtatuto, neque lege priuata alicuius loci

certi quid determinatum eſt, tunc ſtandum iure communi; quod cum nihil hac de re ſtatuat, arbitrio prudentis & diſcreti viri relinquitur, qui conſideratis circumſtantijs, iniuriæ qualitate & quantitate, nec non inferentis & iniuriati conditione arbitrabitur id quod iuſtum æquumque inuenerit.

Quarta Concluſio. *Iniuria verbali læſus, ſi inſtituat actionem iniuriarum, iuſtè in iudicio poteſt petere, pro ſatisfactione recantationem ſiue reclamationem, aut reuocationem iniuriæ: vel vt aliqui loquuntur, poteſt agere, vt qui verbo iniuriam intulit, palinodiam cantet.* Hanc docent Robert. Maranta in aurea praxi parte 4. diſt. 1. num. 17. Damhauder. rerum criminal. praxi cap. 136. numero 1. Mynſing. centur. 2. obſeruat. 98. Andreas Gaill. practic. obſeruat. lib. 1. obſeruat. 65. & alij alibi, & dicit Mynſingerus, quod hæc formula agendi de iniurijs admodum in frequenti apud eos (intellige in Camera Spirenſi) vſu ſit, vt is qui paſſus eſt iniuriam ad reuocationem iniurioſorum verborum & reſtitutionem famæ læſæ agat, & teſtatur hanc formulam agendi Imperatorem Carolum V. in Auguſtana Imperialis Cameræ ordinatione comprobaſſe, & apud Hiſpanos auctore Didaco lib. 1. variarum reſolut. cap. 11. numero 2. l. 2. tit. 9. lib. 8. ordinat. ſtatutum eſt, vt qui aliquem vno è ſex vitijs conuitio affecerit iniuriam illam coram iudice, & honeſtis perſonis retractet palinodiam, vt aiunt, canendo, & prætereater

centum ſolidis mulctetur. Sunt autem ſequẽtia ſex vitia Leproſus, Sodomita, Hæreticus, Proditor, Cornutus, & Meretrix. Hæc concluſio in primis probatur ex praxi ſummorũ iudiciorum, in quibus talis forma agendi admittitur, & ſententiæ condẽnatoriæ ad eum effectum proferuntur. His additur quod etiam in foro conſcientiæ, qui ſic proximum iniurijs verbalibus læſit tenetur ſic retractando & palinodiam cantando reparationem & reſtitutionem iniuriæ facere, quando id neceſſarium eſt ad eum finem, vt Theologi tradidere S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 2 ad 2. Caietan. ibidem. Scot. Gabriel. & Adrian. loc. cit. Sylueſter in verb. Detractio q. 4. Aurea Armilla in verb. reſtitutio, num. 40. & antea Angel. etiã in verbo. Detractio. num. 3. & S. Antonin. d. cap. 2. §. 3. Sotus lib. 4. de iuſtit. & iure q. 6. art. 3. ad 4. Nauarr. in manuali confeſſar. cap. 18. nũ. 45. & hæc eſt cõmuniſsima DD. ſententia. Ergo in foro exteriori, ſi nolit poteſt iuris medijs cogi ad retractandũ & reuocandum. Hoc autẽ annotandum pro ea ſatisfactione quæ recantatione & reuocatione fit, vt veritas in dictis ſaluetur: Quemadmodum enim duplici modo quis poteſt aliũ verbis impetere, imponendo & obijciendo falſum crimen per mendaciũ: aut dicendo verum quidẽ ſed occultũ crimen. Vtroq; enim modo verbum iurioſum dicitur, vt ex ſuperioribus clarum eſt. Ita pro conſeruatione veritatis in retractatione
reſpon-

reſpondendũ: Qui falſum crimẽ impoſuit, poteſt reuocare ſe falſum dixiſſe, aut mẽdacio infamaſſe: ſic enim verũ reſpondet. At qui verũ conuitiũ obiecit: ita reſpondendo ſatisfacere nequit: quia mendacio ab iniuria ſe purgaret. Rectè autẽ talis in reuocatione aſſerere poteſt, ſi iniuſtè iniuriã dixiſſe, aut malè proximũ infamaſſe. Hoc enim veriſsimũ eſt: cum contra charitatẽ & iuſtitiam peccauerit; ideo iuſtè ad reparationẽ & reſtitutionem honoris & famæ cõpellitur. De hac materia Theologi allegati communiter agunt. Dubiũ hoc in loco ſe offert, inprimis motũ à Maranta loco cit. & poſt eum à Mynſing. & Gail. vbi ſupra, & alijs quibuſdam recentioribus. *An actio iniuriarum quæ inſtituitur ad reuocationem & reclamationem, aut veniæ petitionem, &c. ſit criminalis, an ciuilis?* Maranta exiſtimat actionem eſſe criminalem motus ſequentibus argumentis. Talis ſatisfactio iniuriæ dicitur pœna ſecundum Azonem in ſumma de pœn. quem in hoc ſequitur Paris de Puteo in tract. ſyndicatus, in verbo compoſitio. col. 8. in princ. imò ſecundũ eum eſt pœna corporalis ad inſtar ceſsionis bonorũ quæ fit cum vituperio. Nunc ad propoſitũ ſi eſt pœna corporalis & deſcendit ex delicto: Ergo cauſa eſt criminalis, quod probatur ex dictis Bartoli in L. fin. verſ. Quęro quomodo cognoſcam. ff. de priuat. delict. dũ dicit, quod cauſa dicitur criminalis, quando imponitur pœna pecuniaria applicanda fiſco, vel pœna inferenda parti in

corpus, & idem Bart. in L. Prętor ait: in princ. ff. de ſepul. viol. Vnde cum his inferatur pœna in corpus & deſcendat ex delicto, iudiciũ erit merè criminale. Petrus Follerius, S. Seuerino in addit. ad Marantá loc. cit. exiſtimat actoré nõ poſſe petere, vt iniurians condénetur ad has ſatisfactiones faciendas, nec iudicé per viá ſententiæ facere has ſatisfactiones, ſed benè per conſuetudinem fieri de voluntate partium, quando inuicem ſe intendunt concordare, & ita putat eſſe de mente Parid. de put. Sed Follerius rectè nõ iudicat: cum actor poſſit talem actionem intentare & iudex ſententiam reuocatoriam ferre, vt ſæpiſsimè fit in ſummo Imperiali Germaniæ iudicio iuxta dicta ſupra in concluſ. In contrarium talem actionem ad reuocationem eſſe ciuilem contendunt Mynſing. & Andreas Gaill. in obſeruat. d. Matthæus VVeſenbecius in annotat. ad Ioannem Schneidevvinum Inſtit. de iniur. §. pœna autem. numero 15. & poſt hos alij recentiores, atque hanc ſententiam Camera Imperialis recipit, & iudicijs confirmauit, vt exemplis Mynſing. & Gaill. diuerſis oſtendunt. Pro hac ſententia quæ communior eſt, hæc ſunt fundamenta. Primum. Etſi petatur iniuriæ reclamatio, tamen non agitur ad aliquam pœnam Fiſco applicandam, quod in criminali actione omnino neceſſarium eſt. Goſſ. in d. L. Prætor. & Bart. ibidem. Secundum. Quamuis iure communi in criminalibus

nalibus appellatio ſit permiſſa L. addictos, C. de Epiſcop. audient. & in Authent. Sed hodie C. de appellat. moribus tamen Germaniæ in criminalibus appellationi non defertur. Si ergo actio iniuriarum tendens ad reuocationē in numero criminalium eſſet, non eſſet locus in ea appellationi, & tamen contrarium in iudicijs paſsim receptum eſt. Tertium. In Camera Imperiali nulla actio criminalis admittitur (excepta ea quæ oritur ratione fractæ pacis) iuxta ordinat. Sed ſemper & fere quotidie admittuntur libelli iniuriarum ad reclamationem, & actiones in eum effectum inſtituuntur. Atque ſic cum hæc actio pro ciuili habeatur in Camera etiam cumulatio admittitur in libello, quo actor cum reclamatione æſtimationem iniuriæ coniungit: Quod tamen non haberet locum ſi dicta actio pro criminali haberetur. Tunc enim qui formaret libellum in actionē iniuriarum petendo pecuniam pro æſtimatione iniuriæ & etiam reclamationem ſeu aliam ſatisfactionem delicti reijceretur, nec libellus procederet: quia cumularet pœnam ciuilem cum criminali: qualis cumulatio non admittitur iuxta doctrinam Bart. receptam in L. 1. C. quando ciuil. actio crimin. præiud. & in L. Prætor edixit. §. Si dicatur. & in L. Lex Cornelia. §. fin. ff. de iniur. & pendente criminali actione ciuili quæſtioni non eſt locus. L. 2. §. Sed etſi agant. ff. de iudic. Atque cum hæc poſterior ſententia com-

muniori calculo & vſu Imper. Cameræ recepta ſit, merito in noſtris partib⁹ amplectẽda eſt.

Quinta Concluſio. *Etſi tam in foro conſcientiæ quam etiam exteriori, conueniens ſit modus ſatisfaciendi offenſo per petitionem veniæ, non tamen ex præcepto ad hoc aliquis tenetur.* Prior pars ſatis probatur tam per Theologos quã Iuriſperitos dum tradunt iniuriã paſſum non teneri dimittere iniuriam, niſi offendens offenſę veniam petierit, quod vtiq; referendum ad ſatisfactionẽ. Huc facit illud Auguſtini in Enchridio ad Laurentium cap. 74. Quiſquis roganti & peccati ſui pœnitenti non ex corde dimittit, nullo modo exiſtimet à Domino ſua peccata dimitti, quoniam mentiri veritas non poteſt: ſi nõ dimiſeritis hominibus, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra, &c. Quod allegat Magiſter in 3. d. 30. & ad propoſitum exponit ibidem in expoſitione literę S. Bonauentura, hunc etiam laudabilem modum ſatisfaciendi ſatis oſtendit Auguſtin. in Regula ſua tertia cap. 38 Quicunque, ait, conuitio, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu aliquem læſit: meminerit ſatisfactione quam citius curare quod fecit: & ille qui læſus eſt ſine diſceptatione dimittere, &c. Melior eſt autem qui quamuis ſæpè tentatur, tamen impetrare feſtinat, vt ſibi dimittat, cui feciſſe agnoſcit iniuriã: quam qui tardius iraſcitur, & ad veniam petendum tardius inclinatur. Qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo

petit,

petit, ſine cauſa eſt in Monaſterio. Hanc Auguſtin. regulam Vmbert. in expoſitione eius, & poſt eum S. Antonin. in tertia parte tit. 7. cap. 6. § 5. & Caietan. 2. 2. q. 72. art. 3. ad mentem concluſionis exponunt. Quibus conſentiunt Iuriſperiti dum allegando Magiſtrũ in 3. d. 30. in dubium reuocant, an ante petitionem veniæ teneatur quis iniuriam dimittere Antonius Burgenſis in capite primo col. penult. de emptione & vendit. Bartol. in L. Si tibi. §. 1. ff. de pact. & in L. Non ſolum. §. iniuriarum. ff. de iniur. Baldus & Ioannes de Platea in §. fin. Inſtit. eod. tit. Secundam partem tenent etiam communiter DD. S. Antonin. cum Vmberto loc. cit. Caietan. 2. 2. q. 72. art. 3. Ioſeph. Angles in floribus Theolog. qq. in 4. in ſecunda parte in quæſtione de reſtitutione honoris & bonorum temporalium, art. vnico. Couarr. libro 2. variarum reſolut. cap. 10. numero 7. verſ. Tenetur item is. Petrus à Nauarra libro 2. de reſtitut. cap. 4. numero 96. qui etiam alios Hiſpaniæ DD. allegat, quorum opera ad nos non peruenerunt, & alij alibi. Ratio pro hac concluſione à Caietano rectè tangitur. Satisfactio eſt in præcepto & non modus. Siue ergo aliquis ſatisfaciat & contentum reddat iniuria læſum per veniæ petitionem ſiue per genuflexionem, & corporis humiliationem. Sicut Simei fecit coram Dauid, quem contumelia affecerat. 2. Regum 19. Proſtratus coram

rege

rege dixit ad eum; Ne reputes mihi Domine iniquitatē, neq; memineris iniquitatum ſerui tui: aut per aliud ſignum exterius ęquipollens ad arbitriū timorati & prudentis viri. Vnde ſi iudex conſcientiæ iudicaret non fore alium conuenientiorem modum quam petitionem venię poſsit imponere eandem iniurianti, qui tum ęandem teneretur acceptare. In quam ſententiam videntur quidam auctores ire, dum exiſtimant petitionem veniæ neceſſariam ad ſatisfactionem & reparationem honoris. Sed hæc conſideratio relinquitur iudicio prudentis viri pro varietate circumſtantiarum. Aliquando enim iniuria verbo illata tam grauis ęſſe poſsit, vt petitio veniæ ſola non ſufficeret, ſed amplius aliquid deſiderandum foret, & aliquando contra; talis poſsit eſſe circumſtantia, quod tanta non eſſet neceſſaria: vt ſi ſuperior exceſsiſſet erga ſubditum, tunc enim non deberet veniam petere, ne regendi auctoritas frangatur, ſed ſufficit, quod alio modo iniuriam aliquo honoris ſigno recompenſet.

Sexta Concluſio. *Iudex in foro exteriori arbitrando poſſet etiam iniuriantem ad petitionem veniæ, cum genuflexione: aut ad aliam corporalem humiliationem, & ſatisfactionem condemnare.* Contra Follerium in d. addit. ad Marantam 4. part. d. 1. nū. 17. prope finem. Concluſionem tenet ibidem Maranta & Paris de puteo ab eo allegatus. Nec vllus eorum, qui tenuerunt quod iudex ad reuocationem condemnare valeat, hanc etiam negaret.

negaret. Præterea iudex in foro conſcientiæ pro ſuo arbitrio iniuriantem obligare poteſt ad talem ſatisfactionem, vt etiam Follerius fatetur, idque publicè quando iniuria publicè irrogata eſt: Ergo etiam iudex in foro exteriori id arbitrari poteſt: cum id non ſit alienum à recta ratione, & Theologi iudicent quandoque neceſſarium eſſe ad reconciliationem & reſtitutionem honoris. Deinde per tradita ſuperius, Iudex poteſt condemnare in foro exteriori iniuriantem ad recantationem & reuocationem per ſententiam, & hoc grauius eſt, atque cum maiori verecundia, & dedecore fit. Ergo etiam ad petitionem veniæ, aut ad aliam ſatisfactionem mitiorem.

Septima Concluſio. *Modus in ſatisfaciendo eſt, vt ſi contumelia ſecretè fuit illata, nec in publicam notitiam deuenit, ſufficiat ſecreta ſatisfactio: Si vero publicè extitit illata, vel etiam in ſecreto tamen in publicũ prodijt, publicè etiam ſatisfactio reſpondeat.* Hanc tradunt Vmbert. in reg. S. Auguſtini, & poſt eum S. Antonin. in 2. part. tit. 7. cap. 6. §. 5. Scotus in 4. d. 15. q. 4. Gabriel. in ead. d. q. 16. concl. 2. Turrecré. in cap. Si res. q. 5. art. 2. numero 19. 14. q. 6. Sylueſt. in verb. Contumelia. q. 5. Aurea Armilla in verb. Reſtitutio. numero 40. Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitutione. cap. 4. numero 90. & alij alibi. Ratio huius concluſionis eſt clara. Satisfactio debet correſpondere iniuriæ illatæ. Ergo quando iniuria fuit & manſit ſecreta, ſufficit ſecreta ſa-

tisfactio

tisfactio. Quemadmodũ qui ſecretò rem alienam abſtulit, ſatis benè reſtituit, ſi in ſecreto reddat. Cum autem ſecreta ſatisfactio publicè iniuriæ non planè ſatisfaciat, nec ei æquiualeat, publicè ei ſatisfaciendum eſt. Notat tamen Petrus à Nauarra poſt Anthonium Corduben. in addit. ad relectionem Soti detegendo & detegendo ſecretum, memb. 4. de detractione q. 3. concluſ. 9. non fore neceſſarium, vt is qui publicè læſit, per ſeipſum publicè veniam petat, ſed ſatis eſſe per amicum, vel confeſſarium, vel aliam perſonã publicè tamen ſatisfacere, & honorẽ reddere.

Octaua Concluſio. *Qui intulit iniuriam lædendo verbis honorem, aut famam, tenetur reſtituere & ſatiſfacere, quam cito poteſt, & oportunitas eſt.* Hanc docent Vmbert. & S. Antonin. loco cit. Sylueſt. in verb. Contumelia. q. 4. & alij alibi. Ratio eſt euidens. Non eſt minor imo maior neceſsitas reſtitutionis & ſatisfactionis pro fama & honore quam pro rebus temporalibus: cum melius ſit nomen bonum quam diuitiæ multæ. At tenetur quis quam primum poteſt reſtitutionem rerum temporalium facere, quas iniuſtè abſtulit, aut quibus iniuſtè damnificauit, vt communiter DD. docent. S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 8. & eius commentatores ibidem. S. Antonin. in 2. part. tit. 2. cap. 8. Scholaſtici in 4. d. 15. Summiſtæ in verb. Reſtitutio. Dominicus à Soto lib. 4. de Iuſtit. & iure q. 7. concl. vnica. Ioannes Medina in

na in C. de reb. reſtituend. q. 2. dub. 4. Nauarr. in manuali confeſſar. cap. 17. numero 54. Archidiac. & Turrecremata in d. cap. Si res. 14. q. 6. Didac. Couarr. doctè in regula; Peccatum de reg. iuris. lib. 6 ſtatim à principio & alij alibi. Atque ratio eius rei redditur, quia quamuis præceptum reſtitutionis pro parte ſit affirmatiuum, quatenus præcipit reddere alienum & damnum iniuſtè datum reparare, includit tamen negatiuum, in quantum vult non retinere alienum, nec damno afficere proximum. Quandoquidem ergò ea natura eſt præceptorum negatiuorum, vt obligent ſemper, & ad ſemper, prout Doctores communiter loquuntur, reſtitutio & ſatisfactio ſemper facienda, quando commodè fieri poteſt. His accedit quod in obligationibus, in quibus dies non ponitur, nec terminus præfigitur, ſtatim obligatio ſatisfaciendi imminet debitori. L. de omnib. obligationibus. ff. de regulis iuris. Atq; hanc L. ad propoſitum allegant Richardus de media villa in 4. d. 15. art. 5. q. 4. Nauarr. in repet. cap. Nouit. de iudicijs, notab. 6. num. 78. Ioan. à Medina & Couarr. loc. cit. Petrus à Nauarr. de reſtitut. lib. 4. cap. 4. num. 2. & alij alibi, & facit text. in L. Eum qui calendis. §. Quoties. ff. de verborum obligat. & §. Omnis ſtipulatio. Inſtit. de verb. oblig. & cap. Sæpè. de reſtitut. ſpoliatorũ. *Dubium hic eſſe poteſt. An quando duo ſe mutuo infamarunt, ſiue conuitijs affecerunt compenſatione liberentur à*

reſtitutione

reſtitutione & ſatisfactione? vel vt Iuriſperiti loquuntur: An iniuria verbales mutua recōpenſentur. Exempli gratia: Ioañes vocat Petrū furē, Petrus vice verſa Ioannē furē: videtur quod ſic per regulam illam: paria delicta mutua compenſatione tolluntur. cap. fin. de adulterio & L. Viro atque vxore. ff. ſolut. matrim. Præſupponimus hîc ſupra multis probatum defenſionis gratia licitum eſſe propellere iniuriam, vt ſi quis iniuriosè baſtardum me nominet, ſtatim ad defenſionem dicere poſſum tu mentiris. Deinde quando crimina mutuo obiecta non ſunt paria, ſed multum inæqualia, vt omnes ſine dubio fateri debent, via iuſtitiæ non poteſt eſſe recompenſatio: cum compenſatio inter æqualia ſuum habeat effectum. Vnde ſi Margareta Annæ obijceret fornicationem, & è cōtra Anna Margaretæ veneficium, non eſſet locus cōpenſationi ob inæqualitatē criminum: per ea quæ dicunt Innocentius in cap. Intelleximus. de adult. Anton. à Butrio in cap. fin. ibid. num. 5. qui ait; compenſatio, vt valeat ſecundum DD. delicta debēt eſſe paria, & Tyndarus de compenſatione. art. 5. num. 36. & Ioſeph. Angel. in florib. in 4. ſentent. 2. part. in q. de reſtit. famæ. dub. 3.

Nona Concluſio. *Quando duo inuicem iniurioſis verbis ſe læſerunt, ſi iniuria mutua eos ſolum tangat, poſſunt inuicē, ſi volunt mutuo cōpenſare, & remittere.* Dictum in concluſione: ſi iniuria mutua eos ſolum tangat. Quia ſi redundaret in aliorum

damnum

damnum, aut iniuriam, non eſſet in eorum poteſtate remittere, & compenſare vt DD. tradunt. Concluſioné tenent Adrianus in 4. de reſtitur. §. penult. incipienti circa prædicta de reſtitutione famæ oritur dubium: Dominicus Sotus lib 4. de iuſtit. & iure. q. 6. art. 3. ad 4. Ioſeph. Angles in floribus in 4. ſent. par. 2. loc. cit. & quidam alij DD. Hiſpaniæ, quos allegat Petrus à Nauarra libro 2. de reſtit. cap. 4. numero 395. Hæc concluſio probatur, in hoc caſu quiſque eſt dominus ſuæ famę. Ergo mutua poteſt intereſſe remiſsio. His accedit quod ſecundum Theologos libera & voluntaria remiſsio liberet à reſtitutione, & ſecundum Iuriſperitos etiam ab actione iniuriarũ; & conſequenter à ſatisfactione debita pro illatione iniuriæ; vt ſupra quæſtione præcedenti multis probatum extitit. Ergo quando duo mutuo ſibi iniuriam cõpenſando remittunt, compenſatio tenet & ſuum effectum obtinet. Hac tamen non obſtante compenſatione adhuc eſt locus pœnæ debitæ reipubl. quæ etiam læditur iniuria. Tamen in caſu huius concluſionis plus videtur operare remiſsio, vel potius condonatio, quam vera compenſatio.

Decima Concluſio. *Si duo viciſsim, & mutuo ſe conuitijs petant, aut diffament, quiſq; poteſt iniuriatu contra alterum agere, nec vigore iuſtitiæ compenſatione liberabuntur à reſtitutione & ſatisfactione pro iniuria illata.* Pro concluſionis intelligentia dicẽ-

dum quod in hoc loco compenſatio dicitur, quando vnus alterũ infamauit, & alter ſuum infamantem etiam conuitio, vel infamia conſperſit; ſ: tunc vnius iniuria cum alterius diſfamatione reſarciatur: Hanc cõcluſionem ex Theologis tradunt Caietan. 2. 2. q. 62. art. 2. circa ſolut. ad 2. dub. Petrus à Nauarr. loc. cit. Gregor. de Valentia tom. 3. cõment. in 2. 2. S. Thomæ diſpút. 5. q. 6. de reſtitut. punct. 5. in d. art. 2. Mart. Nauarr. in manuali cõfeſſ. cap. 18. His accedunt Iuriſperiti dũ tradunt in hoc caſu, quando alter eorũ, non obiecit conuitiũ, aut cõtumeliã defenſionis & propulſandæ iniuriæ cauſa, poſſe vtrumq; agere, nec cõpenſari has iniurias. Panormit. in cap. Cum te. de ſent. & re iudicat. num. 25. & in cap. penult. in fine. de adult. poſt Speculat. in tit. de accuſatore. §. 1. verſ. Quid ſi vocaui te. Alexan. in L. Illud eleganter. ff. Quod quiſque iuris. Decius in L. Vt vim. prope fin. ff. de iuſtit. & iure. Aufrer. in addit. ad deciſ. 127. Capellæ Tholoſ. Bertach. in repert. in verb. Iniuria col. 3. non longè à princ. qui & alios allegat. Pro hac Iuriſperitorum doctrina allegantur L. Neganda. C. Qui accuſare non poſſunt, quæ inſeritur à Gratiano in cap. Neganda. 11. q. 3. text. in cap. veniẽs, de iure iurand. in princ. in verb. Alternatim. Vbi iniuria reciproca fuit, & non compenſatur. Rationé etiam adfert Panor. in d. cap. Cũ te: Non licet mihi percutere eum, qui me percuſsit, ſi hoc non facio ad defenſionem,

ſed ad vindictam vt in dicta L. Vt vim. & in L. 1. C. Vnde vi. Ita etiam non licet inferre iniuriam verbalē ad vindictam inferenti. Cum nemini liceat propria auctoritate ſe vindicare C. Ne liceat ſine iudice ſe vindicare. Nauarr. probat in primis per dicta Panormitani poſt alios in cap. Bona fides: de depoſito. Sed nihil ibi adfertur à Panormit. & alijs quod multū probet, ſicut neque etiam Nauarr. vlla verba refert, vt etiam obſeruat Petrus à Nauarra vbi ſupra numero 396. Ratio etiam ab eodem Nauarra hæc redditur, quia per reciprocam infamiam damnum illatum non tollitur, ſicut debitum vnius per debitum alterius L. 1. ff. de compenſatione. Petrus à Nauarra multa adfert pro hac concluſione, potior tamen ratio poſt omnia redditur. In omni compenſatione neceſſaria eſt æqualitas, quæ vix ſeruari poteſt in mutuis verborum iniurijs. Hæc concluſio probabilis quidem eſt, vt à dictis Theologis & Nauarro aſſeritur: ſed puto quod contraria ſententia quam tenent Adrian. Sotus. Ioſephus Angles & alij locis allegatis, aut æquè ſit probabilis; aut probabilior per regulam illam ſupra allatam. Paria delicta mutua compenſatione tolluntur, & per alia multa, quæ DD. afferunt in cap. penult. & final. de adult. Gloſſ. & DD. in L. Si ambo. ff. de cōpenſatione. Argumēta aliorū, vt patet parū vrgent: Nec quicquā etiā facit Iuriſperitorum ſententia, hi enim volunt in mutua illa

conuitiorum impetitione vtrumque peccare, quod nemo negat: & ſic etiam poſſe vtrumq; intentare actioné iniuriarum, & agere ad reparationem honoris & famæ: his tamen non obſtat, quod poſsint ſi velint hinc inde cópẽſare. Nec in tali compenſatione etiam requiritur æqualitas planè matemathica, inter iniurias mutuas, ſed moralis. Id in quo eſt exceſſus voluntario conſenſu & libera remiſsione ob bonum pacis tollitur. Vnde Panormit. in d. cap. penult. de adult. ait: Paria delicta mutua compenſatione tolluntur quando agitur ad priuatam vtilitatem: Secus ſi ad publicam vt ad infligendam pœnam: In eundem finem tendit Gloſſ. fin. in d. cap. Bona fides. admittit in delictis compenſationem. arg. 33. q. 6. cap. Nihil iniquius, & cap. penult. & fin. de adult. & etiam in pœnis cap. Conſtitutus. de pœnis. Verum hoc animaduertendum quod in mutuis iniurijs verbalibus, cum alter fere ſemper prouocatus iniurietur, eaq; de cauſa minus peccet, & etiam mitius puniatur, vt alibi dictum eſt, compenſatio quæ eſt liquidi ad liquidum, & quantitatis ad quantitatem, vt DD. & leges determinant in C. & ff. de compenſat. & Tyndar. in tractat. de eadem materia, qui inſeritur tertio volumini Oceani iuris, non habet ipſo iure locum in talibus iniurijs, ſed requiritur etiam conſenſus & remiſsio hinc inde mutuo iniuriantium. In debito enim pecuniario rectius ſeruatur quantitas, &

ita

Ita per modum exceptionis ipſo iure compẽſatio ſuum ſortitur effectum, quando eſt liquidi ad liquidum. Et errat in hoc Petrus à Nauarra quod exiſtimet illam ſententiam de recompenſatione fouere contumelias & murmurationes, dum quis, vt ait, putaret ſe poſſe alium infamare & conuiciare, quia ſit viciſſim ab eo laceſsitus iniuria, & non ſolum ea ſpe, quo facta iniuria non teneretur reſtituere, & veniam petere, ſed etiam ea ſpe, quod liceret referre vicem, ſicut licet in pecunia, non ſolum ſe recompenſare ex debito alterius, ſed etiã ab eo accipere. Sed huius rationis vis facile eneruatur ex dictis. Omnes enim fatentur ſic mutuo ſe infamantes peccare, & vtriq; ius competere ad agendum & proſequendum ſuam iniuriam, vt communiter Iuriſperiti volunt, interim tamen illatis iniurijs eſſe locum recompenſationi inter partes, nec iure teneri ipſas ad compenſationem, ſicut in debito liquido: Nec alias etiam par ratio eſt; cum in noſtro caſu etiam obligatio trahatur ex mutuis delictis. His addimus quod cum vterque peccet iniuriando, licet inuicem compenſent quantũ ad damna, ſi quæ nata hincinde ſint, & ad ſatisfactionem propriam: Iudici tamen & reipublicæ non tollitur puniendi ius & facultas. Atque timore huius pœnæ ſatis etiam homines coërcentur à contumelijs & mutuis iniurijs: Atque ſic intereſt reipublicæ vt crimina non maneant impunita, ne ad maleficia temerè

merè quiſquã proſiliat. L. Si operis. C. de pœnis. Ex his patet motiuum illud Petri à Nauarra parum vrgere. Dubium hic eſſe poteſt. *Quid ſi non appareat quis cęperit verbis iniuriari, quis teneatur actione iniuriarum?* Reſpondetur cum Felino in cap. Dilecti, col. penult. de except. poſt Ludouicum Romanum in L. Cum mulier. col. 31. ff. ſolut. matrim. neutrum in hoc caſu teneri per L. Scientiam. §. Cum ſtramenta. ff. ad leg. Aquil. & text. in d. cap. Conſtitutus: vbi pœna appoſita contrauenienti contractui ceſſat ambobus pariter contrauenientibus, & Bald. in L. Vt vim. ff. de iuſtit. & iure, vult ꝙ vulnerantibus duobus ſe pariter ictibus nõ teneantur quoad ſeipſos, ſed reſpectu reipub. Ratio huius dicti, vt colligitur ex Felino loc. cit. Gloſſa fin. & Panormit. in d. c. Bona fides, & alijs alibi, fundatur in mutua compenſatione, quam in tali caſu ius fingit, & præſupponit; Reſeruata tamen eſt reipublicæ ſua pœna in vtrũq; ſtatuenda. In foro conſciẽtiæ etiam puto hoc habere veritatem quando iniuria eſſet æqualis, neuter enim teneretur petere veniam, & offerre ſatisfactionem: Secus tamen cenſendum quantum ad odium & animi rancorem: Vterque enim quam primum tenetur deponere odium, & exhibere communia charitatis ſigna. Si autem duo ſe mutuo iniurioſè offendant, & amborum offenſio eſt æquè grauis, & cognoſcitur quis prius offenderit, tum hic prius debet etiam reconcilia-

conciliationem petere: At ſi poſterior iniuria ſit maior, poſterior debet prius eam petere, vt placet Syluest. in roſa aurea caſu 56. & Martino Nauarro in manuali confeſſar. cap. 14. numero 25. in fine. Poſtremo vt hæc melius intelligantur, quæ in hac concluſione de mutua compenſatione iniuriarum diximus (ſiquidem DD. videntur æquiuocatione vocabuli laborare maximè Theologi, qui non ſtrictè, vt iura loquuntur de compenſatione, intelligunt compenſationis naturam) Annotandum cum Bald. in L. Si conſtat. num. 8. C. de compenſat. quod cõpenſatio eſt duplex. Voluntaria & neceſſaria. Voluntaria quæ fit communi conſenſu partium, & regulatur à voluntate, & habet locum in re qualibet: Sicut quælibet res poteſt ſolui pro alia re de voluntate partium: ita etiam quælibet res, licet ſtrictè non ſint inuicem compenſabiles, poſſunt pro alijs non eiuſdem ſpeciei compenſari, & hæc extra iudicium etiam ſuum conſequitur effectũ. Et in hac ſignificatione loquuntur Theologi, quando ad effectum cõpenſandi iniuriã, ſermonem faciunt, ſine dubio cõpenſationi locus eſt, quæ compenſatio mutuo etiã liberat offendẽtes à ſatisfactione & reſtitutione, vt ſupra in concluſione maximè 9. ſignificatum. Neceſſaria dicitur quæ fit inuita actore, & partibus, & regulariter requiritur quod fiat in iudicio, & quod ſit liquidata & à iudice approbata. L. Quod in diem. §. Si rationem. ff. de

compenſ. & de hac maior eſt difficultas ad propoſitum: Et hanc etiam in caſu licet rarius in actione mutua iniuriarũ non dubitamus poſſe fieri per ſupra allegata.

QVAESTIO DVODECIMA.

An homo iniurioſé agat, & peccet verbis ſibÿpſi infamiam inferendo?

QVAESTIO hæc ſatis grauis eſt, & inter Theologos controuerſa, quam breuius per concluſiones reſoluemus.

Prima Concluſio. *Infamare ſeipſum verum crimen prodendo, aut falſum imponendo non eſt contra iuſtitiam, nec ſic ſe infamans iniuriam committit.* Hęc eſt contra S. Antoninum 2. part. tit. 2. cap. 2. §. 3. verſ. quantum ad quartum damnum. & tit. 8. cap. 4. §. 1. verſ. Primo modo, quando imponit falſum alteri, &c. Syluestrum in verb. Detractio q. 3. Caietan. ibidem, & 2. 2. q. 73. art. 2. qui fortius alijs tenet. Auream Armillam, in eod. verb. num. 5. Ioannem Maior. in 4. d. 15. q. 22. col. 5. Panormit. & Felinum col. 2. in cap. 1. de teſtib. cogend. Marian. Socin. in cap. Ad audientiam. de homicid. Ioan. Lupi in Repet. Rub. de donat. inter virum & vxorem §. 70. numero 4. Archidiac. in cap. Non eſt. 23. q. 5. & alios alibi. Hi enim DD. exiſtimant ſibijpſi imponere crimen falſum ita eſſe peccatum, ſicut alterum infamia notare. Quod

re. Quod conſtat eſſe contra iuſtitiam: Imò quidam grauius crimen iudicant: Sicut occidere ſeipſum grauius quam alterum interficere: quandoquidem ordinata charitas incipit à ſeipſo. In contrarium & pro concluſione poſita ſunt ſequentes auctores. S.Thomas 2. 2. q. 73. art. 4. ad 1. dum cenſet in arbitrio hominis eſſe pati detrimentum propriæ famæ, quādo non vergit in periculum aliorum. Adrian. in 4. de reſtit. q. vlt. An auferens alteri famam iniuſtè teneatur ad famæ reſtitutionem, & in quodlib. 11. Angel. in verb. Detractio, num. 6. Dominicus Sot. ex profeſſo contra Caietan. lib. 5. de iuſt. & iure. q. 10. art. 2. poſt medium, & latè in releꝗ. de ratione tegendi & detegendi ſecretum, memb. 1. q. 3. Martin. Nauarr. in manuali confeſſar. cap. 18. numero 18. & 27. & 28. & in comment. cap. Inter verba. 11. q. 3. concl. 6. num. 13. Ioſeph. Angles. in florib. in 4. ſentent. 2. part. in q. de dominio diffic. 4. art. 2. concl. 2. & in q. de reſtit. famæ diffic. 2. Didac. Couarr. lib. 1. variar reſolut. cap. 2. numero 8. Gregor. de Valent. in 2. 2. diſputat. 5. q. 17. puncto 2. Petrus à Nauarr. multis lib. 2. de reſtitut. cap. 4 à num. 110. & in hanc ſententiam iuniores Theologi communiter tendunt. Nunc concluſio probatur. Primo. Eiuſdem ad ſeipſum, nec eſt iuſtitia nec iniuſtitia, & ex conſequenti nec iniuria eſt, ex Ariſtotele 5. Ethicor. cap. 1. & S.Thom. 2. 2. q. 57. art. 4. Caietan. ibidem, & alijs alibi.

Et ſic iniuſtitia eſt vnius ad alterū. Ergo qui ſeipſum infamat non cōmittit iniuſtitiā & iniuriam. Secundo homo eſt dominus proprię ſuę famæ, ſicut pecunię, licet fama ſit excellentior inter cætera bona exteriora vt ſupra dictū eſt. S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 5. ad 3. & in d. art. 4. ad prim. Adrian. Sot. & Couarr. Ioſeph. Angles. Petrus à Nauarra & alij cōmuniter, contra Caietan. 2. 2. q. 73. art. 2. Sed homo poteſt diuitias & pecuniā aliaſq; res exteriores contēnere & abijcere, & nihili ducere. Ergo & famā propriam abijcere & contemnere poteſt quod nihil aliud eſt quam ſeipſum infamare. Ergo. Præterea honor & fama proprio labore & induſtria acquiruntur, & in dies augentur. Ergo ſunt propria hominis bona, atq; eius arbitrio ſubiacent, vt poſsit de eis diſponere pro ſua voluntate, nec vlli facit iniuriam ſi abijciat, prout etiam homo poteſt diſponere de alijs ſuis bonis exterioribus. Ex his patet quod Caietan. malè confert famam cum hominis vita; habet enim homo poteſtatem ſuæ famæ, ſed non vitæ: cum DEVS ſit auctor vitæ & mortis. Deuteron. 32. Ego occidam & ego viuere faciam, & Sapientiæ 16. Tu DOMINE qui vitæ & mortis habes poteſtatem. Hinc quando homo ſeipſum interficit iniuriam facit DEO, & reipubl. cuius homo pars eſt. At cum propriæ famę ſit dominus, nec reipubl. nec Eccleſiæ fama ſit, contra mentem Caietani, nulli iniuriam facit, ſi eam prodigat.

Secunda

Secunda Concl. *Infamare ſeipſum ex ſuo genere eſt ſolum peccatum veniale, præter charitatem.* Hęc eſt cõtra DD. allegatos contra primã cõcluſioné. Tradunt autem hanc Adrian. Sotus. Nauar. Couarr. Petrus à Nauarra & alij, & ait Sotus in d. memb. 1. q. 3. concl. 3. Concluſio hæc ſæpè in has Scholas producta eſt: & ſunt Magiſtri noſtri qui eam affirmauerunt. Concluſio in primis probatur. Si eſt contra charitatem, aut eſt contra dilectionem proximi, aut contra charitatem propriam: non primum, quia quando ſeipſum quis infamat, nemini nocet. Nec ſecundum, quia charitas qua quis tenetur ſe diligere, per ſe tantum obligat in eis quæ neceſſaria ſunt ad ſpiritualem vitam, & ad bona tantum externa quatenus hæc concernunt finem ſpiritualem. Ergo quando fama propria non eſt ſimpliciter homini neceſſaria ad virtutem & ſalutem animæ, non eſt contra charitatem propriam eam negligere, ſed ſolum præter charitatem, id eſt contra feruorem charitatis, ex quo eſt verum bonum, & ſic non eſt niſi veniale peccatum. Deinde prodigalitas pecuniæ ex ſuo genere eſt ſolum veniale peccatum. S. Thomas. 2. 2. q. 120. art. 2. & 3. S. Antoninus 2. part. titulo. 6. cap. 8. Caietan. & Aurea Armilla in verbo prodigalitas. Sotus. Nauarr. Couarr. & alij vbi ſupra: Cum homo habeat liberam diſpoſitioné ſuæ pecuniæ & poſsit eam donare, remittere, &

perdere

perdere pro ſua voluntate. Ergo pari ratione, cum infamatio & proprij criminis manifeſtatio non ſit niſi prodigalitas famæ. Gloſſa in Proæmio decretal. in verb. Sui prodiga. Et text. in cap. fin. de accuſat. Vbi quis dicitur non ſolum prodigus rerum ſed etiam famæ, quem ibidem Panormit. num. 3. Ancharan. eodem, Ioann. ab Anan. col. 2. non longe à principio. Card. Zabar. numero 4. & alij ita annotant, non erit niſi veniale peccatum præter charitatem præſertim cum pecunia magis neceſſaria vitæ humanæ videatur quam fama. Vnde ipſa pecunia etiam hodie ſecundus ſanguis dicitur, & loco ſanguinis eſt Gloſſ. L. Aduocati. C. de aduocat. diuerſor. iudic. Iaſ. in L. Nec quicquam. §. Vbi decretum. numero 2. de offic. proconſ. Gerard. de Petra ſancta, ſing. 73. Menoch. 2. de arbit. iudic. quæſtionibus, caſu 110. numero 6. Poſtremo negligere honorem & gloriam mundi ex ſuo genere non eſt peccatum mortale. Ergo nec negligere famam. Quia idem eſt iudicium quantum ad hoc vtriuſque honoris & famæ. Antecedens conſtat: Si quis enim vocetur ad amplas dignitates & honorifica munia reipubl. ſi totis viribus acceptare renuat, non vtique peccati mortalis arguetur, ſed potius laudem merebitur apud ſapientes & conſilium Euangelicum implebit. Plures rationes format Dominicus à Soto in d. concl. 3.

Tertia Concluſio. *Quandoq; ex accedenti, & circumſtan-*

circumſtantijs contingere poteſt, quod infamare ſeipſum ſit peccatum mortale. Hanc Sotus Nauarr. & Petrus à Nauarra, & quidam alij docent. Ponunt autem aliquos caſus quorum primus eſt. Si quis ſe infamaret verè vel falsè de crimine aliquo grauiſsimo, vt de hæreſi, qui optimæ famæ fuiſſet, vnde fortaſſe alijs periculum incidendi in idem crimen immineret: Sicut eſſet etiam eadem ratio quando quis cum iactãtia & complacentia prodendo grauia ſua crimina ſibi infamiæ notam impingeret. Secundus, Quando eſſet perſona publica, cuius fama eſſet alijs obligata: Vt ſi aliquis Prælatus, aut perſona publica ſe infamaret quæ honoré & dignitate fungeretur, quibus dignus, aut par alius non inueniretur: In tali enim caſu propter aliorum ſalutem graue eſſet crimen ſé indignum reddere ſuo officio. Non ſecus atq; ſi quis proles & familiam cõmiſſam haberet, quæ ſubſtantia terrena ſummè pro alimentis indigeret, & ipſe ſine vlla cauſa omnem ſubſtantiam diſsiparet, & prodigeret; nemo enim negaret talem mortaliter peccare: Sic D. Tho. 2. 2. q. 73. art. 4. ad primum ſtatuit in hominis arbitrio eſſe detrimentum propriæ famæ pati, niſi hoc vergat in periculum aliorum. Eadẽ eſt ratio ſi quis ſe infamaret, cuius infamia etiam in aliorum infamiam notabilem tenderet: Vt ſi religioſus ſibijpſi labem imponeret, quæ infamaret ex conſequenti monaſterium ſuum. Tertius caſus, ſi ex infamatione ſui

ipſius

ipſius ſequeretur cauſa, aut daretur occaſio proxima inferendi damnum propriæ, aut alienæ vitæ: aut mutilationis membri. Quod tamen non haberet veritatem, quando quis ſe infamaret iuſta de cauſa etiam ſi propriæ vitæ periculum immineret, vt docet Petrus à Nauarra in d. cap. 4. poſt Anton. Corduben. memb. 4. de detract. q. 3. concl. 14. dub. 2. Quod ante hos ſentijt Angel. in verb. detract. nũ. fin. de his latè Nauarr. & Petrus de Nauarr.

Quarta Concluſio. *Ex rationabili & iuſta cauſa licitè & ſine peccato poteſt quis ſe infamare, imo etiam aliquando cum virtute & meritò fieri poſſet.* Adrian. vbi ſupra, Sot. Nauarr. Gregor. de Valentia. Petrus à Nauarra, & alij contra Caietan. Probatur concluſio, infamare ſeipſum ex ſua natura, nec eſt contra charitatem, nec contra iuſtitiam. Ergo poteſt bono fine cohoneſtari & alijs circumſtantijs rectis, & tunc ſine dubio eſſet actus virtutis. Antecedens conſtat ex ſuperioribus; & amplius declaratur quãdo quis coram patre ſpirituali extra cõfeſsionem prodit peccatum ad capiendum conſilium: Aut aduocato ob eundẽ finẽ. Aut cauſa humilitatis coram conuentu cum ſcientia ſuperioris defectus naturæ & culpæ religioſus in capitulo reuelat: Vnde apud multos religioſos regulari & laudabili diſciplina, & pio vſu receptũ eſt quod religioſi ſæpius ſuas culpas dicant ad conſeruandam humilitatem & emendandos errores. Et in caſu virtutis etiam opus eſſet,

vt ſi

vt ſi exempli gratia reſpubl. vellet aliquam perſonam promouere ad officium publicum quo promouendus eſſet indignus ob defectum naturæ, vel culpæ ſibi notum; aliiſ autem occultum. In quo caſu ſi aliæ obſeruentur circumſtantiæ, tantum abeſt, quod eſſet peccatum proprium defectum prodere, quod etiam eſſet actus virtutis. Exempla etiam ſanctorum non deſunt qui ad maiorem animæ ſuæ ſecuritatem, & fœliciorem in ſpiritualibus profectum, vel etiam in exemplum aliorum ſua crimina propria in notitiam hominum deduxerunt. Vt S. Auguſt. ſæpè in lib. confeſſion. & præcipuè in libro 2. cap. 2. Rapiebat, inquit, caligo libidinis imbecillem ætatem per abrupta cupiditatum, atque merſabar gurgite flagitiorum, ibam longius à te, & effundebar, & diffluebam, & ebulliebam per fornicationes meas & tacebas. Cui haud diſsimile eſt illud D. Anſelmi in meditationibus. O virginitas iam non dilecta mea ſed perdita mea. O fornicatio ſordidatrix mentis meæ, perditrix animę meæ. Et de S. Ambroſio in eius vita legitur, vt aliqui referunt ꝙ publicas mulieres publicè ad ſe ingredi voluit, vt viſis his diffamaretur apud populũ, & ea ratione impedimẽtũ obijceret, ne eligeretur in Epiſ.

Quinta Concluſ. *Qui motu tormentorum, aut in tormentis quando iniuſtè interrogatur à iudice, ſibi falſum crimen quod infamat, imponit, quando non eſt aliud mediũ euadendi tormenta, nõ incurrit peccatũ mortale.*

Hanc

Hanc docent Angel. in verb. detractio. num. fin. Adrianus quodlib. 11. diffic. 3. Nauarr. in manuali confeſſariorum cap. 18. num. 29. Sotus de ratione tegendi & detegendi ſecretum. memb. 1. q. 3. concl. 5. & memb. 3 q. 4. concl. 10. Couarr. loco cit. num. 8. Petrus à Nauarra in d. cap. 4. num. 133. qui pro concluſione etiam allegat Ledıſsimam, & Anton. Corduben. Ratio eſt ſupra allegata. Talis enim non peccat nec contra charitatem, nec contra iuſtitiam, ſed tantum facit præter charitatem. Vnde etiam tale mendacium quod committit imponendo ſibi falſum non eſt plus quam veniale: cum non ſit pernitioſum ſed officioſum quod non plus eſt quam veniale, vt cõmuniter DD. allegati tradunt. Hinc infertur eum qui ſibi falſum impoſuit crimen, quando alijs non præiudicatur; non teneri retractare in extremo contra S. Antonin. Panorm. Felin. Socin. & alios in prima concluſione adductos, niſi peccatũ quod imponit eſſet cauſa efficax mortis propriæ: Quamuis etiam nec tunc teneretur, ſi iudicem confirmatum videret, ita animo quod nihil proficeret, ſed potius tormenta continuanda timeret, in tali caſu fortaſſe conſultius duceret mortem eligere, quam de nouo tormenta pati: tunc non teneretur retractare, vt Angel. loc. cit. Sotus, Petrus à Nauarra, & alij alibi docent. Non enim tenetur homo vitam conſeruare cum tanto incõmodo, tantoque dolore. Aliud tamen foret ſi quis iuramentum

ramentum interponeret, tum enim committeretur peccatum mortale & periurium. Dominicus à Soto in d. memb. 1. q. 3. & Petrus à Nauarra latius ſoluunt argumenta quæ his cõcluſionibus aduerſari videntur, quos lector pro oportunitate videre poterit. Quoniam iniuria quæ fit per ſcripta, picturam, libellos famoſos, cantiunculas, &c. ad iniuriam verbalem refertur. Nunc etiam aliquid de iniuria huiuſmodi quę ſcriptis & ſignis committitur, agendum, ſit ergo.

QVAESTIO XIII.

An ſcriptis & libris iniuria committatur, & quibus modis ac quomodo punienda?

PRIMA CONCLVSIO. *Certiſsimum, & ab omnibus receptum eſt etiam iniuriam committi per famoſos libellos, ſcripta, cantilenas, & picturas ignominia plenas.* Per L. vnicam. C. de famoſis libellis, quæ pro parte à Gratiano ponitur. 5. q. 1. cap. fin. & ff. de iniur. & famoſ. libell. L. Lex Cornelia. §. Si quis librum. & L. Item apud Labeonem. §. generaliter. & L. Conſtitutionibus. DD. in iiſdem locis. & inſtitut. eodem tit. §. Iniuria. DD. in practicis criminalibus in tit. de iniurijs. Summiſtæ in ſummis verb. Libellus. & Libellus famoſus. Archidia.. & Turrecre. in 5. q. 1. cap. fin. S. Antonin.

Q in 2.

in 2. part. tit. 8. cap. 4. §. 1. verſus finem, & alijalibi. Ratio clara eſt ex canonibus & ll. & communi doctorum ſententia. Tales libri & ſcripta infamant hominem contra iuſtitiam. Sed hoc ſpectat ad iniuriam.

Secunda Concluſio. *Qui alterius famam libello, aut ſcriptis, aut pictura lædit, grauiſsimè peccat, & tenetur ad reſtitutionem famæ, nec non omnium damnorum, in quæ proximus cadit ex tali infamatione.* Hanc concluſioné docét S. Antonin. vbi ſupra. Angel. Sylueſt. Caietan. Aurea Armilla, & alij in verb. Libellus famoſus. Nauarr. in manuali confeſſar. cap. 18. num. 35. ac in cap. penult. de pœnitent. d. 6. numero 5. & alij alibi. Cauſa concluſionis eſt euidens. Talis honorem & famam proximi lædit ad ignominiam contra charitatem & iuſtitiam. Ergo peccat, & tenetur ad reſtitutionem non ſolum honoris & famæ, ſed etiam damnorum quæ ſequuntur. Imo etiam tenetur famam & honorem reſtituere per alium libellum quo proximum purget, vt Angel. Syluester & alij annotant. Pertinet autem hoc crimen ad detractionem ſi occultum ſit nomen ſcribentis, vt Caietan. & poſt eum Aurea Armilla in d. verb. Famoſus libellus, obſeruarunt. Eſt enim furtum quoddam ſpirituale quo alterius fama læditur, vt Damhauder. rectè indicat in rerum criminalium praxi. cap. 125. numero 1. Ad contumeliam autem refertur, ſi auctor etiam per ſcriptum manifeſtus fiat.

Dubium

Dubium autē hoc loco pro foro conſcientiæ occurrit. An qui publicas perſonas & graues, & in honore magno habitas per libellos famoſos, paſquillos, picturas, cantiones, & carmina, infamat, teneatur ad reſtitutionem honoris & famæ etiam cum vitæ periculo? Quidam auctor Hiſpanus Mercados qui Hiſpanice ſcripſit, putat eſſe probabile; prout ipſum refert Petrus à Nauarra Toletanus Theologus in libr. 2. de reſtitutione. cap. 4. numero 413. tandem tamen dicit ſe nolle quæſtionem determinare; ſed quod conſulantur Theologi. Petrus à Nauarra tenet in hoc caſu cum periculo vitæ famam non eſſe reſtituendam: Cum pro nulla fama vita periculo exponenda, & in diſcrimen ſit adducenda. Quia vita præponenda omnibus rebus exterioribus, quarum numero fama coniungitur. Atque ita docent famam non eſſe regulariter reſtituendam cum periculo vitæ, Dominicus Sotus lib. 4. de inſtit. & iure q. 6. art. 3. ad 4. dub. 3. Caietan. 2. 2. q. 62. art. 6. Nauarr. in manuali cōfeſſar. cap. 18. num. 47. Ioan. à Medina in C. de rebus reſtituendis q. 3. Quarta cauſa in reſponſ. ad quartum dicendum, & alij alibi. Dictum eſt regulariter famam non eſſe reſtituendam cum periculo vitæ. Quia Sotus loc. cit. ſaluo meliori iudicio exiſtimat ſingularē poſſe euentū cōtingere, quo quis cum periculo vitæ, teneatur reſtituere famam & honorem. Vt ſi quis illuſtrē familiam de hæreſi, aut de crimine læſæ maieſtatis cum mendacio

 diffamaſ-

diffamaſſet, ita vt niſi mendacium retractaret, eadem proſapia perpetua illa labe maneret infecta; in quo caſu ſi non poſſet ſine periculo vitæ reſtituere, nihilominus teneretur. Hoc tamen durum & nouum videtur Nauarro in d. cap. 17. num. 91. Sed non eſt prætereundum, quod quando iniuſta alicuius infamatio, ſiue per verba, ſiue per famoſum libellum, aut ſcripta, eſſet cauſa quod alius iniuſtè vitam perderet niſi ei fama reſtitueretur quæ iniuſtè ablata eſt, tunc teneretur cum periculo propriæ vitæ alterum ab iniuſta morte liberare. Adrian. in 4. in q. de reſtit. famæ. Sotus. Medina & Petrus à Nauarra vbi ſupra; Ioſeph. Angles in floribus Theolo. qq. in 4. in 2. part. in q. de reſtit. famæ, art. 1. concluſ. 3. & alij alibi. In hoc enim caſu melior eſt pars innocentis, & ideo cum æquali periculo eſt liberandus, ab eo qui iniuſtè & malè cauſam periculi mortis dedit.

Tertia Concluſio. *Sub hoc famoſi libelli, & iniuria ſcripta genere plures ſpecies comprahenduntur.* Hæc concluſio non tam probatione quàm declaratione indiget. In primis obſeruandum iuxta Angel. & Sylueſtr. in verb. libellus famoſus, nomine libelli famoſi intelligi cópoſitionem in ſcriptis factam, in infamiam alicuius, eius quod probare non vult, & in publico iactatam. Intelligũtur itaq; nomine famoſi libelli, & ſcriptæ iniuriæ, liber qui conſcriptus eſt in infamiam aut ignominiam alicuius, ſiue

literæ & chartæ ſcriptæ in infamiam alicuius ſparſæ in publicum, rythmi, & comædiolæ, aut actiunculæ publicæ infamatoriæ, vel affixæ ad ianuam, aut locum publicum, paſquilli, cantiones literis commiſſæ, ad pudorem, infamiam verecundiam alicuius conceptæ. Si autem non eſſent literis traditæ, nó arbitror inter ſcripta ſed dicta famoſa referri. His addere placet carmina & epigrammata, nec non etiam picturam publicam, aut ſigna denotantia vitia quæ tendunt in dedecus & infamiam. Vt ſi quis depingeret cornua in porta alicuius quibus ſignificaretur aliquem cornutum prout conſuluit Bertachin. & ipſe ſe conſuluiſſe fatetur in repertorio in verb. Actio iniuriarum per legem. Conſtitutionibus. ff. de iniurijs, & ſentiunt Angel. in verb. Iniuria. ante num. 1. & Syl ueſt. ibidem, num. 2. Hæc colliguntur ex L. Item apud Labeonem. §. Generaliter. & §. Hæc autem ferè ſunt. ff. eod. tit. & DD. ibidem. & ex L. Lex Cornelia. §. penult. & fin. nec non ex practicis & DD. in locis allegat. Porro ex d. L. Lex Cornelia in d. §. penult. & fin. videtur colligi quantum ad propoſitum, eſſe differentiam, diſtinctionemq; aliquam ſi ſtricte conſiderare velimus, inter famoſum libellum, & iniuriam ſcriptam. Grauius enim crimen arguit famoſus libellus, quam iniuria ſcripta vt ſubindicat VVeſenbec. in annotat. ad Ioan. Schneidevvinum. Inſtit. eod. tit. §. Iniuria. num. 1. ac etiam probat ex iure Saxonico

nico in conſtitut. conſtitutione 44. part. vlt. & 42. & ita maior eſt pœna libelli famoſi quã iniuriæ verbalis prout plenius infra patebit.

Quarta Concluſio. *Auctor famoſi libelli in ignominiam, & infamiam alicuius compoſiti & diuulgati in publicum, punitur pœna capitis de iure ciuili.* L. vnica, C. de famoſis libellis, quando actio criminaliter intentatur, & cõmunis ſententia DD. ibidem. Bonifac. à Vitell. in tract. malefic. lib. 2. in cap. de famoſis libel. Damhauder. in rerum criminaliũ praxi, cap. 125. num. 2. Petrus Placa. lib. 1. delictorum, cap. 3. Iul. Clar. lib. 5. §. fin. practic. crimin. q. 68. num. 25. Menoch. latè lib. 2. de arbitrar. iudic. qq. caſ. 263. num. 35. Angel. Sylueſt. S. Antonin. & alij locis cit. ſic communiter ſentiunt, & textus eſt clarus in d. L. vnica: vbi ſic legitur. Si quis famoſum libellũ ſiue domi, ſiue in publico, ſiue quocunq; loco ignarus reperit, aut corrumpat priuſquã alter inueniat, aut nulli cõfiteatur inuentum; Si vero non ſtatim eaſdem chartulas corruperit, vel igne conſumpſerit, ſed vim earum doloſe manifeſtauerit, ſciat ſe quaſi auctorem huiuſmodi delicti capitali ſententiæ ſubiugandum. Huiuſmodi autem libellus alterius opinionem non lædat. Ex his verbis L. etiam manifeſtiſsimum eſt non ſolum auctorem ſed etiam inuentorem talis libri, ſi non ſuppreſſerit & corruperit, ſed contenta in illo in hominum notitiam deduxerit dolo & intentione infamandi teneri hac pœna, vt communiter

omnes

omnes ſentiunt. Pro clariori huius legis intelligentia in primis mente tenendum, hanc legẽ obtinere, quando crimen in famoſo libello, & ſcripto obiectum, & in publicum productum, eſt tale, pro quo de iure, conſuetudine, aut ſtatuto pœna capitalis imponitur. Gloſſ. & Salycet. in d. L. vnic. eod. Gloſſ. in cap. Hi qui. 5. q. 1. Ioan. à Platea. Inſtit. de iniur. §. iniuria. Damhauder. Petrus Placa, & Menoch. in fine vbi ſupra, & alij alibi. Hinc melius intelligitur in aliquo caſu eſſe diſtinctionẽ, vt antea ſignificatum, inter famoſum libellum & iniuriam ſcriptam. Etenim ſi quis carmine, aut cantione, aut ſcripto in alicuius contumeliam diuulgaret eum ſtolidum, aut ſpurium, iniuria eſſet ſcripta, per §. fin. in d. L. Lex Cornelia, & §. Generaliter. & ſeq. L. Item apud Labeonem. Non tamen talis puniretur pœna d. L. vnic. de famoſis libellis, ſed pro iudicis diſcretione. Eadem eſt ratio, quando quis propalaret quodcunq; ſcriptũ, aut ederet, in quo aliquis notaretur de re, aut vitio non capitali, talis tamen etſi capitis non damnaretur puniretur tamen iudicis arbitrio pro qualitate & quantitate circumſtantiarũ. Vt Petrus Placa & Menoch. poſt Angel. Hoſtien. & Azon. ſentiunt per d. §. fin. dũ volunt eũ iudicis arbitrio puniri, qui cantilenas diffamatorias cõtra aliquem canit. Et id apertius alijs rectè atteſtatur Damhauder. in d. cap. nũ. 6. dum ita ſubiungit. In ijs porro literis quę nihil habẽt capitale

ſcriptor & dictator & euulgator, puniẽdus eſt de iniuria, compenſatione famæ ad tantam ſummam quantam diffamatus iurabit ſe cum nominis integri laceratione cõmutare nolle, deinde reparatione famæ, cum contraria diuulgatione hoc modo, vt qui prius diffamatione alterius læſerat nomen, nunc cõtra eiuſdem nomen laudibus efferat, prædicet & cõmendet,& per alios libellos cõtrarios ſua conficta teſtetur mendacia, vel offenſi teſtetur innocentiam.Sic ille auctor.Quæ vera ſunt quãdo ciuiliter agitur. Deinde cõcluſio procedit, ſiue quis proprio nomine, vel alterius inſtinctu & conſilio inſcripſerit, aut ediderit. §. Si quis librum. in d.L.Lex Cornel. Ampliatur adhuc habere locum. d. L. vnic. ſiue nomen diffamati exprimatur, ſiue non, ſiue fictis nominibus diffamationem peregerit, ſiue veris, modo per ea ficta nomina perſona diffamata innoteſcere & lædi poſsit, vt Damhauder.loquitur. Poſtremo concluſio etiam locum habet, quando quis aliquem de vero crimine famoſo libello notat, & famam eius lædit,extra iudicium nulla iuſta cauſa motus vtpote non expedit reipub.cognoſcere, vt rectè intelligũt Raphael Fulgoſ. in d. L. vnic. Petrus Placa.Epitomes delictor. lib. 1. cap. 1. Didac. Couarr. lib. 1. variar. reſolutionũ,cap. 11. num. 7. verſ. ſecundo,eadem ratione deducitur intellectus ad L. 1. C. de famoſ. libel. & Menoch. vbi ſupra, num. fin. quicquid Angel. & Syueſt. loc. cit.cum

cit. cum alijs in cõtrarium docuiſſe videãtur. Ad maiorem enim reipub. vtilitatem & ſplẽdorem pertinet viros criminum & pœnæ reos, ad iudicem deferre, quam extra iudicium libellis & ſcriptis in maximam omnium perniciem & multorum ſcandalum, publicè infamari. Verum tamen eſt, quod nonnunquã receditur ab hac pœna ordinaria iuris in auctore libelli famoſi aut ſcripti. Sic Angel. in d. L. vnic. de quodam qui poſuerat ſcripturam infamatoriam ſuper altari Palatij priorum nõ deſcripto nomine alicuius, refert quod licet debuiſſet decapitari, tamẽ indulta ſibi fuit pœna capitis, & conuerſa fuit in pœnam duorum mille ducatorum. Huius caſus etiam meminit idem Angel. in d. L. Lex Cornelia. §. Si quis librum. Iulius Clarus lib. 5. §. fin. pract. crimin. q. 68. num. 25. allegat Parid. de put. de Synd. fol. 273. num. 6. dicentem quod illi qui ad infamiam poteſtàtis pingunt membra pudenda virilia, vel muliebria ſuper ianua cameræ, vel portà palatij, ſint maxima pœna digni, ſubdens quod in facti cõtingentia conſuluit, ꝙ quidã qui pinxerat quandã honeſtam mulierẽ eius amaſiam (quæ ſibi conſentire nolebat) nudam cum certo vituperio; & illam picturam ad eius ignominiam affixerat in locis publicis, quod eſſet ad triremes tranſmittendus, quia talis pictura eſſet libellus infamatorius. Iulius Clarus atteſtatur, ſe nunquam vidiſſe ſeruari; vt propter libellum famoſum

aliquis vltimo ſupplicio afficeretur ſed ſemper viderit imponi pœnam extra ordinariã, puta fuſtigationis, ictum funis, & ad extremũ pœnam triremiũ. *Dubium occurrit. An is qui pandit famoſum libellum etiam pœnam in d. L. vnic. incurrat, ſi auctorem indicet?* Salycet. in d. L. reſpondet, quod vterq; puniatur, auctor qui compoſuit, & publicans. Sicut vtens ſcienter inſtrumento falſo punitur, licet conſtet de auctore. L. Si falſas. C. de falſ. Quod diligenter notandũ aſſerit Ioan. Schneidevvin. Inſtit. de iniur. § de iniuria. nũ 5. cõtra conuentũ actione iniuriarũ pro qualibet iniuria verbali, quia non iuuatur etiã ſi dicat ſe ex alio audiuiſſe & auctorẽ indicet.

Quinta Concluſio. *Si quis librum famoſum tantummodo repererit, non tamen publicauerit, ſed in loco vbi inuenit, reliquit, vel in ſecreto retinuit, nullam pœnam meretur.* Hanc tenet Menoch. in d. caſ. 263. numero 39 & 40. contra Antonium Gomez. in tract. de delictis cap. 6. numero 1. qui exiſtimat talem puniri iudicis arbitrio. Concluſio dicitur ex d. L. vnic. vbi text. copulatiuè requirit, quod libellum repererit, & publicauerit, ita quod vbi ceſſat publicatio, ceſſet pœna, quemadmodum ſentiunt ibidem Bald. in ſummario, & Salycet. in fine, & Bonifac. Vital. in tract. malefic. in tit. de famoſis libellis & alij alibi. Ratio etiam eſt in promptu. Inuenire libellum nihil nocet infamato, ſed publicare maxima afficit ignominia, & famam lædit contra charitatem & iuſtitiam.

Cum

Cum publicatio ad effectum perducat delictum. Eandem rationem Menoch. cenſet, prout etiam conſuluit ſuper facto contingente in ciuitate Mantua Anno 1570. menſe Auguſto quando aliquis non compoſuit, nec inuenit libellum famoſum, ſed ab altero curioſitate quadam accepit, vt exemplum inde ſumeret, & apud ſe haberet. Ratio quia talis non eſt auctor libri, nec etiam publicauit, quia cum è manu alterius eum acceperit, apparet iam publicatum fuiſſe, vnde nullius pœnæ reus eſt, qui in caſu propoſito librum ab alio accepit.

Sexta Concluſio. *Quando ciuiliter agitur contra infamantem per libellum & ſcripta, ſi diffamator condemnetur, efficitur inteſtabilis.* Per text. in L. Lex Cornelia. §. Si quis librum. & DD. ibidem. & L. ob carmen. ff. de teſtibus, non poteſt etiam eſſe teſtis.

Septima Concluſio. *De iure canonico, qui aliquem per famoſum libellum, aut ſcripta diffamauerit, aut librum talem inuentum non ruperit, ſed publicauerit, flagellandus & excommunicandus eſt.* 5. q. 1. cap. Hi qui. & cap. qui in alterius. Qui in alterius, ait Adrianus Papa famam publicè ſcripturam, vel verba contumelioſè confinxerit, & cæt. flagelletur. Et qui eum prius inuenerit, rumpat, ſi non vult auctoris facti, cauſam incurrere. Archid. Gemin. & Ioan. à Turrecre. in d. q. 1. Angel. & Sylueſt. & S. An-

& S. Anton. loc. cit. & communiter DD: Et hoc obſeruandum, quod hæ pœnæ locum ſolum habent de primo inuentore, qui prius inuenerit, & non ruperit. Vnde qui librum iam inuentum, & ſemel publicatum repererit, & alijs oſtenderit, aut etiam conſeruauerit, non cadit in pœnas ſuperius nominatas. Quandoquidem autem hoc tempore hominum audacia creſcit, & temeritas omnia tentat, libris famoſis, & ſcriptis iniurioſis, non raro grauium proborum & magnorum virorum fama dilaceratur, paſsimque libri in lucem eduntur cum multorum ignominia & ſcandalo; Eo quod magiſtratus in quibuſdam locis dormire & diſsimulatione conniuere videatur, nec inquiratur contra auctores, nec pœna decernatur.

CAPITVLVM SECVNDVM.

Si quis aperuerit ciſternam & foderit, & non operuerit eam: cecideritq́ bos, vel aſinus in eam: dominus ciſternæ reddet precium iumentorum: quod autem mortuum eſt, ipſius erit. Exod. 21.

IN PRIMIS notandum circa hunc textũ pro ſenſu myſtico ex Egidio Romano, Dionyſio Carthuſiano, & alijs in Exod. 21. Cardin. Anthonio de Butrio,

trio, Ioann. Andr. & Petro Ancharano in præſenti capitulo, hunc textum facere contra prædicatores qui populo proponunt dubia ſcripturarum, & deinde inſoluta relinquunt: qua occaſione accepta imperiti periclitantur, & ſæpè in foueā erroris & perditionis cadunt. Et tunc rationem reddere tenetur prædicator, qui ſua culpa, & inconſideratione cauſa fuit ſubuerſionis & perditionis aliorum. Ciſterna igitur ſignificat profundam diuinam ſcripturam, quæ aperitur, quando populo proponitur, & non operitur, quando pro captu audientium non explicatur, tunc bos, vel aſinus, id eſt rudis, carnalis, & incapax facile in errorem cadit, & ſubmergitur, dominus ciſternæ eſt prædicator cui ex munere ſuo & vocatione incumbit ciſternam diuinæ ſcripturæ cum prudentiæ ſale aperire & operire.

Deinde hinc ſumitur etiam argumentum quod iniuſtè ſua culpa dans cauſam damni, damnum dediſſe dicitur, & tenetur ad emendationem. Præterea colligitur ex hoc capite quod ſi quis cauſam animalis interfecti aut mortui dedit, ſi precium pro animali iuſtum ſoluit, ipſum animal interfectum ad ipſum pertinet. Poſtremo DD. hic annotant cum Gloſſ. quod ſi quis fecit foueam in loco publico & aliquod animal cadit in eam, is qui foueam fecit tenetur ad æſtimationem. Secus ſi fecit in loco priuato, & pro hac reſponſione eſt textus in L. Qui foueas. ff. ad legem Aquil.

vbi

vbi Paulus iuriſconſultus ait: Qui foueas vrſorum ceruorumque capiendorum cauſa faciunt: ſi in itineribus fecerint: in eoque aliquid deciderit: factumque deterius eſt: lege Aquilia obligati ſunt. At ſi in alijs locis vbi fieri ſolent, fecerint, nihil tenentur.

CAPVT TERTIVM.

Si bos alienus cornupeta fuerit ab heri, & nudius tertius: & non cuſtodiuit eum dominus ſuus, reddet bouem pro boue, & cadauer integrum accipiet. Exod. 21.

QVOD de boue hic dicitur intelligendum quoq; de alijs animalibus, quæ in cuſtodia & poſſeſsione alicuius ſunt: Quia ſimilium ſimilis eſt ratio. Bos dicitur cornupeta ab heri & nudius tertius, quando tanto tempore ſolita eſt cornibus impetere animalia; quod dominus diligens poteſt præſumere ſuam bouem alijs periculum & damnum illaturam, præſumitur autem intra tres dies, dominus ſcire per hunc text. ſecundum DD. Etſi etiam tantum exprimatur læſio per cornua, tamen idem iudicium eſt de quacunque læſione ſimili, quæ contingere quoque valet mordendo, calcando, aut calcibus impetendo. Quando dicitur (ſi bos cornupeta ab heri & nudius tertius

fuerit)

fuerit) ſatis intelligitur, dominum non teneri in aliquo, quando animal præter communem ſuam naturam, aliquod damnum dedit, ita quod dominus animalis, nec ſcire, nec præcauere potuit, arg. L. 1. §. Sed etſi inſtigatu alterius. ff. Si quadrupes pauperiem feciſſe. Si autem beſtia ab alio fuiſſet concitata ad inferendum damnum alicuius animali, tunc qui incitauit tenetur ad emendationem, per d. §. Sed etſi inſtigatu. Tenetur autem dominus iuxta præſens cap. de damno dato, à ſua beſtia: quia cùm beſtia ſit ſine ratione, domino imputatur, qui beſtiam regere & cuſtodire negligit.

QVAESTIO VNICA.

Quando quis teneatur de damno dato, ſeu pauperiè illata, per ſuum animal, alteri beſtiæ, vel etiam homini?

ANTEQVAM ad reſolutionem plenam quæſtionis accedamus, aduertendum pauperiem eſſe damnum, quod accidit ſine iniuria facientis; vtpote cum animal irrationale animo nocendi, iniuriandique carens, damnum infert. L. 1. §. Ait prætor. ff. Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur. Actio de pauperie in foro, cum perſonalis ſit, competit aduerſus dominum animalis, à quo pauperies,

pauperies, ſiue damnum datum eſt, & ad duplicem effectum diſiunctiuè, aut vt damnum illatum reſarciat; aut animal quod nocumentum intulit, in noxam dedat. De hac materia Specul. in tit. de iniurijs & damno dato. 2. par. Hoſtien. in ſumma in tit. de pauperie DD. iuris inſtit. Si quadrupes pauper. fec. dicatur & ff. eod.

Prima Concluſio. *Qui nutrit*
ſuæ bouem cornupetam, aut aliam beſtia
præter naturam genitalem & inſitam, &
genter eam cuſtodit: ſi alterius beſtiam
tur in æquiualenti ſatisfacere. DD. c
in hoc cap. & cap. fin. infra. Hoſt
ma in tit. de pauperie. Speculator
tit. & apertè probatur ex hoc cap
hoc tamen caſu animal occiſum, ſp
cidentem: cum domino occiſi ſit
per compẽſationem æquiualenter
qua deducuntur. *Primum:* Quod ve
domini alentes canes, qui in cam
rant oues, porcos, aut alia animali
ruſticorum, peccant & tenentur ac
nem & compenſationem damnor
docet Nauarr. in manuali confeſſariorum cap. 17. numero 125. Eſt enim præter naturalem & inſitam naturam canum, quod fungantur officio luporum, quare ſi canes occidant oues, dominus tenetur. *Secundum* ſi dominus probabiliter ignorauit animal ſuum eſſe ferox præter naturam ſui generis, vtpote quia ſole-

bat eſſe

bat eſſe manſuetum, non tenetur ex edicto legis Aquil. ſed l. 1. ff. Si quadrupes pauper. feciſſ. dicatur, id eſt, non tenetur in ſolidum, ad damni compenſationem, ſed in ſua libertate erit, vel damnum compenſare, vel dare animal, quod damnum dedit, vt poſt Hoſtien. in ſuma & Godfred. docet Syluest. in ſumma verb. Reſtitutio 3. q. 4. & alij alibi. Quia quando ſine culpa hominis, animal damnum dedit, actio legis Aquil. locum non habet, ſed de pauperie.

Secunda Concluſio. *Si bos cornupetà, aut equus præter naturam ferox, alteram vicini bouem, aut vicini equum inuaſerit, & bos inuaſa, aut equus, offendentem equum occiderit, dominus occidentis ad nihil tenetur.* Gloſſ. & DD. in hoc cap. Hoſtien. & Syluest. loco cit. Pro hac concluſione eſt L. 1. §. Cum arietes. Bald. Alberic. & alij ibidem. ff. Si quadrup. pauper. Ratio redditur, quia inuaſus equus, aut etiam bos laceſſita ab aggrediente & laceſſente, iure naturali potuit ſe defendere, & ita occidere aggreſſorem. Defenſio eſt iuris naturalis. Nec in beſtiam, quæ rationis expers eſt, cadit moderamen inculpatæ tutelæ, quemadmodum in hominé ſe defendentem, qui cum ſit animal ratione præditum modum in defenſione, & medium ſecundum rectam rationem ſeruare debet: Vnde ſi excedat non eſt liber à culpa, & pœna culpæ correſpondenti, vt ſupra latius ſuper cap. 1. oſtendimus.

diffamaſſet, ita vt niſi mendacium retractaret, eadem proſapia perpetua illa labe maneret infecta; in quo caſu ſi non poſſet ſine periculo vitæ reſtituere, nihilominus teneretur. Hoc tamen durum & nouum videtur Nauarro in d. cap. 17. num. 91. Sed non eſt prætereundum, quod quando iniuſta alicuius infamatio, ſiue per verba, ſiue per famoſum libellum, aut ſcripta, eſſet cauſa quod alius iniuſtè vitam perderet niſi ei fama reſtitueretur quæ iniuſtè ablata eſt, tunc teneretur cum periculo propriæ vitæ alterum ab iniuſta morte liberare. Adrian. in 4. in q. de reſtit. famæ. Sotus. Medina & Petrus à Nauarra vbi ſupra; Ioſeph. Angles in floribus Theolo. qq. in 4. in 2. part. in q. de reſtit. famæ, art. 1. concluſ. 3. & alij alibi. In hoc enim caſu melior eſt pars innocentis, & ideo cum æquali periculo eſt liberandus, ab eo qui iniuſtè & malè cauſam periculi mortis dedit.

Tertia Concluſio. *Sub hoc famoſi libelli, & iniuria ſcriptæ genere plures ſpecies comprahenduntur.* Hæc concluſio non tam probatione quam declaratione indiget. In primis obſeruandum iuxta Angel. & Sylueſtr. in verb. libellus famoſus, nomine libelli famoſi intelligi cōpoſitionem in ſcriptis factam, in infamiam alicuius, eius quod probare non vult, & in publico iactatam. Intelligūtur itaq; nomine famoſi libelli, & ſcriptæ iniuriæ, liber qui conſcriptus eſt in infamiam aut ignominiam alicuius, ſiue

literæ

literæ & chartæ ſcriptæ in infamiam alicuius ſparſæ in publicum, rythmi, & comædiolæ, aut actiunculæ publicæ infamatoriæ, vel affixæ ad ianuam, aut locum publicum, paſquilli, cantiones literis commiſſæ, ad pudorem, infamiam verecundiam alicuius conceptæ. Si autem non eſſent literis traditæ, non arbitror inter ſcripta ſed dicta famoſa referri. His addere placet carmina & epigrammata, nec non etiam picturam publicam, aut ſigna denotantia vitia quæ tendunt in dedecus & infamiam. Vt ſi quis depingeret cornua in porta alicuius quibus ſignificaretur aliquem cornutum prout conſuluit Bertachin. & ipſe ſe conſuluiſſe fatetur in repertorio in verb. Actio iniuriarum per legem. Conſtitutionibus. ff. de iniurijs, & ſentiunt Angel. in verb. Iniuria. ante num. 1. & Sylueſt. ibidem, num. 2. Hæc colliguntur ex L. Item apud Labeonem. §. Generaliter. & §. Hæc autem ferè ſunt. ff. eod. tit. & DD. ibidem. & ex L. Lex Cornelia. §. penult. & fin. nec non ex practicis & DD. in locis allegat. Porro ex d. L. Lex Cornelia in d. §. penult. & fin. videtur colligi quantum ad propoſitum, eſſe differentiam, diſtinctionemq; aliquam ſi ſtricte conſiderare velimus, inter famoſum libellum, & iniuriam ſcriptam. Grauius enim crimen arguit famoſus libellus, quam iniuria ſcripta vt ſubindicat VVeſenbec. in annotat. ad Ioan. Schneidevvinum. Inſtit. eod. tit. §. Iniuria. num. 1. ac etiam probat ex iure Saxo-

nico in conſtitut. conſtitutione 44. part. vlt. & 42. & ita maior eſt pœna libelli famoſi quã iniuriæ verbalis prout plenius infra patebit.

Quarta Concluſio. *Auctor famoſi libelli in ignominiam, & infamiam alicuius compoſiti & diuulgati in publicum, punitur pœna capitis de iure ciuili.* L. vnica, C. de famoſis libellis, quando actio criminaliter intentatur, & cõmunis ſententia DD. ibidem. Bonifac. à Vitell. in tract. malefic. lib. 2. in cap. de famoſis libel. Damhauder. in rerum criminaliũ praxi, cap. 125. num. 2. Petrus Placa. lib. 1. delictorum, cap. 3. Iul. Clar. lib. 5. §. fin. practic. crimin. q. 68. num. 25. Menoch. latè lib. 2. de arbitrar. iudic. qq. caſ. 263. num. 35. Angel. Syiueſt. S. Antonin. & alij locis cit. ſic communiter ſentiunt, & textus eſt clarus in d. L. vnica: vbi ſic legitur. Si quis famoſum libellũ ſiue domi, ſiue in publico, ſiue quocunq; loco ignarus reperit, aut corrumpat priuſquã alter inueniat, aut nulli cõfiteatur inuentum; Si vero non ſtatim eaſdem chartulas corruperit, vel igne conſumpſerit, ſed vim earum doloſe manifeſtauerit, ſciat ſe quaſi auctorem huiuſmodi delicti capitali ſententiæ ſubiugandum. Huiuſmodi autem libellus alterius opinionem non lædat. Ex his verbis L. etiam manifeſtiſſimum eſt non ſolum auctorem ſed etiam inuentorem talis libri, ſi non ſuppreſſerit & corruperit, ſed contenta in illo in hominum notitiam deduxerit dolo & intentione infamandi teneri hac pœna, vt communiter

omnes

omnes ſentiunt. Pro clariori huius legis intelligentia in primis mente tenendum, hanc legẽ obtinere, quando crimen in famoſo libello, & ſcripto obiectum, & in publicum productum, eſt tale, pro quo de iure, conſuetudine, aut ſtatuto pœna capitalis imponitur. Gloſſ. & Salycet. in d. L. vnic. eod. Gloſſ. in cap. Hi qui. 5. q. 1. Ioan. à Platea. Inſtit. de iniur. §. iniuria. Damhauder. Petrus Placa, & Menoch. in fine vbi ſupra, & alij alibi. Hinc melius intelligitur in aliquo caſu eſſe diſtinctionẽ, vt antea ſignificatum, inter famoſum libellum & iniuriam ſcriptam. Etenim ſi quis carmine, aut cantione, aut ſcripto in alicuius contumeliam diuulgaret eum ſtolidum, aut ſpurium, iniuria eſſet ſcripta, per §. fin. in d L. Lex Cornelia, & §. Generaliter. & ſeq. L. Item apud Labeonem. Non tamen talis puniretur pœna d. L. vnic. de famoſis libellis, ſed pro iudicis diſcretione. Eadem eſt ratio, quando quis propalaret quodcunq; ſcriptũ, aut ederet, in quo aliquis notaretur de re, aut vitio non capitali, talis tamen etſi capitis non damnaretur puniretur tamen iudicis arbitrio pro qualitate & quantitate circumſtantiarũ. Vt Petrus Placa & Menoch. poſt Angel. Hoſtien. & Azon. ſentiunt per d. §. fin. dũ volunt eũ iudicis arbitrio puniri, qui cantilenas diffamatorias cõtra aliquem canit. Et id apertius alijs rectè atteſtatur Damhauder. in d. cap. nũ. 6. dum ita ſubiungit. In ijs porro literis quę nihil habẽt capitale

ſcriptor & dictator & euulgator, puniēdus eſt de iniuria, compenſatione famæ ad tantam ſummam quantam diffamatus iurabit ſe cum nominis integri laceratione cōmutare nolle, deinde reparatione famæ, cum contraria diuulgatione hoc modo, vt qui prius diffamatione alterius læſerat nomen, nunc cōtra eiuſdem nomen laudibus efferat, prædicet & cōmendet,& per alios libellos cōtrarios ſua conficta teſtetur mendacia, vel offenſi teſtetur innocentiam.Sic ille auctor.Quæ vera ſunt quādo ciuiliter agitur. Deinde cōcluſio procedit, ſiue quis proprio nomine, vel alterius inſtinctu & conſilio inſcripſerit, aut ediderit. §. Si quis librum. in d. L.Lex Cornel. Ampliatur adhuc habere locum. d. L. vnic. ſiue nomen diffamati exprimatur, ſiue non, ſiue fictis nominibus diffamationem peregerit, ſiue veris, modo per ea ficta nomina perſona diffamata innoteſcere & lædi poſsit, vt Damhauder.loquitur. Poſtremo concluſio etiam locum habet, quando quis aliquem de vero crimine famoſo libello notat, & famam eius lædit,extra iudicium nulla iuſta cauſa motus vtpote non expedit reipub.cognoſcere, vt rectè intelligūt Raphael Fulgoſ. in d. L. vnic. Petrus Placa.Epitomes delictor. lib. 1. cap. 1. Didac. Couarr. lib. 1. variar. reſolutionū,cap. 11. num. 7. verſ. ſecundo,eadem ratione deducitur intellectus ad L. 1. C. de famoſ. libel. & Menoch. vbi ſupra, num. fin. quicquid Angel. & Syueſt. loc. cit.cum

cit. cum alijs in cõtrarium docuiſſe videãtur. Ad maiorem enim reipub. vtilitatem & ſplẽdorem pertinet viros criminum & pœnæ reos, ad iudicem deferre, quam extra iudicium libellis & ſcriptis in maximam omnium perniciem & multorum ſcandalum, publicè infamari. Verum tamen eſt, quod nonnunquã receditur ab hac pœna ordinaria iuris in auctore libelli famoſi aut ſcripti. Sic Angel. in d. L. vnic. de quodam qui poſuerat ſcripturam infamatoriam ſuper altari Palatij priorum nõ deſcripto nomine alicuius, refert quod licet debuiſſet decapitari, tamẽ indulta ſibi fuit pœna capitis, & conuerſa fuit in pœnam duorum mille ducatorum. Huius caſus etiam meminit idem Angel. in d. L. Lex Cornelia. §. Si quis librum. Iulius Clarus lib. 5. §. fin. pract. crimin. q. 68. num. 25. allegat Parid. de put. de Synd. fol. 273. num. 6. dicentem quod illi qui ad infamiam poteſtatis pingunt membra pudenda virilia, vel muliebria ſuper ianua cameræ, vel porta palatij, ſint maxima pœna digni, ſubdens quod in facti cõtingentia conſuluit, ꝙ quidã qui pinxerat quandã honeſtam mulierẽ eius amaſiam (quæ ſibi conſentire nolebat) nudam cum certo vituperio, & illam picturam ad eius ignominiam affixerat in locis publicis, quod eſſet ad triremes tranſmittendus, quia talis pictura eſſet libellus infamatorius. Iulius Clarus atteſtatur, ſe nunquam vidiſſe ſeruari; vt propter libellum famoſum

aliquis vltimo ſupplicio afficeretur ſed ſemper viderit imponi pœnam extra ordinariã, puta fuſtigationis, ictum funis, & ad extremũ pœnam triremiũ. *Dubium occurrit. An is qui pandit famoſum libellum etiam pœnam in d. L. vnic. incurrat, ſi auctorem indicet?* Salycet. in d. L. reſpondet, quod vterq; puniatur, auctor qui compoſuit, & publicans. Sicut vtens ſcienter inſtrumento falſo punitur, licet conſtet de auctore. L. Si falſas. C. de falſ. Quod diligenter notandũ aſſerit Ioan. Schneidevvin. Inſtit. de iniur. § de iniuria. nũ 5. cõtra conuentũ actione iniuriarũ pro qualibet iniuria verbali, quia non iudatur etiã ſi dicat ſe ex alio audiuiſſe & auctorẽ indicet.

Quinta Concluſio. *Si quis librum famoſum tantummodo repererit, non tamen publicauerit, ſed in loco vbi inuenit, reliquit, vel in ſecreto retinuit, nullam pœnam meretur.* Hanc tenet Menoch. in d. caſ. 263. numero 39 & 40. contra Antonium Gomez. in tract. de delictis cap. 6. numero 1. qui exiſtimat talem puniri iudicis arbitrio. Concluſio dicitur ex d. L. vnic. vbi text. copulatiuè requirit, quod libellum repererit, & publicauerit, ita quod vbi ceſſat publicatio, ceſſet pœna, quemadmodum ſentiunt ibidem Bald. in ſummario, & Salycet. in fine, & Bonifac. Vital. in tract. malefic. in tit. de famoſis libellis & alij alibi. Ratio etiam eſt in promptu. Inuenire libellum nihil nocet infamato, ſed publicare maxima afficit ignominia, & famam lædit contra charitatem & iuſtitiam.

Cum

Cum publicatio ad effectum perducat delictum. Eandem rationem Menoch. cenſet, prout etiam conſuluit ſuper facto contingente in ciuitate Mantua Anno 1570. menſe Auguſto quando aliquis non compoſuit, nec inuenit libellum famoſum, ſed ab altero curioſitate quadam accepit, vt exemplum inde ſumeret, & apud ſe haberet. Ratio quia talis non eſt auctor libri, nec etiam publicauit, quia cum è manu alterius eum acceperit, apparet iam publicatum fuiſſe, vnde nullius pœnæ reus eſt, qui in caſu propoſito librum ab alio accepit.

Sexta Concluſio. *Quando ciuiliter agitur contra infamantem per libellum & ſcripta, ſi diffamator condemnetur, efficitur inteſtabilis.* Per text. in L. Lex Cornelia. §. Si quis librum. & DD. ibidem. & L. ob carmen. ff. de teſtibus, non poteſt etiam eſſe teſtis.

Septima Concluſio. *De iure canonico, qui aliquem per famoſum libellum, aut ſcripta diffamauerit, aut librum talem inuentum non ruperit, ſed publicauerit, flagellandus & excommunicandus eſt.* 5. q. 1. cap. Hi qui. & cap. qui in alterius. Qui in alterius, ait Adrianus Papa famam publicè ſcripturam, vel verba contumelioſè confinxerit, & cæt. flagelletur. Et qui eum prius inuenerit, rumpat, ſi non vult auctoris facti, cauſam incurrere. Archid. Gemin. & Ioan, à Turrecre. in d. q. 1. Angel. & Syluest. & S. An-

& S. Anton. loc. cit. & communiter DD: Et hoc obſeruandum, quod hæ pœnæ locum ſolum habent de primo inuentore, qui prius inuenerit, & non ruperit. Vnde qui librum iam inuentum, & ſemel publicatum repererit, & alijs oſtenderit, aut etiam conſeruauerit, non cadit in pœnas ſuperius nominatas. Quandoquidem autem hoc tempore hominum audacia creſcit, & temeritas omnia tentat, libris famoſis, & ſcriptis iniurioſis, non raro grauium proborum & magnorum virorum fama dilaceratur, paſsimque libri in lucem eduntur cum multorum ignominia & ſcandalo; Eo quod magiſtratus in quibuſdam locis dormire & diſsimulatione conniuere videatur, nec inquiratur contra auctores, nec pœna decernatur.

CAPITVLVM SECVNDVM.

Si quis aperuerit ciſternam & foderit, & non operuerit eam: cecideritq́ bos, vel aſinus in eam: dominus ciſternæ reddet precium iumentorum: quod autem mortuum eſt, ipſius erit. Exod. 21.

IN PRIMIS notandum circa hunc textũ pro ſenſu myſtico ex Egidio Romano, Dionyſio Carthuſiano, & alijs in Exod. 21. Cardin. Anthonio de Butrio,

trio, Ioann. Andr. & Petro Ancharano in præſenti capitulo, hunc textum facere contra prædicatores qui populo proponunt dubia ſcripturarum, & deinde inſoluta relinquunt: qua occaſione accepta imperiti periclitantur, & ſæpè in foueã erroris & perditionis cadunt. Et tunc rationem reddere tenetur prædicator, qui ſua culpa, & inconſideratione cauſa fuit ſubuerſionis & perditionis aliorum. Ciſterna igitur ſignificat profundam diuinam ſcripturam, quæ aperitur, quando populo proponitur, & non operitur, quando pro captu audientium non explicatur, tunc bos, vel aſinus; id eſt rudis, carnalis, & incapax facile in errorem cadit, & ſubmergitur, dominus ciſternæ eſt prædicator cui ex munere ſuo & vocatione incumbit ciſternam diuinæ ſcripturæ cum prudentiæ ſale aperire & operire.

Deinde hinc ſumitur etiam argumentum quod iniuſtè ſua culpa dans cauſam damni, damnum dediſſe dicitur, & tenetur ad emendationem. Præterea colligitur ex hoc capite quod ſi quis cauſam animalis interfecti aut mortui dedit, ſi precium pro animali iuſtum ſoluit, ipſum animal interfectum ad ipſum pertinet. Poſtremo DD. hic annotant cum Gloſſ. quod ſi quis fecit foueam in loco publico & aliquod animal cadit in eam, is qui foueam fecit tenetur ad æſtimationem. Secus ſi fecit in loco priuato, & pro hac reſponſione eſt textus in L. Qui foueas. ff. ad legem Aquil.

vbi

vbi Paulus iuriſconſultus ait: Qui foueas vr̃ſorum ceruorumq́ue capiendorum cauſa faciunt: ſi in itineribus fecerint: in eoq́ue aliquid deciderit: factumque deterius eſt: lege Aquilia obligati ſunt. At ſi in alijs locis vbi fieri ſolent, fecerint, nihil tenentur.

CAPVT TERTIVM.

Si bos alienus cornupeta fuerit ab heri, & nudius tertius: & non cuſtodiuit eum dominus ſuus, reddet bouem pro boue, & cadauer integrum accipiet. Exod. 21.

QVod de boue hic dicitur intelligendum quoq; de alijs animalibus, quæ in cuſtodia & poſſeſsione alicuius ſunt: Quia ſimilium ſimilis eſt ratio. Bos dicitur cornupeta ab heri & nudius tertius, quando tanto tempore ſolita eſt cornibus impetere animalia; quod dominus diligens poteſt præſumere ſuam bouem alijs periculum & damnum illaturam, præſumitur autem intra tres dies, dominus ſcire per hunc text. ſecundum DD. Etſi etiam tantum exprimatur læſio per cornua, tamen idem iudicium eſt de quacunque læſione ſimili, quæ contingere quoque valet mordendo, calcando, aut calcibus impetendo. Quando dicitur (ſi bos cornupeta ab heri & nudius tertius

fuerit)

fuerit) ſatis intelligitur, dominum non teneri in aliquo, quando animal præter communem ſuam naturam, aliquod damnum dedit, ita quod dominus animalis, nec ſcire, nec præcauere potuit, arg. L. 1. §. Sed etſi inſtigatu alterius. ff. Si quadrupes pauperiem feciſſe. Si autem beſtia ab alio fuiſſet concitata ad inferendum damnum alicuius animali, tunc qui incitauit tenetur ad emendationem, per d. §. Sed etſi inſtigatu. Tenetur autem dominus iuxta præſens cap. de damno dato, à ſua beſtia: quia cum beſtia ſit ſine ratione, domino imputatur, qui beſtiam regere & cuſtodire negligit.

QVAESTIO VNICA.

Quando quis teneatur de damno dato, ſeu pauperiè illata, per ſuum animal, alteri beſtiæ, vel etiam homini?

ANTEQVAM ad reſolutionem plenam quæſtionis accedamus, aduertendum pauperiem eſſe damnum, quod accidit ſine iniuria facientis; vtpote cum animal irrationale animo nocendi, iniuriandique carens, damnum infert. L. 1. §. Ait prætor. ff. Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur. Actio de pauperie in foro, cum perſonalis ſit, competit aduerſus dominum animalis, à quo

pauperies,

pauperies, ſiue damnum datum eſt, & ad duplicem effectum diſiunctiuè, aut vt damnum illatum reſarciat; aut animal quod nocumentum intulit, in noxam dedat. De hac materia Specul. in tit. de iniurijs & damno dato. 2. par. Hoſtien. in ſumma in tit. de pauperie DD. iuris inſtit. Si quadrupes pauper. fec. dicatur & ff. eod.

Prima Concluſio. *Qui nutrit, aut alit domi ſuæ bouem cornupetam, aut aliam beſtiam periculoſam, præter naturam genitalem & inſitam, & non ſatis diligenter eam cuſtodit: ſi alterius beſtiam occiderit, tenetur in æquiualenti ſatisfacere.* DD. communiter in hoc cap. & cap. fin. infra. Hoſtien. in ſumma in tit. de pauperie. Speculator in præſenti tit. & apertè probatur ex hoc cap. & fin. In hoc tamen caſu animal occiſum, ſpectat ad occidentem: cum domino occiſi ſit ſatisfactum per compēſationem æquiualentem. Hinc aliqua deducuntur. *Primum:* Quod venatores aut domini alentes canes, qui in campis dilacerant oues, porcos, aut alia animalia domeſtica ruſticorum, peccant & tenentur ad reſtitutionem & compenſationem damnorum, vt rectè docet Nauarr. in manuali confeſſariorum cap. 17. numero 125. Eſt enim præter naturalem & inſitam naturam canum, quod fungantur officio luporum, quare ſi canes occidant oues, dominus tenetur. *Secundum* ſi dominus probabiliter ignorauit animal ſuum eſſe ferox præter naturam ſui generis, vtpote quia ſolebat eſſe

bat eſſe manſuetum, non tenetur ex edicto legis Aquil. ſed l. 1. ff. Si quadrupes pauper. fecisſ. dicatur, id eſt, non tenetur in ſolidum, ad damni compenſationem, ſed in ſua libertate erit, vel damnum compenſare, vel dare animal, quod damnum dedit, vt poſt Hoſtien. in ſuma &. Godfred. docet Sylueſt. in ſumma verb. Reſtitutio 3. q. 4. & alij alibi. Quia quando ſine culpa hominis, animal damnum dedit, actio legis Aquil. locum non habet, ſed de pauperie.

Secunda Concluſio. *Si bos cornupetá, aut equus præter naturam ferox, alteram vicini bouem, aut vicini equum inuaſerit, & bos inuaſa, aut equus, offendentem equum occiderit, dominus occidentis ad nihil tenetur.* Gloſſ. & DD. in hoc cap. Hoſtien. & Syl. ueſt. loco cit. Pro hac concluſione eſt L. 1. §. Cum arietes. Bald. Alberic. & alij ibidem. ff. Si quadrup. pauper. Ratio redditur, quia inuaſus equus, aut etiam bos laceſsita áb aggrediente & laceſſente, iure naturali potuit ſe defendere, & ita occidere aggreſſorem. Defenſio eſt iuris naturalis. Nec in beſtiam, quæ rationis expers eſt, cadit moderamen inculpatæ tutelæ, quemadmodum in homine ſe defendentem, qui cum ſit animal ratione præditum modum in defenſione, & medium ſecundum rectam rationem ſeruare debet: Vnde ſi excedat non eſt liber à culpa, & pæna culpæ correſpondenti, vt ſupra latius ſuper cap. 1. oſtendimus.

R Tertia

TertiaConcluſio. *Quando eſt dubium, aut neſcitur cuius animal alterum inuaſerit, & vnum eorum occidatur, tunc neuter dominorum tenetur ad compenſationem.* Gloſſa in hoc cap. & poſt eam Ioannes Andreas, Hoſtien. Panormit. Cardinalis. Anton. de Butrio, Ancharan. & alij. Speculator. & Syluester. loc. cit. Cum enim in hoc caſu non conſtet de aggreſsione certi animalis, vterque dominus abſoluitur. Referunt tamen aliqui DD. in hoc cap. aliorum eſſe opinionem, in dubio præſumi bouem viuentem & ſuperſtitem fuiſſe aggreſſorem, & inuadentem, tanquam fortiorem, cuius opinionis etiam fuiſſe videtur Bald. in d. §. Cum arietes, ſed hæc opinio communiter reprobatur, & noſtra concluſio recipitur.

Quarta Concluſio. *Si beſtia alicuius vicini, animal, aut animalia læſerit, aut mortem intulerit, ex alicuius inſtigatione ac incitatione, inſtigator reus eſt criminis, & tenetur ad recompenſationem omnium damnorum, indeſecutorum.* Hoſtienſis in ſumma de pauperie. Ioannes Andreas infra in cap. fin. Damhauder. in practica criminal. capit. 142. numero 2. & alij alibi. argum. in d. L. 1. §. Sed etſi inſtigatu. Ratio etiam in promptu eſt ex regula illa: Qui cauſam damni dat, damnum dediſſe dicitur. Vnde ſi quis canes venaticos in campum ad exercitium venationis eduxerit, ſi præter naturam eorum ſit animalia domeſtica inuadere, lædere, & di-

& dilacerare, ſed ab alio inſtigentur ad inuadendum gregem porcorum, aut ouium, quibus damnum inferunt, non dominus canum, ſed inſtigator ad damnorum reparationem tenetur. Eadem eſt ratio, ſi quis moloſſum incitet ad inſectandum bouem, quam in fugam conuertit, & in rupibus præcipitio elidit: tunc enim incitans tenetur. Nec ad hunc finem conſtituenda eſt differentia, an quadrupes corpore ſuo pauperiem vel damnum dederit, an per aliam rem: ſemper enim cauſam damni dans, tenetur.

Quinta Concluſio. *Si quis domi ſuæ alat feras, vtpote lupum, vrſum, leonem & ſimiles beſtias, quæ ex incuria & negligentia alijs damnum in pecoribus faciunt, aut etiam homines lædunt, tunc dominus, ſeu poſſeſſor tenetur ad reparationem damnorum, ad arbitrium & diſcretionem iudicis.* Inſtit. Si quadrupes pauper. feciſſe. §. Cæterum. arg. L. 1. §. In beſtijs. ff. eod. Hoſtienſis in ſumma tit. de pauperie. DD. in loc. cit. Damhauder. in rer. criminal. praxi, cap. 142. numero 9. & alij alibi. Nulli enim licet in alterius detrimentum, huiuſmodi feras tenere. Vnde ſi quis eas alat, tenetur omnem curam adhibere, ne quempiam lædant.

Sexta Concluſ. *Quando huiuſmodi feræ à dominis & poſſeſſoribus ſuis ita longè effugiunt, vt iam extra dominium domini elabantur, & quaſi pro derelictis habeantur, dominus non obligatur ad damnũ ſi quod inferãt.*

Ex d. §. Cæterum. & §. In beſtijs. & DD. in loco cit. Tum enim amplius ad dominum non pertinent, ſed ferocium beſtiarum cõditionẽ ſequuntur, & ſecundum ingenitam naturam agunt. Hæc tamen cõcluſio intelligenda, quãdo dominium talis ferę amiſſum eſt ſine dolo, tunc enim quondam dominus & poſſeſſor nõ tenetur: quia deſijt eſſe dominus. Alia ratio eſſet, ſi dominus dimitteret huiuſmodi ferox animal, vt exempli gratia, in aliquem locum vicinum fugeret, ac ouium gregem inuaderet, ac prædam ageret ad implendam voracitatẽ, qua ad impleta, ſolitum eſſet redire ad priorẽ dominum. Tum enim talis poſſeſſor in nullo releuatur. Fraus enim & dolus nemini debent patrocinari.

CAPITVLVM QVARTVM.

Si læſerit quiſpiam agrum, vel vineam: & dimiſerit iumentum ſuum, vt depaſcat aliena: pro damno æſtimationem reſtituat. Exod. 22.

CAPITVLVM hoc prohibet, ne quis per ſeipſum, aut per ſua animalia damnum agris, vineis, pratis, hortis, ſyluis, &c. alienis inferat. Itaq; obſeruandum illam coniunctionem (&) in cap. non copulatiuè ſed diſiunctiuè accipi. Hoc caput non

non ſolum habet locum in quadrupedibus, ſed etiam in alijs vt in gallinis, & auibus. L. penult. ff. Si quadrupes pauper. feciſſe. Huius cap. plena intelligentia capietur ex ſequentibus quæſtionibus.

QVAESTIO PRIMA.

An qui hortos, agros aut vineas aliorum ingrediuntur, vt inibi fructus, aut vuas accipiant, & depaſcant, teneantur ad damni reparationem?

PRIMA CONCLVSIO. *Qui alterius agrum, pratum aut vineam ingreditur, & damnum infert in frumentu, fructibus, aut vuis, regulariter tenetur damni æſtimationẽ damnum paſſo reddere.* Hoſtien. Ioannes Andr. Panormit. Cardin. Anton. & alij in hoc loco. Dominic. Sotus de iuſtit. & iure lib. 4. q. 7. art. 3. Ioann. Medina in C. de rebus reſtituendis q. 10. Ioſeph. Angles in florib. Theolog. qq. in 4. part. 2. de reſtit. in q. Quis reſtituere teneatur. 7. diffic. dub. 4. Martin. Nauarr. in manuali. cap. 17. numero 130. Petrus Nauarrus lib. 3. de reſtit. cap. 1. num. 47. Didac. Couarr. in reg. Peccatum, part. 2. §. 12. nec eſt qui dubitet in hac concluſione, quæ ſatis probatur per hoc cap. Præterea, vt DD. hic arguunt, damnum dans per ſua animalia tenetur ad æſtimationem, &c.

& ſatis etiam illud Deuter. allegatum congruit modo non colligat, vt ſecum ferat, ſed ſtatim in vinea, aut in via commedat. De hac materia Plato libro octauo de legibus poſt medium pulchra ſcribit, quæ in gratiam lectoris libet ſubſcribere: Fructuum autem, ait, communis huiuſmodi participatio ſit, bina nobis gratiæ dona, hæc Dea largitur. Vnum Dionyſiacum: quod recondi non poteſt. Alterum vero quod repoſitioni aptum eſt. Hæc igitur lex de fructibus ſanciatur. Qui vuas, aut ficus de ruſticis fructibus ante vindemiæ tempus guſtauerit: quod arcturo concurrit, quinquaginta drachmis: ſi de ſuo agro collegerit, Dionyſio dedicandas perſoluat: Sin à vicinis acceperit, minam: Sin ab alijs, duas minæ partes. Vuas autem ficusque quos generoſos nominauimus: neque commodè recondi poſſunt, quomodo & quando velit, ſi ſua ſunt hæc colligat: Sin vero aliena, quoniam lex eſt, vt nemo moueat, quæ non depoſuit: qui accepit, niſi perſuaſerit, mulctetur. Quod ſi ſeruus quiſpiam, non perſuaſo agri domino, eas accepit, pro ſingulis ficubus vuarumq; acinis æqualia numero verbera patiatur. Inquilinus frctibus emptis ad repoſitionem ineptis, ſi cupit, veſcatur: peregrinus autem in ipſo itinere ſi tranſeat ſolus, aut cum vno tantummodo fructus non reponendos, ſi velit hoſpitali cum venia guſtet.

R 4 Alios

Alios autem guſtare quos ruſticos dicimus peregrinos quoque lex prohibeat. Sin vero repoſitioni aptos inſcius tetigerit, ſeruus quidem plectatur. Liber autem dimittatur, admonitus ficus, vuaſque ſolummodo ad repoſitionem ineptas, guſtare licere. Eas vero ex quibus vuæ paſſæ, & vinum & caricæ fiunt, minimè. Pira vero & mala, tum alia, tum punica, cæteraque huiuſmodi clam auferre, turpe non ſit. Si quis vero deprehenſus fuerit, pauciores annos quam triginta natus, ſine vulneribus verberetur, atque puniatur, nec pœna vlla propter huiuſmodi verbera libero ſit. Aduenæ quoque de his fructibus, perinde, ac de ijs quos ſuperius diximus, repoſitioni ineptos carpere liceat. Si ſenior quiſpiam comederit, nec aſportauerit, vt aduenæ, permiſſum eſt. Sic Plato. *Dubium incidit circa has cõcluſiones. An & quomodo peccatum committatur, quãdo multi vineã, vel hortũ ingrediuntur, & vuas vel fructus diripiunt, vnde notabile & magnũ damnũ tandem domino vineæ & horti exurgit.* Pro reſolutione huius dubij præmittendæ aliquæ diſtinctiones. Iſti qui damnum inferunt, aut concurrunt, vt alteri alter ſit cauſa, damnum illud inferẽdi, ſic nempe quod altero non eunte, alter etiam non iuiſſet. Aut alter alteri non eſt cauſa damnificandi, ſed etiam ſolus intuliſſet damnum. Præterea aut ſimul concurrunt, veluti ſub vno duce milites, aut ſucceſsiuè, & tunc ſi ſucceſsiuè aut vnus ſcit de damno alterius:

aut

autneſcit damnum ab alio, vel alijs illatum. Nunc ſit.

Tertia Concluſio. *Quando multi ſimul coadunati, inuadunt vineam, aut hortum ad diripiendum & damnum notabile inferendum, ita vt alter alteri ſit cauſa, nec ſine eo damnum illatum extitiſſet, omnes mortaliter peccant, & tenentur ad reſtitutionem damni illati in ſolidum.* Innocent. & hoſtien. in §. fin. cap. Sicut dignum de homicid. Gabriel. in 4. d. 15. q. 3. dub. 4. Sylueſt. in verb. Reſtitutio. 3. q. 6. Adrian. in 4. de reſtit. pag. 6. col. 2. §. Secundo dubitatur. Sint multi ſimul. Didac. Couarr. in reg. Peccatum. part. 2. §. 12. numero 4. Nauarr. in manuali confeſſariorum, cap. 17. numero 20. Ioann. Medina. in C. de rebus reſtituend. q. 8. & 10. in §. Occurrit hic caſus, & alibi. Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. cap. 1. numero 49. qui dicit in hoc caſu mortaliter peccare vnumquemque, & ad reſtitutionem teneri in ſolidum fatentur omnes quos viderim, & alij alibi. Pro hac concluſione eſt textus in L. Item Mela. §. Si plures. ff. ad leg. Aquil. Si plures, ait, trabem deiecerint, & hominem oppreſſerint: æquè veteribus placet omnes lege Aquilia teneri, & ibidem L. Ita vulneratus. §. fin. Vnum interim propoſuiſſe, inquit lex, contentus ero: cum plures trabem alienam furandi cauſa ſuſtulerint: quam ſinguli ferre non poſſent: furti actione omnes teneri exiſtimantur. Gloſſ. ibidem, Omnes in ſolidum tenentur, per optimum text. in L.

vulgaris. §. penult. ff. de furtis. Si duo pluresuè vnum lignum furati ſunt: quod & ſinguli tollere non potuerunt: dicendum eſt omnes eos furti in ſolidum teneri, quamuis id contrectare, nec tollere ſolus poſſet: & ita vtimur neque enim dici poteſt pro parte feciſſe furtum ſingulos: ſed totius rei vniuerſos, & ſic fiet ſingulos furti teneri. Ratio etiam huius concluſionis à DD. redditur: Quia vnuſquiſque in hoc caſu eſt cauſa ſeu concauſa totius damni illati, vnde etiam quilibet in ſolidum tenetur, ad recompenſationem damni.

Quarta Concluſio. *Quando plures ſimul concurrunt, ad inferendum damnum vineæ, agro, vel horto proximi, ita vt ſibi inuicem non ſint cauſa, ſed etiam vnus ſine altero damnum inferret, tunc omnes mortaliter delinquunt, ſed quiſq; tantum tenetur ad reſtitutionem, pro rata damni à ſe illati: ita vt ſi multum damni intulit, multum recompenſare: ſi parum, etiam parum damni reſarcire teneatur.* Ioan. Maior in 4. d. 15. q. 26. Ioann. Medina in d. q. 10. Nauarr. loc. cit. Couarr. lib. 1. variar. reſolut. cap. 3. num. 12. & alij plures ex ſuperioribus. Ratio eſt quoniã in quantũ quis cauſa damni eſt, in tantum ad reſtitutionem tenetur, ſi ergo cauſa fuit tantũ partis damni, à ſe dati, tantum etiam tenetur ad recompenſationem partis.

Quinta Concluſio. *Quando plures ſucceſsiuè vineam demoliunt, & vuas diripiunt, magnum & notabile damnum inferentes, ita tamen vt quiſque, tantum medicum & leue furtum committat, ſi vnus ſcit de dam-*

de damno per alium, vel alios dato, omnes peccant mortaliter, & vunuſquiſque tenetur ad recompenſationem damni, à ſe illati. Ioannes Maior in 4. d. 15. q. 25. & 26. Ioannes Medina in C. de rebus reſtituendis, q. 10. §. Occurrit hic caſus verſic. Ad primum caſum. Didac. Couarr. lib. 1. variar. reſolut. cap. 3. numero 12. Nauarr. in Enchrid. confeſſar. cap. 17. numero 130 & licet expreſsè non dicat, tamen colligitur ex eo, & in ſumma Hiſpanicè edita in eodem numero, expreſſe eam ſententiam tenet. Ioſeph. Angles in 4. ſent. part. 2. de Reſtitut. in q. quis teneatur reſtituere, difficult. ſeptima. Petrus à Nauarra, de reſtit. libro 3. capit. 1. num. 47. Ratio concluſionis eſt, Quia omnes iſti, ſcienter cooperantur ad læſionem proximi notabilem, & quilibet videns tam magnũ & notabile detrimentum ſecuturum, tenebatur abſtinere à diripendo: Et licet exiguitas, & leuitas rei furtum efficiat ueniale, id tamen verum eſt, quando inde non notabile damnum proximo infertur.

Sexta Concluſio. *Si multi ſingulatim & ſucceſsiuè vineam ingrediantur, nec vnus ſciat de damno alterius, & ſinguli modicum accipiant, vt vnum tantum, vel duos racemos, etiamſi ſic notabile damnum inferatur, ita vt pauca vuæ remaneant, nullus eorum peccat mortaliter, nec ſub mortali tenetur reſtituere.* Hanc docēt DD. allegati vt plurimũ. Ratio quia nullus eorum damnũ intulit notabile, nec cauſa fuit, vt inferretur, nec conſenſit in damnum

damnum notabile inferendum. Addit tamen Medina quod ſi poſtea notitia veritatis acceſſerit, id eſt, damni notabilis dati cognitió, tenebitur vnuſquiſque quantum accepit, in ſe, vel in æquiualenti reddere.

Septima Concluſio. *Si vnus idemq; ſucceſsiuè, & paulatim leuia damna inferret alicuius vineæ, aut horto, quæ damna per ſe conſiderata eſſent tantum venialia, ſi damna huiuſmodi toties multiplicaret, vt tandem magnum & notabile damnum proximo inferret, mortaliter peccaret, quam primum illud notabile attingeret, & teneretur ad reſtitutionem læſo.* Sic ſentiunt Maior. Ioan. Medina. Couarr. loc. cit. Petrus Nauarr. vbi ſupra, numero 51. Ratio quia talis ſcienter ſua actione damnum notabile infert proximo, licet id ſucceſsiuè, & per parua dãna, ac venialia continuet ad materiam & quantitatem mortalem. *Mouet Medin. in d. §. Occurrit, verſ. Sed pone, dubium. Sed pone, inquit, quod accipere viginti racemos, non ſit notabile damnum, accipere autem vnum & viginti ſit notabile damnum, quantum tenebitur reſtituere, ſi vnum & viginti acceperit? An ſatiſfaciat vnum in valore reſtituendo, cum alios viginti poſſet ſine mortali, ſi eos tantum accepiſſet, retinere.* Crederem reſpondet ille doctor, quod tunc teneatur omne ablatum reſtituere: Tum quia perinde eſt, ac ſi ſimul 21. acciperet, quod eſt notabile damnum ex hypotheſi. Nihil enim refert, paulatim, vel ſimul quenquam interimas, vel ſpolies, inquit, Hieronymus. Tum etiam, quia reſtitutio conſiſtit in æqualitate,

âc proinde tantum eſt ſpoliato reddendum, quantum fuit notabile damnum illatū. Hoc autem non erat vltimi racemi acceptio, ſed vltimi cum præcedentibus omnibus, & ita vltimus cum omnibus præcedentibus eſt reddendus in ſe vel in valore. Sic Medina. Eiuſdem ſententiæ eſt Antonius Corduben. in ſumma. q. 70. dub. 2. vt refert Petrus à Nauarra loco cit. numero 59. qui à dictorum auctorum ſententia recedit, motus vna, aut altera ratione. Primo, quia nullus tenetur pluſquam damnum notabile datum, proximo auferre, Sed ſoluendo vnum; penitus remouet damnum notabile. Quia ſoluto vno argenteo manent quatuor tantum, quæ non eſt iniuria notabilis. Non ergo ad plus tenetur. Secundo, ſolum peccauit mortaliter accipiendo illud quintum. Ergo reddendo illud; liberatur à peccato iniuſtæ acceptionis, atque ita iniuſtæ retentionis, Quia non aliter iniuſtè retinet, quam iniuſtè accipiendo. Iniuſta enim acceptio eſt principium; & cauſa iniuſtæ retentionis. Alias adhuc rationes format Petrus à Nauarra; quæ ſatis probabilem hanc ſententiam reddunt, ſoluitque argumenta in contrarium. *Aliud dubium occurrit ſoluendum: Quid ſi aliquis tempore meſſis, aut vindemiæ diſcurrat de agro in agrum; aut de vinea in vineam, & de quolibet agro colligat duas, aut tres ſpicas, aut de ſingulis vineis, ad multos & varios dominos pertinentes, duos racemos, ita vt nulli domino damnum notabile & mortale in-*

tale inferat, ipſe tamen pro ſe ex omnibus notabilem quantitatem congreget, an talis peccet mortaliter, & teneatur ad reſtitutionem eis, à quibus ſic paulatim ſurripiendo accipiet? Vna eſt ſententia, quam adfert Petrus Nauarr. vbi ſupra nũ. 53. poſt Cordub. quod non peccet mortaliter, qui iſto modo notabilẽ quantitatẽ acquiſiuit, & ſic ſub mortali etiam non tenetur reſtituere. Huic ſententiæ etiã adhæret Medina loco cit. verſ. Ad tertium caſum videtur; cum hac moderatione, ſi homo ille hoc non faciat, in fraudem legis, de nõ furando, ſed quia pauper, nec habet vnde cum familia viuat. Ratio pro hac opinione eſt non leuis. Nulli datur damnum notabile, ergo nulla eſt iniuſtitia mortalis. Ergò nec etiam manet obligatio reſtituendi ſub mortali. Alia eſt ſententia Maioris, Soti, Corduben. Petri à Nauarra & aliorum dicentiũ, talem peccare mortaliter, ſi diues ſit, in quo nec diſſentit Medina, & ſic ex conſequenti, etiã ſub mortali eſſe obligatum reſtituere, & hanc ſententiam hi DD. amplectuntur, quando quis hoc faceret, vt magnam quantitatẽ colligeret. Pauper autẽ non tam id intenderet, quam ſuſtentationẽ vitæ, & ita domini rerũ tam vilium, irrationabiliter eſſent inuiti. Vnde quantum ad temperamentũ, non diſplicet Ioannis Medinæ explicatio. Hinc ſi pauper ſic ſemper otioſè viuere vellet, & de rapina multorũ, ſtatum & diuitias augere, nemo dubitare poteſt, eum mortaliter agere, & ad recõpenſationẽ teneri.

Licet

Licet enim in hoc caſu nulli in particulari notabilis fiat iniuria, tamen reipublicæ graue fit detrimentum, quod ſine labore & induſtria, ſolum aliena furtim congregando quis vitam agat, & ſtatum augeat. Quando autē in hoc caſu reſtitutio facienda, ſi domini ſint incerti, reſtituendum & recōpenſandū damnum, pauperibus: Si autem certi, ſuum cuiq; tribuendū, vt iuſtitiæ officium poſtulat.

QVAESTIO SECVNDA.

An damnum illatum per alterius iumenta, & animalia in pratis, agris, aut paſcuis, ſint recompenſanda?

PRIMA Concluſio. *Si alicuius pecora & iumēta, damnum dederint in alterius agro, prato, aut vinea, dominus pecorum tenetur ad reſtitutionem damnorum.* Concluſio eſt intelligenda, quando dominus eſt in culpa quod animalia ſua damnum dederint: Alias ſi animalia damnum dederint, ſine culpa & ſcientia domini, dominus ſe poterit liberare, dando animal, ſi damnum reſarcire nolit, per Gloſſam. Panormit. Antonium Cardinalem & alios in hoc capite. Concluſio probatur ex textu præſenti. arg. §. fin. Inſtit. de lege Aquil. L. Quintus Mutius. ff. ad legem Aquil. & confirmat regula ſæpè repetita: Cauſam damni dans, damnum dediſſe dicitur.

Secunda Concluſio. *Non eſt licitum regulariter, in alieno agro, & alienis paſcuis, ſua depaſcere animalia.* DD. cum Gloſſ. communiter hic. & in L. fin. C. ad L. Aquil. & in §. fin. cap. i. De pace tenend. Cæpol. de ſeruit. ruſticor. præd. cap. 9. Didacus practic. qq. cap. 27. numero 3. & in hac re non eſt dubium. Probatur per hoc cap. per d. L. Quintus Mutius L. fin. C. ad L. Aquil. L. Qui ſeruandarum. §. vlt. ff. de præſcript. verb. Ratio etiam probat fundata in iure, & experientia. Ius paſcendi in alieno agro, poteſt acquiri iure ſeruitutis per vicinos L. 1. 3. 4. & 5. ff. de ſeruit. ruſtic. præd. nec eſt qui neget, & infra latius patebit. Ergo nemini licitum eſt, ſua pecora in alieno agro depaſcere. Hac argumentatione vtitur Ioannes Coraſius in l. 1. ff. de ſeruit. num. 137. & poſt eum Didac. loco cit. num. 2. verſ. Tertio conſtat. Hinc ſi quis inuito domino, ſua animalia in alieno depaſcat, tenetur ad damni emendationem. L. Aquilia per text. in d. L. fin. C. ad L. Aquil.

Tertia Concluſio. *Iter faciens & tranſiens per aliena, & communia paſcua, iuxta viam poteſt depaſcere ſua iumenta, ſine damno.* Hoſtien. Panormit. & Antonius hic. Alberic. in d. l. fin. Bald. Andreas de Iſernia & Iacob. de Aluerot. in d. §. fin. de pac. tenend. & eius violatorib. Cæpol. in d. cap. 9. numero 7. & 8. Didac. vbi ſupra, numero 3. verſ. Octauo probatur, & alij alibi. Probatur cõcluſio per d. §. fin. de pac. tenend. vbi

vbi text. ſic habet. Quicũque per terram tranſiens equum ſuum pabulare voluerit: quantum propinquius ſecundum viam, ſtans in loco, amplecti potuerit: ad refectionem & reparationẽ equi ſui impunè, ipſi equo porrigat: licitum etiam ſit ipſi vt herba, & viridi ſylua ſine vaſtatione aliqua, & noxa qualibet vtatur pro ſua commoditate, & vſu neceſſario.

Quarta Concluſio. *Dominus agri, vel fundi, ſi inueniat animal in ſuo agro, prato, aut paſcuis, & ſciat cuius iumentum, vel animal ſit, de iure communi non poteſt illud includere & retinere; donec de damno dato ſatisfactum ſit.* Gloſſ. Panormit. Cardinal. Hoſtien. & communis in hoc cap. Speculat. in tit. de actore. §. 1. verſic. Sed pone inueni pecudem. Bartol. in L. Ratis. ff. de incendio, ruina, naufragio, &c. Cæpol. in d. cap. 9. de ſeruitute iuris paſcendi. Ioann. de Platea in §. penult. Inſtit. de lege Aquil. & alij alibi. Dictũ in concluſione (de iure communi) Quia conſuetudine, ſtatutis, & iure particularium locorum, ſæpè aliter contingit. Adiectum etiam (ſi ſciat cuius animal ſit) Quia ſi dominus animalis non cognoſcatur, licitum eſt capere, & retinere animal, donec dominus ſciatur, vt plerique ex doctoribus annotant. Hanc concluſionem DD. fundant in d. L. Quintus Mutius. Rationem etiam reddunt, quia alio remedio, ſcilicet competentibus actionibus, domino conſultum eſt ad reparationem dam-

 ni, &

ni, & incluſio pecorum, ſiue animalium, periculoſa eſt.

Quinta Concluſio. *Si quis in ſuo fundo, aut agro alterius, iumentum, aut animal inuenerit, illudq; incluſerit, ſi mortuum fuerit in clauſura, aut ſi impetuosè expellendo, ruptum enormiterq; læſum, aut præcipitio collum fregerit, ſic includens, aut damnum in animali dans, tenetur ad emendationem damni dati.* Speculator. & Cæpol. vbi ſupra. Rofred. in ſumma in tit. Si quadrupes alicuius dedit damnum. q. fin. Bald. cum Gloſſ. in d. L. Quintus Mutius. Angel. & Ioann. de Platea, in §. Cæterum. Inſtit. de lege Aquil. & alij alibi. Concluſio probatur in d. §. Cæterum placuit, ait, ita demum directam ex hac lege actionem eſſe, ſi quis præcipuè corpore ſuo damnum dederit: ideoque in eum qui alio modo damnum dederit, vtiles actiones dari ſolent: veluti ſi quis hominem alienum, aut pecus ita incluſerit, vt fame necaretur: aut iumentũ ita vehementer egerit, vt rumperetur: aut pecus in tantum exagitauerit vt præcipitaretur, &c. & in d. L. Quintus Mutius ſcribit: Equa cum in alieno paſceretur: in cogendo quod prægnans erat eiecit: quærebatur: dominus eius, poſſetnè cum eo qui coëgiſſet lege Aquilia agere: quia equam in eijciendo ruperat: ſi percuſsiſſet, aut conſulto vehementius egiſſet, viſum eſt, agere poſſe. Quando ergo quis alienum iumentum, aut pecus in ſuo agro, aut prato reperit, debet expellere, non ſecus

atque

atque ſuum ſine læſione & damno, niſi ſtatuto aut conſuetudine receptum ſit, vt includatur in cuſtodia cum debita cura, donec dominus animalis de damno dato caueat, aut reſpondeat, & deinde dominū conuenire pro damno à ſuo animali illato.

Sexta Concluſio. *Iure ſeruitutis poteſt acquiri ius paſcendi, in alieno agro & fundo.* Hæc concluſio eſt communis DD. & conſtat ex L. 1. 3. 4. & 5. ff. de ſeruitut. ruſtic. prædior. nec negari poteſt. Verum in controuerſia eſt, quantū temporis ſpacium requiratur ad præſcribendam, & inducendam ſeruitutē iuris paſcendi, in alieno fundo, & agro. Quoniam autem in praxi, frequenter hoc dubium locum habet, paucis aliquid hic tractandum, prout præſens occaſio fert. Prima ſententia, aſſerentiū requiri tempus immemoriale, ad inducendū talē paſcendi ſeruitutē; ſic ſentiunt Cæpola de ſeruit. ruſtic. prædior. cap. 9. de ſeruitute iuris paſcēdi, quē allegat & approbat Ioannes Franciſcus Balbus de præſcriptionibus in 2. part. quartæ principalis. q. 3. Decius in cōſil. 483. incip. Pro reſolutione litis. num. 26. Petrus Ancharan. in conſil. 255. incip. In cauſa & quæſtione quæ vertitur inter nobilem. Bertrand. in conſ. 24. incip. Conſpecto proceſſu cauſæ primo ceptæ. numero 10. vol. 1. Pariſius conſil. 27. num. 70. lib. 1. Guido Papa deciſ. 573. Bartol. Chaſſanæus in conſuetud. Burgund. Rubr. 13. §. 5. à num. 16. Didac. lib. 1. variar. reſolut.

cap. 17. numero 11. qui tamen reſtrictius loquitur, & horum opinio eſt communis, vt atteſtantur Didac. & Fernad. Vaſquius illuſtr. controuerſiarum lib. 2. cap. 83. num. 41. Ratio præcipua pro hac ſententia eſt, quoniam ſeruitus paſcendi habet cauſam, aut quaſi poſſeſsionem diſcontinuam. Et ea quæ habent cauſam diſcontinuam, non aliter præſcribuntur, quam tempore excedenti hominum memoriam, per text. in L. Hoc iure. §. Ductus aquæ. ff. de aqua quotid. & æſtiu. L. Seruitutes. La magna. ff. de ſeruitut. Gloſſ. & DD. in ead. L. Cæpola de ſeruit. vrbanorũ prædior. cap. 19. Balbus in d. part. 2. q. 1. Paulus Caſtrẽſis in cõſil. 255. incip. Viſo puncto ſuprà ſcripto vol. 2. Alexand. in conſ. 108. incip. In cauſa & lite vertente inter dominos, vol. 2. Couart. loco cit. qui aſſerit communem. & Ioſeph. Maſcard. de probationibus, vol. 3. cõcl. 1214. num. 65. allegato Balbo in d. q. 1. ait hanc eſſe communem doctrinã Gloſſarum, & omnium Doctorum antiquorum, & recentium. Cum itaque communiter DD. conueniant in hac ratione, in doctrina etiam conuenire neceſſe eſt, & atteſtatur Didac. ea ratione in praxi admodum eſſe receptam prædictam communem in ſupremis illius regni tribunalibus. Sunt tamen quidã recentiores, qui tenent cõtra communem, inter quos etiam eſt Vaſquius loco cit. ius paſcendi in alieno fundo etiam præſcribi, & acquiri ordinaria præſcriptione,

à qua

à qua opinione in praxi recedendum foret, & cum communi ſtandum.

QVAESTIO TERTIA.

Quomodo damnum datum, aut illatum in ſegetibus, aut frugibus nondum maturis, ſit æſtimandum & taxandum.

VT TITVLVS Quæſtionis rectius intelligatur, conſiderandum, non raro per animalia damnum dari in ſegetibus, aut frumentis immaturis, quando necdum certo cognoſci poteſt, frumenti quantitas futura: Cum ea, quæ in ſpe, & potentia adhuc ſunt, multis modis poſsint impediri, quæritur ergo nunc, an damnum ſic datum, ſit æſtimandum ſecundum tempus datum, an ex ſuperuenienti, quando meſsis matura erit, & fructus iam in actu ſunt. Præterea apud Iuriſperitos non eſt idem ſenſus omnium, circa reſolutionem huius concluſionis. Speculator in hoc titulo de damno dato, & Rofredus in ſumma part. 4. de actione, de paſtu pecoris, q. penult. ſic iudicium ſumendum exiſtimant: Vel expectabitur tempus meſsium, vt ſciatur quantum ex tanto, & ſimili frumentum habebitur: vel quantum fructus in anno præterito ex tanto & ſimili agro habitus ſit, argum. L. In lege Aquilia. ſi deletum. ff. ad leg. Aquil. L. Locū.

§. Condemnatio. ff. de tabul. exhibendis. cap. Nolite. 11. q. 3. cap. Propter, de locat. Cynus poſt Iacobum de Arena in L. fin. C. ad leg. Aquil. ſentit æſtimandum tanti quanti vendi poſſet frumentum in herba, tempore damni dati, hoc eſt quantum vendi potuiſſet, dubius euentus præceptionis illius frumenti, quod deſtructũ eſt. Eiuſdem ſententiæ videtur etiam eſſe Bald. in conſ. 182. incip. Locata fuit, lib. 1. Crauet. conſ. 40. num. 10. Iacobus Menoch, de arbitr. iudic. qq. lib. 2. caſu. 149. nũ. 21.

Prima Concluſio. *Optima ratio æſtimandi damnum datum frumento, in ſegetibus & herba, eſt expectare tempus futurum, quando frumentum maturum erit, & tum æſtimare, ſecundũ quod in vicinis prædijs, & agris creuit, conſiderata fertilitate etiam agri, cuius frumenta adhuc immatura, deuaſtata fuerunt.* Pro hac concluſione ſunt Speculat. & Rofred. & fuit etiam aliorum vt meminit Alberic. in L. Si ſeruus ſeruum alienum. §. Si oliuam immaturam ff. Ad leg. Aquil. & Gloſſ. ibidem per leges annotatas eidem fauet ſententiæ. Præterea taxare ſemper damnum datum, ſecundum tempus damni dati, quandoque eſſet regula multum inæqualis: Siquidem frumentum in herba parum valet, & tamen accidere poteſt, quod damnificatus maximũ damnũ patiatur ex deſtructione. His accedit quod damni cauſa exiſtens, tenetur ad totius damni per ſe dati recompenſationem, vt ſæpè oſtenſum eſt. At nunquam rectius hoc damnum

perſpici-

perſpicitur, quam quando frumentum iam eſt maturum in vicinis agris.

Secunda Concluſio. *Si ob aliquam cauſam non ſit locus primæ cõcluſioni, optimũ erit conſiderare quantum fructus collectum ſit ex fundo, anno præterito vel vltimo.* Arg. ll. quas Speculator adducit.

Tertia Concluſio. *Quando damnum datum ſeminibus, aut ſatis, tunc damnum taxandum arbitrio viri boni, & prudentis propter incertitudinem.* Hanc colligo ex S. Thoma 2. 2. q. 62. art. 4. & eius commentatoribus ibidem. Dominico Soto lib. 4. de iuſtit. & iure. q. 6. art. 5. Nauarro in manuali confeſſariorum, cap. 17. numero 27. Quoniã cum quantitas damnorũ ſic datorum, adhuc incerta ſit, non poteſt certum ferri iudicium, ſed recurrendum eſt ad arbitrium boni viri. Vir autem bonus & ſapiens arbitrabitur, conſideratis circumſtantijs rei, temporis, loci & perſonarum; quandoque enim maior apparet ſpes fructus, quandoque minor. Nec omnino ſimilis eſt hæc res dubio euentui, & iactui retis: Qui enim ſeminat agrũ ſuum, maiorem habet certitudinem, licet quãtitas frumenti incerta ſit. Tamen etiam hic attendenda doctrina S. Thomæ loco cit. quam ponit Sotus in d. art. 5. concl. 3. Quicunque alteri in eo damnum dat, quod nondum actu, ſed potentia habebat, exempli gratia in ſatis, vel ſegetibus, reſpectu frumenti futuri, nõ tenetur id, ad æqualitatẽ reſtituere, ac ſi actu illud habuiſſet, ſed ad ęqualitatẽ illius potentię:

conſiderata videlicet quam eſſet actui proxima: vt ſi ſata tuis equis conculcaſti, penſari debet potentia vſq; ad meſſem. Si autem iam albeſcentes ſegetes, tanto plus debes, quanto iam fruges erant propinquiores. Sic Sotus. Circa hæc etiam aduertendum, quod Sotus annotauit, quando huiuſmodi damnum datum ex propoſito, & deliberato animo, aut alias iniuria: tunc multo auctior eſt facienda æſtimatio, pro compenſatione iniuriæ illatæ. Et in æſtimandis huiuſmodi damnis, vir bonus ſemper attendat, vt quantum fieri poteſt, ad æqualitatem damni dati fiat reſtitutio: Si autem fieri non poſsit, vt quam proximè accédat, ſicut Nauarr. vbi ſupra docet.

QVAESTIO QVARTA.

An feræ per venationem, aut alias captæ, ſint recompenſandæ? & quid de damnis illatis per feras in alienis agris, & frumentis?

QVONIAM in præcedentibus ſignificatũ eſt, dominũ qui aliquẽ per ſua animalia domeſtica damno afficit, teneri ad damni reparationem, aut vt animal in noxam det, nunc videndum de damnis datis per animalia ſylueſtria, & feras. Vt autem hæc materia clarius intelligatur, altius quædam ſunt repetenda.

Prima

Prima Concluſio, *Homo in initio, cum ſtatus innocentiæ adhuc perduraret, creatus eſt, vt præſit omnibus animantibus terræ, & dominium imperiumq́ exerceat, non ſolum in animalia manſueta, ſed etiam infera & ſylueſtria.* Concluſio eſt communis DD. Baſilij in hom. 10. in Hexameron. Gregor. Nyſſeni in orat. in verba illa. Faciamus hominem ad imaginem, &c. S. Auguſtin. lib. 9. de Geneſi ad literam, cap. 14. S. Thom. 1. part. q. 96. art. 1. & eius commentatorũ ibidem. Concluſio quæ certa eſt, probatur ex ſacris literis. Geneſ. 1. Præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtijs terræ, &c. & cap. 9. Terror veſter ac timor, ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cœli, cũ vniuerſis quæ mouentur ſuper terram. Pſal. 8. Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. Oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi, &c. Iacob. 3. Omnem naturam beſtiarum, & volucrum & ſerpentium, cæterorumque domari & domitam eſſe à natura humana. Verum tamen eſt quod Theodoretus. q. 20. in Geneſin. quærens: Quid illud eſt, ad imaginem? exponens illa verba Geneſ. 1. Et dominetur piſcibus maris, & volatilibus cœli & iumentis, &c. putet hominẽ non accepiſſe ab initio imperium in feras terreſtres, vnde ait Theodoret. Animaduertendum eſt, quod ſilẽtio prætermiſſum eſt, non vniuerſa animalia propter hominem creata eſſe, ſed ea demum

quibus dominari dicitur, nempè piſces maris, volucres cœli, & pecora terræ: fortaſſe etiam & reptilia terræ, propter neceſſarium vſum pharmacorum quæ ex ijs conficiuntur: non tamen propter hominem, cete illa grandia, & feræ terreſtres.* Alioqui cum data eſt homini hæc poteſtas, earum quoque nomina addita fuiſſent. Sic Theodoretus; cuius tamen ſententia in hac doctrina reijcitur: quandoquidē ſcriptura vniuerſaliter loquitur, & nihil excipit. Ergo nec nos excipere debemus: cum nulla ratio ad excipiendum vrgeat, & in d. cap. Geneſ. 9. Super omnes volucres cœli cum vniuerſis quæ mouentur ſuper terram, ſed feræ terreſtres mouentur ſuper terram. Ergo etiā hominis ſuberant imperio.

Secunda concluſio. *Ius imperij & dominij, collatum humano generi ſuper omnia animalia, tam manſueta, quam fera, non eſt ſublatum per peccatum, ſed remanſit in homine.* Baſilius, Gregorius Nyſſenus & Auguſtinus loc. cit. D. Chryſoſt. hom. 12. in Geneſ. & alij in Geneſ. cap. 1. Ratio etiam eſt clara. Imperium & dominium in animantia, coniunctum eſt imagini Dei, eamq; inſeparabiliter ſequitur. At imago Dei in hominibus etiam poſt peccatū remanſit: Quia homini naturaliter ineſt, nec amitti poteſt. Baſil. loco cit. Ambroſ. lib. 6. Hexameron cap. 7. & 8. Hieron. in cap. 28. Ezechiel. in illa verba: Tu ſignaculum ſimilitudinis, &c. Damaſcen. lib. 2. de fide. cap. 12. Eucher. Lugdunen. lib. 1. commen-

commentariorum in Geneſ. in illa verba. Faciamus hominem ad imaginem. D. Bernard. in tract. de gratia & lib. arbit. D. Thom. in 1. part. q. 93. art. 4. D. Bonauent. in 2. d. 16. art. 1. q. 2. & alij cõmuniter alibi. Hinc Auguſt. loc. cit. ait, Homini donauit DEVS, vt etiam carnẽ peccati portans, poſsit nõ ſolũ pecora, & iumẽta ſuis vſibus ſubdita, nec tantũ domeſticas aues, ſed etiá liberæ voluntatis, quaſlibet etiam ſæuas feras, & capere & manſuetas facere, & eis mirabiliter imperare, potẽtia rationis, nõ corporis, &c. De his cõcluſionibus ex profeſſo latius à nobis pertractatũ eſt, in lib. receptarũ in Theologia ſententiarum, de ſtatu innocentiæ, peccato originis, &c. Sectione 1. memb. 4. Nunc propius ad inſtitutum. Sit ergo.

Tertia Concluſio. *Ius venandi, ab initio conceſſum eſt omnibus hominibus, & cum natura inditum.* Hanc concluſionem tradunt S. Thom. 1. part. q. 96. art. 1. poſt Ariſtot. lib. 1. Polit. cap. 5. dum ait: quod venatio ſylueſtrium animaliũ, eſt iuſta & naturalis, quia per eam homo vendicat ſibi, quod eſt naturaliter ſuum. Ioannes Medina. in C. de rebus reſtituendis, q. 12. Dominic. à Soto lib. 4. de iuſtitia & iure. q. 6. art. 4. Couarr. in reg. Peccatum, part. 2. §. 8. num. 1. & alij alibi. Hæc concluſio quæ negari nõ poteſt, probatur ex illo Geneſ. 1. Dominamini piſcibus maris, volucribus cœli, & beſtijs terræ, & alijs ſcripturis allatis in prima cõcluſione. Deinde dominiũ in animalia, ſub quo ius ve-

ius venandi continetur, inſeparabiliter & naturaliter ſequitur imaginem Dei in homine, vt communis & vera Theologorum doctrina eſt. Sed ab initio ſtatim, homo ad imaginem DEI factus eſt, iuxta illud Geneſ. 1. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinē noſtram; Et præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtijs, &c. Ad dignitatem, excellentiamque naturæ rationalis pertinet, dominium in animantia. Id quod præ alijs paucis D. Baſil. hom. 10. in Geneſ. loquens de poteſtate homini tradita in piſces, explicat his verbis: Atque ita Cetus hic tam immanis & ferus, nullo prope negotio, per hamum tenacius inhæreſcentem, captiuus abducitur, hominis ingenio, & induſtria domitus, & expugnatus, prædaque factus piſcatori, exiguo ingens, immanis imbelli. Qua id gratia? Homo ſanè per opulentam, & prædiuitem vim rationis, principatu in quæuis animalia donatus quaſi facinoroſos, ac refugas ſeruos, atque rebelles, ad obedientiam ſeruitutemque redire cogit. Quæ igitur animalia, naturali feritate, non cicurantur, hæc vel ipſa neceſsitate coguntur ſuo, vt famulentur & ſeruiant imperatori. His ſanè argumentis eluceſcit, ab ipſo DEO, vim cæteris omnibus imperandi, delatam eſſe homini, vbiuis gentium conſtituto. Atque hinc factum eſt, vt Balenæ omniaq; maris monſtra, vel ſolis hominibus horrenda, ſub hominis ditionem atque dominatum

ſubiecta

ſubiecta, & ſubſtrata ſint, &c. Hucuſque Baſil. Ex his, alijſque, quæ paſsim Patres & DD. adferunt, facilè intelligitur, Ius venandi, humano generi in principio, cum ipſa natura datũ, eique naturaliter ineſſe: Hinc rectiſsimè conſtitutio illa iuris Saxonici lib. 2. art. 61. quam germanicè allegat, & deinde in latinum transfert Ioannes Schneidevvinus in Inſtit. de rerum diuiſion. & acquir. ipſarum dominio. §. Feræ. nú. 10. ſic habet: Vbi Devs creabat hominem, poteſtatem ei concedebat, ſuper omnia animalia, piſces, & volucres. Quare teſtimonium diuinum habemus, neminem eorũ cauſa, pœnam capitalem, vel aliam corporalem mereri poſſe. Sic ius ſaxonicum, cuius ea intentio, contra Dei mandatum eſſe ob venationem, piſcationem, aut aucupium hominẽ morte mulctare: aut alia graui corporali pœna afficere.

Quarta Concluſio. *Libertas venandi eſt fundata in iure gentium & naturali.* Hanc docent communiter DD. in Inſtit. §. Feræ. de rerum diuiſion. Decius in conſil. 197. incip. In caſu. & in conſil. 271. incip. In caſu tranſmiſſo de Hiſpania. Iaſon. in conſ. 119. col. 1. in fine vol. 4. Roland. à Valle conſil. 9. vol. 2. Natta in conſil. 375. incip. Non poteſt. vol. 2. Didac. Couarr. in reg. Peccatũ. part. 2. §. 8. Andr. Gaill. pract. obſeru. lib. 2. obſer. 68. & alij alibi. Hæc concluſio conſtat ex d. §. Feræ. & L. 1. 2. 3. & 4. ff. de acquir. rerum dominio. Ratio etiam ex ſuperio-

ſuperioribus clara eſt. Ius & venandi libertas, ſequitur imaginem in homine, eiq; naturaliter ineſt. Hinc ſequitur.

Quinta Concluſio. *Animalia fera, & ſylueſtria, iure gentium & naturali ſunt communia; & acquiruntur primo capienti.* Hanc tenent omnes DD. in locis citatis, & ex Theologis Gabr. in 4. d. 15. q. 5. Ioan. Medina in C. de reſtit. q. 12. Dominic. à Soto lib. 4. de iuſtit. & iure. q. 6. art. 4. Summiſtæ in verb. Reſtitutio, nec eſt dubium in hac re. Conſtat etiam concluſio clarè ex ll. alleg. & ratione dominij, quod DEVS in creatione hominis, naturaliter omni homini cum imagine impreſsit. Huic concluſioni innititur communis illa DD. ſententia aſſerentium ius venandi, per principes prohiberi nō poſſe, quam ſententiā amplectuntur Anton. de Butrio, Hoſtienſis, Ioan. Andreas, Cardinal. & alij quidam in cap. Non eſt, de decim. & poſt eos Decius, Iaſon. Roland. & Natta in cōſilijs allegatis. Stephan. Bertrand. in conſ. 255. incip. Viſis petitionibus parte num. 8. vol. 1. Guliel. Benedictus in cap. Raynutius de teſtā. in verb. Et vxorem nomine Adalaſiam. num. 868. Iacob. à S. Georgio in tract. de feud. §. Et cum venationibus. Andr. Tyraquellus in ſignis Iuriſconſultus de nobilitate, cap. 37. à numero 140. Bartholomæus Chaſſanæus ſuper conſuetudin. Burgund. Rubr. 13. §. 7. & alij alibi. Potiſsima & fundamentalis, pro hac ſententia ratio eſt. Venandi libertas, eſt iuris

naturalis

naturalis & gentium , ex concluſionibus poſitis & iuribus adductis. Sed quæ ſunt iuris gentium, & naturalis , princeps tollere non poteſt. §. Sed naturalia quidem. Inſtit. de iure natur. gent. & ciuil. d. 5. in princ. cap. fin. d. 6. Cum ius gentium potentius ſit quã principatus Bald. in cap. 1. §. fin. Qui feuda dare poſſ. Iaſ. in L. Quo minus ff. de flum. Roland. in d. conſ. 9. num. 5. Vnde conſuetudo etiam, quæ eſt contra ius gentium, non valet ſecundum Panormit. in cap. fin. Quia ius gentium ratione naturali eſt inductum. Cui ſententiæ fauet etiam Bald. in L. vnica. col. 3. C. de his quæ pœnæ nom. dum vult quod iuſtitia poſitiua, & municipalis poteſt tolli, non iuſtitia naturalis & neceſſaria, quia cõſtans & perpetua eſt. Sed quomodo vera ſit, & intelligenda hæc communis opinio, deinceps rectius cõſtabit.

Sexta Concl. *Animalia fera, & ſylueſtria, non ſunt cõmunia poſitiuè ſed negatiuè.* Hãc docuit Cardin. Caiet. in tract. 17. Reſpoſionũ. cap. 12. dub. 4. & poſt eũ Didac. Couarr. in. d. §. 8. nũ. 1. verſ. His accedit, quod humana lex. Petr. à Nauarra de ablatorũ reſtitut. lib. 3. cap. 1. nũ. 282. & quidã alij recentiores. Hæc concluſio magis indiget declaratione quam probatione; quoniã in ſe vera eſt, obſcura tamen ignorantibus vim terminorũ. Ad intelligentiã autem notanda doctrina S. Thomæ 1. 2. q. 94. art. 5. ad tertium, in qua fundatur concluſio poſita, quod aliquid dicitur eſſe de iure naturali , dupliciter,

vno

vno modo, quia natura ad hoc inclinat: Sicut non eſſe iniuriam alteri faciendam. Alio modo quia natura non inducit contrarium: ſicut poſſemus dicere quod hominem eſſe nudum, eſt de iure naturali, quia natura non dedit ei veſtitum, ſed ars aduenit, & hoc modo communis omnium poſſeſsio, & omnium vna libertas, dicitur eſſe de iure naturali: quia ſcilicet diſtinctio poſſeſsionum, & ſeruitus, non ſunt inductæ à natura, ſed per hominum rationem, ad vtilitatem humanæ vitæ. Hæc S. Thomas. Hinc Iſidori auctoritas lib. 5. Etymolog. cap. 4. quod communis omniũ poſſeſsio, & vna libertas, eſt de iure naturali: ad quam S. Thom. multis, prædictá reſponſione ad tertium reſpondit, breuiter, intelligenda cum Dominico à Soto lib. I. de iuſtitia & iure, art. 5. concl. 2. non quod lex naturæ, communem poſſeſsionem præcipiat: aut ſeruitutem interdicat, ſed dicuntur hæc negatiuè de lege naturæ, quia illa nec diuiſionem fecit, nec ſeruitutem iuſsit. Nunc ad propoſitum, animalia fera non ſunt communia iure naturæ poſitiuè, & affirmatiuè, in hunc ſenſum, quod natura præcipiat ea communia manere, nec alicui approprianda, & diuidenda; ſed negatiuè, quia nullius ſunt, & iure naturæ nulli proprietati ſunt ſubiectæ, nec alicui applicatæ: Cum hoc tamen non repugnat, quod fiant per apprehenſionem capientium, lege, præſcriptione, conſenſu populi, &c. Quemadmodum iure

iure naturali, ab initio omnia fuerunt communia, poſtea tamen iuſtis de cauſis introducta eſt diſtinctio, inter priuatos, poſt quam diſtinctionem, & appropriationem, non licet vnicuique, rem alterius iam propriam factam, occupare. Sed de his infra latius. Atque ex hac concluſione, eneruatur ratio communis opinionis, contendentis, ius venandi, non poſſe prohiberi per principem.

Septima Concluſio. *Non eſt negandum à principibus, iuſtis ex cauſis, venationem prohiberi poſſe.* Hanc ex Theologis tenent Gabr in 4. d 15. q. 5. Dominic. à Soto lib. 4. de iuſtit. & iure. q. 6, art. 4. Ioannes Medina in C. de rebus reſtituendis, q. 12. Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. cap. 1. num. 278. Cardin. Caietan. loco cit. & alij paſsim, & iuriſperiti celebres non diſſentiunt, Faber in §. Flumina. Inſtit. de rerum diuiſione. Andreas Tyraqell. & Chaſſan. locis cit. Boërius in conſuetud. Bituricen. tit. de conſuetud. prædiorum. §. 5. Couarr. in d. § 8. numero 1. & plures alij ab eo allegati, & hæc ſententia, nunc frequentiori Doctorum calculo recepta eſt. Concluſio in primis probatur, conſuetudine, ſtatutis, legibuſque omnium regnorum, & prouinciarum. Vbiq; enim locorum, principes ſunt in exercitio prohibitionis. Deinde princeps tanqnam moderator reipublicæ, & rector, poteſt ea, quæ nullius ſunt, alteri priuato dare & appropriare. Ergo etiam ſibi. Ergo prohibitionem poteſt facere,

ne ea quæ iam ſibi appropriata ſunt, ab alio lędantur, & violentur. His accedit, quod princeps cum cauſa, contra ius gentium venire poteſt. Felinus in cap. Quæ in Eccleſiarũ, de conſtit. & alij ibidem. Roland in d. conſil. 9. nũ. 3. Vaſquius illuſtr. cõtrouerſ. lib. 1. cap. 26. nũ. 14. Dictum in cõcluſione (iuſtis ex cauſis.) Quia ſine cauſa iuſta, facere huiuſmodi prohibitionem, princeps nullatenus licitè poteſt; vt cõmuniter DD. tam Theologi, quã Iuriſperiti præſupponunt, & pro certo habent. Quæ autẽ iuſtæ cauſæ ſint, dubitari poteſt. In primis, video DD. in eam ire ſententiã, quod princeps, vniuerſalem prohibitionem in locis publicis, cunctis omniũ ferarũ non poſsit facere niſi ob cauſam publicam, aut tendentẽ in vtilitatem publicam. Sic Sotus, Medina, Petrus à Nauarr. & alij. Quia ſic ꝓhibere vniuerſaliter ex cauſa priuata, & propria vtilitate, non ad principatum, ſeu iuſtam dominandi rationẽ, ſed ad tyrannidem ſpectare videtur. Tyranni enim eſt, proprium commodum, & priuatam vtilitatem quærerę. Principis autem boni, & iuſti, publicæ vtilitati intendere, & ciuium ſeu ſubditorum ſalutem, in regimine ante oculos habere. Cum principatus inſtitutus ſit, ad ſubditorum bonum, & regendorum commodũ, vt rectè docent D. Thomas in opuſculo 21. ad Duciſſam Brabantiæ Ariſtoteles 3. Polytic. cap. 11. Plato referente Cicerone lib. 1. Officiorũ. Bartol. in tract. de regimine ciuitatis ſta-

tis

tim à principio num. 3. etiam allegando Ariſtotelẽ. Alberic. in L. Decernimus. C. de ſacroſ. Eccleſijs. Lucas de Penna in L. Militaribus C. de decurionib. & poſt alios plures. Vaſq. illuſtriũ cõtrouerſiarũ lib. 1. in præfatione nũ. 102. & ibid. cap. 1. nũ. 10. Sic nõ populus, aut regnũ, ꝓpter regem, & principẽ. Sed rex, & princeps, propter populũ & regnũ creatus, & inſtitutus eſt, vt benè tradunt Vaſquius in d. cap 1. poſt Alphonſ. Guerrerium in theſauris Chriſtianæ religionis. cap 54. nũ. 52. & Ioan. Medina in d. q. 12. ſub lit. E. Et latius oſtenditur hac DD. ſententia, quod prohibitio venationis, nõ debeat fieri, niſi ex cauſa cõcernente publici boni augmentum. Quemadmodũ enim vectigalium iuſtitia, metienda ex publica, non priuata principis vtilitate: Ita & ꝓhibitionis venationis rectitudo, ſpectanda, nõ ex prohibẽtis vtilitate, ſed reipublicæ cõmodo Quandoquidẽ vt in vectigaliũ impoſitione, proprium exigitur: ſic in venationis prohibitione, commune aufertur. Cauſæ autẽ particulares prohibitionis, eſſe poſſunt. Prima. Ne multitudine venatorũ, qui eſſent niſi venatio prohiberetur, feræ conſumantur, & extirpentur. Si enim paſsim permiſſum omnibus eſſet venari, nullibi quietus locus feris, ſic nec generare poſſent, & ceſſante generatione, etiam pro parte, notabiliter etiam numerus animalium ſylueſtrium diminueretur. Sic in quibuſdam regionibus, certis anni tempori-

§. Condemnatio. ff. de tabul. exhibendis. cap. Nolite. 11. q. 3. cap. Propter, de locat. Cynus poſt Iacobum de Arena in L. fin. C. ad leg. Aquil. ſentit æſtimandum tanti quanti vendi poſſet frumentum in herba, tempore damni dati, hoc eſt quantum vendi potuiſſet, dubius euentus præceptionis illius frumenti, quod deſtructũ eſt. Eiuſdem ſententiæ videtur etiam eſſe Bald. in conſ. 182. incip. Locata fuit. lib. 1. Crauet. conſ. 40. num. 10. Iacobus Menoch, de arbitr. iudic. qq. lib. 2. caſu. 149. nũ. 21.

Prima Concluſio. *Optima ratio æſtimandi damnum datum frumento, in ſegetibus & herba, eſt expectare tempus futurum, quando frumentum maturum erit, & tum æſtimare, ſecundũ quod in vicinis prædijs, & agris creuit, conſiderata fertilitate etiam agri, cuius frumenta adhuc immatura, deuaſtata fuerunt.* Pro hac concluſione ſunt Speculat. & Rofred. & fuit etiam aliorum vt meminit Alberic. in L. Si ſeruus ſeruum alienum. §. Si oliuam immaturam ff. Ad leg. Aquil. & Gloſſ. ibidem per leges annotatas eidem fauet ſententiæ. Præterea taxare ſemper damnum datum, ſecundum tempus damni dati, quandoque eſſet regula multum inæqualis: Siquidem frumentum in herba parum valet, & tamen accidere poteſt, quod damnificatus maximũ damnũ patiatur ex deſtructione. His accedit quod damni cauſa exiſtens, tenetur ad totius damni per ſe dati recompenſationem, vt ſæpè oſtenſum eſt. At nunquam rectius hoc damnum

perſpici-

perſpicitur, quam quando frumentum iam eſt maturum in vicinis agris.

Secunda Concluſio. *Si ob aliquam cauſam non ſit locus primæ cõcluſioni, optimũ erit conſiderare quantum fructus collectum ſit ex fundo, anno præterito vel vltimo.* Arg. ll. quas Speculator adducit.

Tertia Concluſio. *Quando damnum datum ſeminibus, aut ſatis, tunc damnum taxandum arbitrio viri boni, & prudentis propter incertitudinem.* Hanc colligo ex S. Thoma 2. 2. q. 62. art. 4. & eius commentatoribus ibidem. Dominico Soto lib. 4. de iuſtit. & iure. q. 6. art. 5. Nauarro in manuali confeſſariorum, cap. 17. numero 27. Quoniã cum quantitas damnorũ ſic datorum, adhuc incerta ſit, non poteſt certum ferri iudicium, ſed recurrendum eſt ad arbitrium boni viri. Vir autem bonus & ſapiens arbitrabitur, conſideratis circumſtantijs rei, temporis, loci & perſonarum; quandoque enim maior apparet ſpes fructus, quandoque minor. Nec omnino ſimilis eſt hæc res dubio euentui, & iactui retis: Qui enim ſeminat agrũ ſuum, maiorem habet certitudinem, licet quãtitas frumenti incerta ſit. Tamen etiam hic attendenda doctrina S. Thomæ loco cit. quam ponit Sotus in d. art. 5. concl. 3. Quicunque alteri in eo damnum dat, quod nondum actu, ſed potentia habebat, exempli gratia in ſatis, vel ſegetibus, reſpectu frumenti futuri, nõ tenetur id, ad æqualitaté reſtituere, ac ſi actu illud habuiſſet, ſed ad ęqualitaté illius potentię:

conſiderata videlicet quam eſſet actui proxima: vt ſi ſata tuis equis conculcaſti, penſari debet potentia vſq; ad meſſem. Si autem iam albeſcentes ſegetes, tanto plus debes, quanto iam fruges erant propinquiores. Sic Sotus. Circa hæc etiam aduertendum, quod Sotus annotauit, quando huiuſmodi damnum datum ex propoſito, & deliberato animo, aut alias iniuria: tunc multo auctior eſt facienda æſtimatio, pro compenſatione iniuriæ illatæ. Et in æſtimandis huiuſmodi damnis, vir bonus ſemper attendat, vt quantum fieri poteſt, ad æqualitatem damni dati fiat reſtitutio: Si autem fieri non poſsit, vt quam proximè accedat, ſicut Nauarr. vbi ſupra docet.

QVAESTIO QVARTA.

An feræ per venationem, aut alias captæ, ſint recompenſandæ? & quid de damnis illatis per feras in alienis agris, & frumentis?

QVONIAM in præcedentibus ſignificatũ eſt, dominũ qui aliquẽ per ſua animalia domeſtica damno afficit, teneri ad damni reparationem, aut vt animal in noxam det, nunc videndum de damnis datis per animalia ſylueſtria, & feras. Vt autem hæc materia clarius intelligatur, altius quædam ſunt repetenda.

Prima

Prima Concluſio, *Homo in initio, cum ſtatus innocentiæ adhuc perduraret, creatus eſt, vt præſit omnibus animantibus terræ, & dominium imperiumq́; exerceat, non ſolum in animalia manſueta, ſed etiam infera & ſylueſtria.* Concluſio eſt communis DD. Baſilij in hom. 10. in Hexameron. Gregor. Nyſſeni in orat. in verba illa. Faciamus hominem ad imaginem, &c. S. Auguſtin. lib. 9. de Geneſi ad literam, cap. 14. S. Thom. 1. part. q. 96. art. 1. & eius commentatorũ ibidem. Concluſio quæ certa eſt, probatur ex ſacris literis. Geneſ. 1. Præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtijs terræ, &c. & cap. 9. Terror veſter ac timor, ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cœli, cũ vniuerſis quæ mouentur ſuper terram. Pſal. 8. Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. Oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi, &c. Iacob. 3. Omnem naturam beſtiarum, & volucrum & ſerpentium, cæterorumque domari & domitam eſſe à natura humana. Verum tamen eſt quod Theodoretus. q. 20. in Geneſin. quærens: Quid illud eſt, ad imaginem? exponens illa verba Geneſ. 1. Et dominetur piſcibus maris, & volatilibus cœli & iumentis, &c. putet hominẽ non accepiſſe ab initio imperium in feras terreſtres, vnde ait Theodoret. Animaduertendum eſt, quod ſilẽtio prætermiſſum eſt, non vniuerſa animalia propter hominem creata eſſe, ſed ea demum

quibus dominari dicitur, nempè piſces maris, volucres cœli, & pecora terræ: fortaſſe etiam & reptilia terræ, propter neceſſarium vſum pharmacorum quæ ex ijs conficiuntur: non tamen propter hominem, cete illa grandia, & feræ terreſtres.* Alioqui cum data eſt homini hæc poteſtas, earum quoque nomina addita fuiſſent. Sic Theodoretus; cuius tamen ſententia in hac doctrina reijcitur: quandoquidē ſcriptura vniuerſaliter loquitur, & nihil excipit. Ergo nec nos excipere debemus: cum nulla ratio ad excipiendum vrgeat, & in d. cap. Geneſ. 9. Super omnes volucres cœli cum vniuerſis quæ mouentur ſuper terram, ſed feræ terreſtres mouentur ſuper terram. Ergo etiā hominis ſuberant imperio.

Secunda concluſio. *Ius imperij & dominij, collatum humano generi ſuper omnia animalia, tam manſueta, quam fera, non eſt ſublatum per peccatum, ſed remanſit in homine.* Baſilius, Gregorius Nyſſenus & Auguſtinus loc. cit. D. Chryſoſt. hom. 12. in Geneſ. & alij in Geneſ. cap. 1. Ratio etiam eſt clara. Imperium & dominium in animantia, coniunctum eſt imagini DEI, eamq; inſeparabiliter ſequitur. At imago DEI in hominibus etiam poſt peccatū remanſit: Quia homini naturaliter ineſt, nec amitti poteſt. Baſil. loco cit. Ambroſ. lib. 6. Hexameron cap. 7. & 8. Hieron. in cap. 28. Ezechiel. in illa verba: Tu ſignaculum ſimilitudinis, &c. Damaſcen. lib. 2. de fide. cap. 12. Eucher. Lugdunen. lib. 1. commen-

commentariorum in Geneſ. in illa verba. Faciamus hominem ad imaginem. D. Bernard. in tract. de gratia & lib. arbit. D. Thom. in 1. part. q. 93. art. 4. D. Bonauent. in 2. d. 16. art. 1. q. 2. & alij cõmuniter alibi. Hinc Auguſt. loc. cit. ait, Homini donauit Deus, vt etiam carnē peccati portans, poſsit nõ ſolũ pecora, & iumẽta ſuis vſibus ſubdita, nec tantũ domeſticas aues, ſed etiã liberæ voluntatis, quaſlibet etiam ſæuas feras, & capere & manſuetas facere, & eis mirabiliter imperare, potẽtia rationis, nõ corporis, &c. De his cõcluſionibus ex profeſſo latius à nobis pertractatũ eſt, in lib. receptarũ in Theologia ſententiarum, de ſtatu innocentiæ, peccato, originis, &c. Sectione 1. memb. 4. Nunc propius ad inſtitutum. Sit ergo.

Tertia Concluſio. *Ius venandi, ab initio conceſſum eſt omnibus hominibus, & cum natura inditum.* Hanc concluſionem tradunt S. Thom. 1. part. q. 96. art. 1. poſt Ariſtot. lib. 1. Polit. cap. 5. dum ait: quod venatio ſylueſtrium animaliũ, eſt iuſta & naturalis, quia per eam homo vendicat ſibi, quod eſt naturaliter ſuum. Ioannes Medina. in C. de rebus reſtituendis, q. 12. Dominic. à Soto lib. 4. de iuſtitia & iure. q. 6. art. 4. Couarr. in reg. Peccatum, part. 2. §. 8. num. 1. & alij alibi. Hæc concluſio quæ negari nõ poteſt, probatur ex illo Geneſ. 1. Dominamini piſcibus maris, volucribus cœli, & beſtijs terræ, & alijs ſcripturis allatis in prima cõcluſione. Deinde dominiũ in animalia, ſub quo

ius ve-

ius venandi continetur, inſeparabiliter & naturaliter ſequitur imaginem Dei in homine, vt communis & vera Theologorum doctrina eſt. Sed ab initio ſtatim, homo ad imaginem DEI factus eſt, iuxta illud Geneſ. 1. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinẽ noſtram; Et præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtijs, &c. Ad dignitatem, excellentiamque naturæ rationalis pertinet, dominium in animantia. Id quod præ alijs paucis D. Baſil. hom. 10. in Geneſ. loquens de poteſtate homini tradita in piſces, explicat his verbis: Atque ita Cetus hic tam immanis & ferus, nullo prope negotio, per hamum tenacius inhærefcentem, captiuus abducitur, hominis ingenio, & induſtria domitus, & expugnatus, prædaque factus piſcatori, exiguo ingens, immanis imbelli. Qua id gratia? Homo ſanè per opulentam, & præditum vim rationis, principatu in quæuis animalia donatus quaſi facinoroſos, ac refugas ſeruos, atque rebelles, ad obedientiam ſeruitutemque redire cogit. Quæ igitur animalia, naturali feritate, non cicurantur, hæc vel ipſa neceſsitate coguntur ſuo, vt famulentur & ſeruiant imperatori. His ſanè argumentis eluceſcit, ab ipſo DEO, vim cæteris omnibus imperandi, delatam eſſe homini, vbiuis gentium conſtituto. Atque hinc factum eſt, vt Balenæ omniaq; maris monſtra, vel ſolis hominibus horrenda, ſub hominis ditionem atque dominatum
ſubiecta

ſubiecta, & ſubſtrata ſint, &c. Hucuſque Baſil. Ex his, alijſque, quæ paſsim Patres & DD. adferunt, facilè intelligitur, Ius venandi, humano generi in principio, cum ipſa natura datũ, eique naturaliter ineſſe: Hinc rectiſsimè conſtitutio illa iuris Saxonici lib. 2. art. 61. quam germanicè allegat, & deinde in latinum transfert Ioannes Schneidevvinus in Inſtit. de rerum diuiſion. & acquir. ipſarum dominio. §. Feræ. nú. 10. ſic habet: Vbi DEVS creabat hominem, poteſtatem ei concedebat, ſuper omnia animalia, piſces, & volucres. Quare teſtimonium diuinum habemus, neminem eorũ cauſa, pœnam capitalem, vel aliam corporalem mereri poſſe. Sic ius ſaxonicum, cuius ea intentio, contra DEI mandatum eſſe ob venationem, piſcationem, aut aucupium hominẽ morte mulctare: aut alia graui corporali pœna afficere.

Quarta Concluſio. *Libertas venandi eſt fundata in iure gentium & naturali.* Hanc docent communiter DD. in Inſtit. §. Feræ. de rerum diuiſion. Decius in conſil. 197. incip. In caſu. & in conſil. 271. incip. In caſu tranſmiſſo de Hiſpania. Iaſon. in conſ. 119. col. 1. in fine vol. 4. Roland. à Valle conſil. 9. vol. 2. Natta in conſil. 375. incip. Non poteſt. vol. 2. Didac. Couarr. in reg. Peccatũ. part. 2. §. 8. Andr. Gaill. pract. obſeru. lib. 2. obſer. 68. & alij alibi. Hæc concluſio conſtat ex d. §. Feræ. & L. 1. 2. 3. & 4. ff. de acquir. rerum dominio. Ratio etiam ex ſuperio-

ſuperioribus clara eſt. Ius & venandi libertas, ſequitur imaginem in homine, eiq; naturaliter ineſt. Hinc ſequitur.

Quinta Concluſio. *Animalia fera, & ſylueſtria, iure gentium & naturali ſunt communia, & acquiruntur primo capienti.* Hanc tenent omnes DD. in locis citatis, & ex Theologis Gabr. in 4. d. 15. q. 5. Ioan. Medina in C. de reſtit. q. 12. Dominic. à Soto lib. 4. de iuſtit. & iure. q. 6. art. 4. Summiſtæ in verb. Reſtitutio, nec eſt dubium in hac re. Conſtat etiam concluſio clarè ex ll. alleg. & ratione dominij, quod DEVS in creatione hominis, naturaliter omni homini cum imagine impreſsit. Huic concluſioni innititur communis illa DD. ſententia aſſerentium ius venandi, per principes prohiberi nõ poſſe, quam ſententiã amplectuntur Anton. de Butrio, Hoſtienſis, Ioan. Andreas, Cardinal. & alij quidam in cap. Non eſt, de decim. & poſt eos Decius, Iaſon. Roland. & Natta in cõſilijs allegatis. Stephan. Bertrand. in conſ. 255. incip. Viſis petitionibus parte num. 8. vol. 1. Guliel. Benedictus in cap. Raynutius de teſtã. in verb. Et vxorem nomine Adalaſiam. num. 868. Iacob. à S. Georgio in tract. de feud. §. Et cum venationibus. Andr. Tyraquellus in ſignis Iuriſconſultus de nobilitate, cap. 37. à numero 140. Bartholomæus Chaſſanæus ſuper conſuetudin. Burgund. Rubr. 13. §. 7. & alij alibi. Potiſsima & fundamentalis, pro hac ſententia ratio eſt. Venandi libertas, eſt iuris

naturalis

naturalis & gentium, ex concluſionibus poſitis & iuribus adductis. Sed quæ ſunt iuris gentium, & naturalis, princeps tollere non poteſt. §. Sed naturalia quidem. Inſtit. de iure natur. gent. & ciuil. d. 5. in princ. cap. fin. d. 6. Cum ius gentium potentius ſit quã principatus Bald. in cap. 1. §. fin. Qui feuda dare poſſ. Iaſ. in L. Quo minus ff. de flum. Roland. in d. conſ. 9. num. 5. Vnde conſuetudo etiam, quæ eſt contra ius gentium, non valet ſecundum Panormit. in cap. fin. Quia ius gentium ratione naturali eſt inductum. Cui ſententiæ fauet etiam Bald. in L. vnica. col. 3. C. de his quæ pœnæ nom. dum vult quod iuſtitia poſitiua, & municipalis poteſt tolli, non iuſtitia naturalis & neceſſaria, quia cõſtans & perpetua eſt. Sed quomodo vera ſit, & intelligenda hæc communis opinio, deinceps rectius cõſtabit.

Sexta Concl. *Animalia fera, & ſylueſtria, non ſunt cõmunia poſitiuè ſed negatiuè.* Hãc docuit Cardin. Caiet. in tract. 17. Reſpoſionũ. cap. 12. dub. 4. & poſt eũ Didac. Couarr. in. d. §. 8. nũ. 1. verſ. His accedit, quod humana lex. Petr. à Nauarra de ablatorũ reſtitut. lib. 3. cap. 1. nũ. 282. & quidã alij recentiores. Hæc concluſio magis indiget declaratione quam probatione, quoniã in ſe vera eſt, obſcura tamen ignorantibus vim terminorũ. Ad intelligentiã autem notanda doctrina S. Thomæ 1. 2. q. 94. art. 5. ad tertium, in qua fundatur concluſio poſita, quod aliquid dicitur eſſe de iure naturali, dupliciter,

vno

vno modo, quia natura ad hoc inclinat: Sicut non eſſe iniuriam alteri faciendam. Alio modo quia natura non inducit contrarium: ſicut poſſemus dicere quod hominem eſſe nudum, eſt de iure naturali; quia natura non dedit ei veſtitum, ſed ars aduenit, & hoc modo communis omnium poſſeſsio, & omnium vna libertas, dicitur eſſe de iure naturali: quia ſcilicet diſtinctio poſſeſsionum, & ſeruitus, non ſunt inductæ à natura, ſed per hominum rationem, ad vtilitatem humanæ vitæ. Hæc S. Thomas. Hinc Iſidori auctoritas lib. 5. Etymolog. cap. 4. quod communis omniũ poſſeſsio, & vna libertas, eſt de iure naturali: ad quam S. Thom. multis, prædictá reſponſioné ad tertium reſpondit, breuiter, intelligenda cum Dominico à Soto lib. 1. de iuſtitia & iure, art. 5. concl. 2. non quod lex naturæ, communem poſſeſsionem præcipiat: aut ſeruitutem interdicat, ſed dicuntur hæc negatiuè de lege naturæ, quia illa nec diuiſionem fecit, nec ſeruitutem iuſsit. Nunc ad propoſitum, animalia fera non ſunt communia iure naturæ poſitiuè, & affirmatiuè, in hunc ſenſum, quod natura præcipiat ea communia manere, nec alicui approprianda, & diuidenda; ſed negatiuè, quia nullius ſunt, & iure naturæ nulli proprietati ſunt ſubiectæ, nec alicui applicatæ: Cum hoc tamen non repugnat, quod fiant per apprehenſionem capientium, lege, præſcriptione, conſenſu populi, &c. Quemadmodum iure

iure naturali, ab initio omnia fuerunt communia, poſtea tamen iuſtis de cauſis introducta eſt diſtinctio, inter priuatos, poſt quam diſtinctionem, & appropriationem, non licet vnicuique, rem alterius iam propriam factam, occupare. Sed de his infra latius. Atque ex hac concluſione, eneruatur ratio communis opinionis, contendentis, ius venandi, non poſſe prohiberi per principem.

Septima Concluſio. *Non eſt negandum à principibus, iuſtis ex cauſis, venationem prohiberi poſſe.* Hanc ex Theologis tenent Gabr in 4. d 15. q. 5. Dominic. à Soto lib. 4. de iuſtit. & iure. q. 6, art. 4. Ioannes Medina in C. de rebus reſtituendis, q. 12. Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. cap. 1. num. 278. Cardin. Caietan. loco cit. & alij paſsim, & iuriſperiti celebres non diſſentiunt, Faber in §. Flumina. Inſtit. de rerum diuiſione. Andreas Tyraqell. & Chaſſan. locis cit. Boërius in conſuetud. Bituricen. tit. de conſuetud. prædiorum. §. 5. Couarr. in d. § 8. numero 1. & plures alij ab eo allegati, & hæc ſententia, nunc frequentiori Doctorum calculo recepta eſt. Concluſio in primis probatur, conſuetudine, ſtatutis, legibuſque omnium regnorum, & prouinciarum. Vbiq; enim locorum, principes ſunt in exercitio prohibitionis. Deinde princeps tanqnam moderator reipublicæ, & rector, poteſt ea, quæ nullius ſunt, alteri priuato dare & appropriare. Ergo etiam ſibi. Ergo prohibitionem poteſt facere,

tim à principio num. 3. etiam allegando Ariſtotelẽ. Alberic. in L. Decernimus. C. de ſacroſ. Eccleſijs. Lucas de Penna in L. Militaribus C. de decurionib. & poſt alios plures. Vaſq. illuſtriũ cõtrouerſiarũ lib. 1. in præfatione nũ. 102. & ibid. cap. 1. nũ. 10. Sic nõ populus, aut regnũ, ꝓpter regem, & principẽ. Sed rex, & princeps, propter populũ & regnũ creatus, & inſtitutus eſt, vt benè tradunt Vaſquius in d. cap 1. poſt Alphonſ. Guerrerium in theſauris Chriſtianæ religionis. cap 54. nũ. 52. & Ioan. Medina in d. q. 12. ſub lit. E. Et latius oſtenditur hac DD. ſententia, quod prohibitio venationis, nõ debeat fieri, niſi ex cauſa cõcernente publici boni augmentum. Quemadmodũ enim vectigalium iuſtitia, metienda ex publica, non priuata principis vtilitate: Ita & ꝓhibitionis venationis rectitudo, ſpectanda, nõ ex prohibẽtis vtilitate, ſed reipublicæ cõmodo Quandoquidẽ vt in vectigaliũ impoſitiòne, proprium exigitur: ſic in venationis prohibitione, commune aufertur. Cauſæ autẽ particulares prohibitionis, eſſe poſſunt. Prima. Ne multitudine venatorũ, qui eſſent niſi venatio prohibe-retur, feræ conſumantur, & extirpentur. Si enim paſsim permiſſum omnibus eſſet venari, nullibi quietus locus feris, ſic nec generare poſſent, & ceſſante generatione, etiam pro parte, notabiliter etiam numerus animalium ſylueſtrium diminueretur. Sic in quibuſdam regionibus, certis anni tempori-

bus prohibita eſt venatio quorundam anima-lium, quando tempus eſt aptum generationi à natura inditum. Ne generatione impedita, numerus diminuatur, & commune bonum decreſcat. Sic etiam alibi, (vt Couarruuias atteſtatur) legibus, & conſtitutionibus firmatũ, ne ſclopetis & bombardis feræ proſternantur, eo quod ſonus, & fragor bombardarum, feras in fugam conuertat, & è ſuis locis depellat, cũ damno regionis, & prouinciæ. Secunda cauſa, vt vitentur rixæ, & contentiones reipublicæ. Si enim omnibus communis eſſet venatio, perpetuæ forent lites, inter multitudinem venatorum. Ea de cauſa creſcente hominum numero, diuiſio bonorum facta, & iure gentium introducta eſt. Tertia, ne homines agriculturam, aliaſque artes reipublicæ vtiles, & neceſſarias dimittant, & vacent venationi, & vanis rebus. Abſtrahit enim venationis frequens occupatio, à melioribus ſtudijs, mentemque præſertim incautæ iuuentutis, immenſa voluptate rapit & allicit. Raro enim (vt experiẽtia cõpertum eſt) diteſcunt, qui venationis exercitiũ amant. Proinde ius venationis, magis cõpetit principibus, & viris illuſtriotibus, qui ex bonis & redditibus, ſatis ſuperq; habẽt, vnde viuere poſſint, nec labore & ſudore, victũ & amictum quærere coguntur. Atque etiam ob hanc potiſſimum cauſam, exercitium clamoroſæ & ſaltuoſæ venationis, in canonibus, Eccleſiaſticis perſonis interdictum eſt, ne huic

ſtudio

ſtudio & exercitio, plusquam ratio poſtulat, dediti, ac voluptate deliniti, literarum ſtudia, orationis exercitium, & diuina officia, quæ eorum vocationi annexa ſunt, omittant, & negligentius adimpleant. Quarta cauſa eſt, honeſta principis recreatio. Cum enim princeps, perſonam ſuſtineat publicam, & curis muneribuſque communibus vacet, ad bonũ etiam publicum ſpectat animum grauioribus negotijs cogitationibuſque intentum, honeſta venationis recreatione relaxare. His etiam addere poſſumus aliam, videlicet ſplendorem ad principis ſtatum pertinentem, vt princeps pro ſua menſa & victu, ferarum carnes habeat, quæ magis ſuum ſtatum augent, & illuſtriorem reddunt.

Octaua Concluſio. *Domini inferiores, & principes recognoſcentes ſuperiorem, non habent tam amplã poteſtatem prohibendi, in ſuis dominijs venationem, quemadmodum ſupremus princeps.* Hanc tenent Faber. in d. §. Flumina. Couarr. & alij quidam, nec in hac re poteſt eſſe dubium, vt ex rationibus, & cauſis prohibendi venationem conſtat. In vniuerſum enim prohibere venationẽ, eſt principis, ſuperiorem non recognoſcentis, cui ex ſtatu dignitatis ineſt, ius regalium, & cõdendi leges poteſtas, quique iuriſdictionem, & iura inferioribus pro ſuo beneplacito, & prudentia, nec non gradu ſubditorum, ac meritis honeſtis diſtribuit, ad ornamentum, ſplẽdoremque reipublicæ. Atque in hanc ſenten-

tiam tendere videtur communis opinio, cuius mentionem fecimus, quod inferior à ſupremo principe non poſsit venationem prohibere vniuerſaliter, per legem & conſtitutionem, vt Couarr. etiam exiſtimat, vel quod ſi de ſuperiori intelligatur, eum id facere non poſſe pro priuata vtilitate, & proprio commodo.

Nona Concluſio. *Vbi antiquitus alicui ciuitati, aut alicuius dominij ſubditis, aut loco, communis fuit venandi libertas, dominus ſuperiorem recognoſcens, non poteſt eos priuare hac libertate, faciendo prohibitionem niſi ſubditorum liber conſenſus accedat.* Hanc concluſionem tenent Antoninus, Ioannes Andreas Hoſtien. & Cardinal. in cap. Non eſt, de decimis & alij quorum ſupra mentionem fecimus. Probatur concluſio. Tales iure diuino, & humano ſunt capaces, iuris venandi, vt ex ſuperioribus conſtat, & iuſtè tanquam ſuum proprium poſsident. Ergo non poſſunt eo priuari, per dominum inferiorem. Cum hæc poteſtas non reſideat in eo.

Decima Concluſio. *Quando aliquis dominus in ſuo dominio, aut aliquo certo loco, à ſupremo principe, vel alio iuſtè poſsidente ius venandi, aut conſenſu totius populi libero à metu, aut praſcriptione legitima, acquiſiuit ius venandi in ſolidum, ita vt nullus alius venari poſsit, is prohibere poteſt alijs, tam ſubditis, quam non ſubditis ne in locis vbi id iuris poſsidet, venentur.* Hanc docent Gabriel,

briel. in 4 d. 15. q. 5. concluſione 5. corollario 1. Ioannes Medina in d. q. 12. Stephanus Bertrand. in conſ. 255. volum. 1. Couarruuias vbi ſupra. Nauarrus in manuali confeſſariorum capite 17. numero 120. nec poteſt eſſe dubium in hac re. His enim modis acquiritur iuris venandi dominium, quo acquiſito, poteſt quis alium per prohibitionem impedire, ne eum in ſuo iure perturbet, aut ei nocumentum inferat. Dictum in concluſione (libero conſenſu à metu, & præſcriptione legitima.) Quia ſi conſenſus per violentiam, & metum iuſtum extorqueretur, parum prodeſſet ad hunc effectum. Eadem eſt ratio de præſcriptione, ſi à Tyrannide initium ſumeret, & continuaretur, non eſſet legitima, nec aliquod ius ita præſcriptionem alleganti tribueret, vt plerique Doctores benè iudicant. Ad legitimè autem præſcribendum venandi ius, & ſeruitutem, requiritur tempus, de cuius initio memoria non ſit, vt in hac ſpecie tradidere Medina in d. q. 12. Caietan. in ſumma, verbo. Venatio, in fine. Aurea Armilla in eodem verb. Couarr. loco cit. Zaſius in conſil. 6. incip. Illuſtris. lib. 2. & poſt eum Andreas Gaill. practic. obſeruat. lib. 2. obſeruat. 66. num. 7. Ratio eſt, quoniam venationis exercitiũ, eſt ſeruitus diſcontinua, cum ſine hominũ actibus, qui diſcõtinui ſunt, venationes exerceri nequeant. Seruitutes autẽ

cauſam diſcontinuam habentes, non præſcribuntur niſi tempore immemorabili. L. 1. §. fin. ff. de aqua pluu. arcend. Gloſſ. ibidem in verb. quam diu. L. Seruitutes 4. ff. de ſeruit, & hæc eſt communis Gloſſarum & DD. doctrina vt latius ſupra in hoc cap. q. 2. concl. 6. in fine de præſcriptione iuris paſcendi oſtenſum eſt.

Vndecima Concluſio. *Principes, vel alij inferiores ſi prohibeant venationem in locis publicis, vel etiam priuatis. ſiue proprijs, & ex eorum prohibitione, ferarum numerus excreſcat in tantum, vt ſegetibus, & frugibus ſiue maturis, ſiue immaturis damnum notabile inferant, aut alio modo ſunt cauſa, vt feræ noceant ſubditis, & ruſticis in agris ſuis, tenentur ad reſtitutionem omnium damnorum ſic illatorum.* Hanc tenent Cardinalis Caietan. in tract. 17. Reſponſ. cap. 12. in dub. 5. Nauarr. loco cit. Couarruuias in d. §. 8. num. 11. Sotus vbi ſupra. Andr. Gaill. in d. lib. 2. obſeruat. 68. num. 10. allegata etiam ſententia Dominici à Soto, quam iuri & æquitati conſentaneam, pulchrè oſtendit in hunc modum: Aut feræ beſtiæ iure gentium, ſunt communes omnibus iuxta text. in L. 1. & 2. ff. de acquir. rerum domin. & in §. feræ. Inſtit. de rerum diuiſ. text. in L. Iniuriarum. §. fin. ff. de iniurijs: Aut ſunt propriæ dominorum prohibentium. Si iure gentium cõmunes omnibus, in nullius erunt dominio, & ideo occupantium fiunt, & venatio omnibus permiſſa erit, per iura allegata. Si vero pro-

ro propriæ dominorum; tunc ad æſtimationem damni dati vtili L. Aquiliæ, vel de paſtu pecoris actione, aut ex edicto, ſi quadrupes pauperiem feciſſe dicatur, merito tenentur, text. in cap. fin. §. Quod ſi animalia, de iniurijs & damno dato. Gloſſ. ibidẽ in verb. Animalia. text. in L. fin. C. ad legem Aquil. & in L. Quamuis. ff. eod. Gloſſ. ibid. in verb. Actiones, & in L. Qui ſeruandarũ. ff. de præſcript. verb. Permittant igitur domini ſyluarum, cõmuni iure gentium, omnibus permiſſam venandi libertatem, per iura allegata, & text. ſingul. in l. 2. §. Item feras beſtias. ff. de acquir, vel amitt. poſſeſ. vbi dicitur, feras, quæ in ſyluis circum ſeptis euagantur, à nobis non poſſideri, ſed naturali libertati relinqui, & per conſequens occupantium fieri, text in L. naturalem. §. Ceruos quoque. ff. de acquir. rerũ domin. Aut damnum à feris datum plenè reſarciant, ne cum diuite Euangelico pereant. Nonnulli enim ita ſunt efferati Actæones, vt vix ſubditis, feras beſtias ex proprijs eorum agris ſtantibus, & pendentibus adhuc fructibus, abigere, & latratores moloſſos habere permittant. Sic ille D. Contractius idem ad propoſitum format argumentum Gabriel. in d. q. 5. corrolario 2. Aut feræ ſunt in bonis dominorum, aut non, ſed in nullius. Si ſecundum, tunc concedantur occupanti, & capienti, & per conſequens, iniuſtè prohibentur ab eorũ captione. Si primum, tenentur cauere ne dam-

damnificent pauperes; aut damna reſtituere, non minus quam de animalibus domeſticis: neq; cóſuetudo, aut cóſtitutio aliqua humana tollere poteſt legé naturæ, & ideo prohibitio contraria eſt iniqua. Hæc Gabriel, Omiſsis his concluſio nunc ratione efficaci probatur. Qui cauſam damni dat, damnú dediſſe dicitur per regulam vulgatá. At tales domini ſua prohibitione, iniuſtè cauſam damni illati proximo dant, vt cõcluſio præſupponit. Ergo tenentur ad recompenſationem damni dati. Quia omnis qui eſt cauſa, vt proximo contra iuſtitiam detur damnum, tenetur reſtituere, ſecundum legem naturalem, & diuinam. Couarr. dicit eos qui prohibita venatione, cauſam dederint animalium multitudini, & deinde ex hoc vicinorum prędiorum damno, teneri, vel illas feras includere, aut earum multitudinem diminuere, vel permittere liberam venationé, aut illatum damnum ſoluere, arg. text in l. 2. §. vlt. ff. Si quadrupes pauperiem. L. Item Mela. §. Item cum eo. ff. ad legem Aquil. L. Hi enim L. Generaliter. & L. Qua vulgo. ff. de ædilit. edicto. & eorum quæ notant Romanus ſingul. 704. Innocent. Abbas & DD. in cap. Ad audientiam, de homicid. Semper hoc ſtatuendum firmiter eſt, quod damno dato, non aliter ſubuenitur quam per reſtitutioné, aut recópenſationé, qua inæquale fit æquale, & iniuſtum redditur iuſtum, niſi damno affectus, liberè ſine metu, & violentia remittat.

Parum

Parū etiam vt benè Nauarrus ait; prodeſt quibuſd im a ;natibus dicere ſępius, ſe reſtituturos eiuſmodi damna, & nunquam reſtituunt. Et principes ſeu alij domini, ſua prohibitioe, dãtes cauſam ſic damni per feras, ſi non reſtituãt, & tollant damni cauſam, non ſunt abſoluẽdi à Confeſſoribus ſuis, vt Caietan. loc. cit. docet.

Duodecima Concluſio. *Venatores, conculcantes & proterentes, venationis cauſa, ſegetes ſubditorum & pauperum, aut notabile damnum fructibus inferentes, tenentur ad reſtitutionem damnorum, pro iuſta æſtimatione, idque ſub pœna peccati mortalis.* Angelus, & Syluest. in verb. Venatio poſt Aſtenſem in ſumma. Couarr. in d. §. 8. num. 11. verſ. Præterea licet, & alij alibi. Ratio efficax ducitur ex ratione cõmuni. Quicunque proximum damno afficit cõtra iuſtitiam, tenetur ad recompenſationem damni. Cum ergo tales iniuſtè damnum inferant agris, ſegetibus, & fructibut, idq; redundet in iniuriam & perniciem proximi, merito tenentur ad ſatisfactionẽ pro dãno illato. Vnde & iuſtiſsima eſt illa apud Saxones conſtitutio lib. 2. art. 61. in fine. Vt nemo venationis gratia ſegetẽ, alterius cõculcet, aut ꝑterat, quæ iã in articulos ſurrexit.

Decima tertia Concluſio. *Venantes, aut feras capientes contra prohibitionem factã, quæ adhuc in nullius ſunt poteſtate, & dominio, non tenentur ad reſtitutionem eius, quod acquirunt, id eſt ad reſtituendum animalia ſylueſtria capta.* Hanc tenent cõmuniter DD. Sotus, Medina, Nauarrus Couarruu. Petrus à

Nauarra.

Nauarra. Roland. à Valle in d. Conſil. 9. à numero 21. & alij alibi. Ratio huius concluſionis eſt; Si capta per venationem prohibitam reſtituenda eſſent, id foret propter violatam iuſtitiam commutatiuam; ſed in tali venatione non infringitur iuſtitia commutatiua: cum non detur damnum alteri, nec ex huiuſmodi ferarum captione, alteri quod ſuum ſit, auferatur. Feræ enim omnium conſenſu, de iure ſunt communes, & fiunt per apprehenſionem tandem capientium. §. Feræ. Inſtit de rerum diuiſ. cuius §. Hæc ſunt verba: Feræ igitur beſtiæ, volucres, piſces, & omnia animalia, quæ in mari, cœlo & terra naſcuntur, ſimul atque ab aliquo capta fuerint, iure gentium ſtatim illius eſſe incipiunt: quod enim ante nullius eſt, id ratione naturali, occupanti conceditur: nec intereſt feras, beſtias, & volucres vtrum in fundo ſuo quiſquam capiat, an in alieno. l. 1. & ſeq. ff. de acquir. rerum domin. Atque ſic feras captas effici capientium, etiam prohibita venatione ſentiunt Gloſſ. in L. Diuus Pius. ff. de ſeruit. ruſtic. prædior. Bartol. Paulus Caſtren. Angelus & alij cõmuniter Gloſſam approbantes ibidem. Cæpol. de ſeruitutibus ruſtic. prædior. in cap. 21. in rubr. de aucupatione. Roland. à. Valle in d. conſ. 9. numero. 21. Felin. in cap. Omnes leges. col. fin. d. 1. Couarr. in d. §. 8. numero 4. atque hæc opinio communis eſt vt idem Couarr. poſt alios tradit. Ea de cauſa meritò receditur à

Gloſſa

Gloſſa in d. §. Feræ. quam tamē Faber & Claudius Cantiunc. ibidem. Iacobinus à S. Georgio in tract. feud. in §. Et cum venationibus videntur amplecti, & ſequi pro hac parte, quod capta in venatione prohibita, per iudicem non fiant capientium. Quorum ſententia falſa eſt vt Couarr. obſeruat, niſi in hunc ſenſum intelligatur, quod per iudicem poſsint tolli à capientibus in pœnam criminis, tum quod alienum fundum ingreſsi, ad venandū, tum quod iudicis præceptum cui obtemperare debebant, cōtempſerint. Præſentem coclusiōnem etſi Couarruuias ad forum conſcientiæ reſtringere videatur, tamen putamus in vtroque foro interiori & exteriori obtinere, tum ob rationem, tum ob ll. & Iuriſperitorū auctoritatem, de quibus ſupra, non diſtinguunt, ſed à fortiori in foro fori procedunt.

Decimaquarta Concluſio. *Si quis feram vulnerauerit, aut vſq; ad mortem læſerit, ſi euaſerit ac ab eo non capiatur & apprehendatur, ſed ab alio, non vulnerantis lædentiſq;, ſed capientis efficitur.* Bartol. in L. Quominus. q. 5. ff. de fluminibus. Cæpol in d. cap. 21. Couarr. loco cit. num. 13. & alij alibi. Hæc concluſio fundatur in §. Illud quæſitum. Inſtit. de rerum diuiſ. & in L. Naturalē. §. Illud. de acquir. rer. dominio. Sed vbi conſuetudine, & ſtatutis municipalibus aliter cautum, ijs ſtandum eſt, & ſic Gloſſ. in L. Naturalem. §. Illud. conſuetudine ſeruari exiſtimat, vt fera ſit vulnerantis & percutientis. Cō-

cluſio

cluſio eſt iuris, ſi in contrariũ alibi vigeat cõſuetudo, ſeruetur. Eadem eſt ratio, ſi feræ capiantur laqueo, aut alio inſtrumento, ferę ſpectabunt, non ad ponentẽ laqueũ aut inſtrumẽtum, niſi ipſe capiat, ſed ad aliũ inuenientẽ & capientem, iuxta L. In laqueum. ff. de acquir. rerum domin. *Hic dubium eſſe poteſt. Quid ſi lupus apprehendat ouem alterius, aut pecudem, venit alius obuiam lupo, eripitq; ex faucibus illius, an teneatur prædam lupo ereptam reſtituere priori domino?* Reſpondet huic dubio, Cæpol. in d. c. 21. quod ſic; per text. notabilũ in L. Pomponius. ff. de acquirend. rerum domin. *Aliud dubium. Quid ſi aliquis in ſuo fundo, aut nemore vulnere mortiferò feram beſtiam affecit, quæ tamen adhuc manus eius effugit, in vicini fundum, aut ſyluam, antequam cadat, an licitum ſit eam perſequi, & apprehendere in alienò fundo?* Eadem eſt ratio; Cepit aliquis venari in proprio nemore, canes feram inuadunt, ac fortiter perſequuntur in propinquam vicini ſyluam, eamque ibi proſternunt, an licet eam ſequi, & capere e faucibus canum? Reſpondetur, quod licitum eſt ſtatim, feram perſequi etiam in alienum fundum & ſyluam, & eam capere per text. in d. §. Illud quæſitum, & in d. L. Naturalem. §. 1. iuncta Gloſſa. Ioannes à Platea & alij in d. §. Illud quæſitum. Cui conſonat etiam text. iuris Saxonici in art. 61. lib. 2. qui è Germanico ideomate, ſic vertitur à Ioanne Schneidevvino in d. §. Feræ. numero 4.

Venatur quis feram ex nemore ſuo, & canes illam perſequuntur in alienam ſyluam, tunc & ipſe ſequi poteſt, abſque temen inflatu corniculi venatorij, & incitatione canum, & ſi feram capiat non delinquit, caneſq; ſuos ſibi reuocare licet. Sic ibi. In hac re tamen attendenda conſuetudo venatorũ, vt Platea & alij volunt. Solent diuerſæ eſſe praxes variorum locorum. In quibuſdam locis, ſi quis feram ſic inſequatur, & in alieno ſũdo capiat, caput, aut alia pars ſolet dari in recognitionẽ fundi, domino loci, in quo capitur, & proſternitur.

Decimaquinta Concluſio. *Qui feras beſtias venatur, & capit in loco clauſo & ſepto, vbi ſub cuſtodia domini ſunt, nec exitus illis patet, ſed pro voluntate domini eiuſq; commoditate capi poſſunt. furtum committit, & tenetur ad reſtitutionem animalis capti, vel eius æſtimationem.* Hanc tenent Medina & Sotus loc. cit. Ioſephus Angles in florib. Theolog. qq. in 4. part. 2. in q. de reſtitut. propter venationem, Nauarr. in manuali confeſſariorum. cap. 17. num. 121. & 128. Stephan. Bertrand. in conſil. 255. num. 8. vol. 1. Couarruuias loco cit. num. 14. Andr. Gaill. practicarum obſeruat. libro ſecundo obſeruat. 68. numero 12. nec eſt qui diſſentiat. Ratio eſt, quoniam huiuſmodi animalia ſunt in dominio, poſſeſsione ac cuſtodia domini, & quaſi capta, nec domini cuſtodiã euadere poſſũt. Ea de cauſa ſi quis in loco ſic clauſo aliquod animal ceperit, dominus aduerſus eũ furti actionem in-

nem inſtituere. §. Gallinarium. Inſtit. de rerum diuiſ. & L. Vſu fructuarium. ff. de vſu fruct. aut ad damni recompenſationem agere poterit, non ſecus ac ſi domeſticum aliquod animal occidiſſet. Eadem ratione tenetur, qui capit alquod ſylueſtre animal quod ita conſeruatur quaſi domeſticum & manſuetum, tamen exit, ſolitũ tamen redire ad ſuum locũ. Inſtit. de rer. diuiſ. §. Pauonum. L. Natnralẽ. §. Ceruos. ff. de acquir. rerum domin. Sic ſi quis alat domi ſuæ ceruum hominum frequenti vſu quaſi manſuetũ factum, qui ſæpius agros petat ad quærendum paſcua, ita tamen vt ſemper redeat in domini cuſtodiam, non licet alteri eum capere. Et animalia ſic cicurata quãdiu retinent animum & conſuetudinem reuertendi, noſtra ſunt. Si autem fugam ita arripiant, vt nulla ſpes reuertendi appareat, ſed conſpectum longe effugiant, & in naturalem libertatem redeant, domini eſſe deſinunt, & rurſus fiunt occupantis.

Decimaſexta Concluſio. *Domini, pœna mortis, aut mutilationis afficientes, feras capientes contra prohibitionem in locis publicis, grauiſsimè peccant, & crudeliter agunt, niſi ruſtici conſueti ſint facere, & contumaces reperiantur.* Hanc tenent Angel. Sylueſt. & Aurea Armilla, poſt Aſtenſem in ſumma in verb. Venatio. Dominic. à Soto lib. 4. de iuſtit. & iure. q. 6. art. 4. Martin. Nauarr. in manuali confeſſar. cap. 17. numero 121. Andreas Gaill. pract. obſeruat. lib. 2. obſeruat. 68. num.

num. 10. Schneidevvinus in d. §. Feræ. num. 10. VVeſenbecius in annotat. ad Schneid. ibidem, per text. optimum iuris Saxonici lib. 2. art. 61, dum dicitur: Quando DEVS creabat hominem, poteſtatem ei concedebat ſuper omnia animalia, piſces ac volucres. Quare teſtimonium diuinum habemus, neminem eorum cauſa pœnã capitalem, vel aliam corporalẽ mereri poſſe. Sic ibi. Ratio pro hac cóclusione eſt ex iure diuino, naturali & gentium. Feræ omni iure ſunt communes, & fiunt iure gentium capientium, nec in vllius ſunt poſſeſſione aut dominio, antequam capiantur. Ergo nequaquam capiens ſic, furtum committit. Cum prohibitio nec domino prohibenti dominium tribuat, nec capientem ab acquirendo impediat, vt ex ſuperioribus plenè cóſtat; Inhumanum eſt audire, & turcica Tyrannide grauius, apud Chriſtianos reperiri dominos & domicellos, qui quãdo pauperes ruſtici, aliquando neceſsitate famis coacti, aliquam feram proſternunt in ſyluis, grauiſsimis & ſeueritate excogitatis pœnis, excruciant, nec memores ſunt ruſticos eſſe homines, ad imaginem DEI creatos, eiuſdem hæreditatis participes, eiuſdem que iuris venãdi capaces. Vtinam domini, vt verbis Gabriel. in 4. d. 15. q. 5. corrolar. 3. vtar, qui multis modis & excogitatis inuentionibus innumeris, ſuos ſubditos grauant, & excoriant, non verè defenſores domini, ſed prædones & tyranni, attenderent,

vindictam Dei in regem Achab, & in impiam eius vxorem Ieſabel, pro ablatione vineæ Naboth Iſraëlitæ. De qua 3. Regum, cap. 21. forſitan temperarent, cupiditates ſuas, & grauamina in pauperes. Hæc Gabriel. Sunt enim quidam homines diabolici, qui ſpiritu diaboli aguntur, & quemadmodum hic in odium Dei, cui nequaquam nocere poteſt, hominis, qui eſt imago Dei, interitum ſemper machinatur: Ita & illi maximè ſæuiunt in hominem, ad Dei imaginem creatum: Exuerunt enim hominis naturam, & efferatam, ferocem, ac dęmonis peruicaciam induerunt, hominem non raro minus, quam canem æſtimantes. Generoſum, nobile, ac magnificum nunc multis videtur, miſeros ruſticos expilare, eorum ſanguinem & ſudorem exhaurire, varijs artibus & adinuentionibus, ſub diram ſeruitutem rudem, & laborioſam plebeculam redigere. Subditos, inauditis moleſtijs, & vexationibus, martyres facere, vt hi oppreſsi, ſi patienter ſuam crucem ferant, tandem æternam quietem & omnem in cœlis libertatem à moleſtijs, aliorúq; incurſionibus ſecuram cõſequantur: Illi vero, ita immaniter dominantes, miſeriam infinitam, & opprobriũ ſempiternum in inferno, cum ſpiritibus, ad tam crudelia facta inſtigantibus, percipiant. Ex dictis de venatione, iudicium ſumendum de capientibus columbas, alieni columbarij. Qui enim alienas columbas ex intentione, arte, aut dolo, ex pri-

ex priuato & proprio columbario educunt, & capiunt, furti tenentur, & ad reſtitutioné, aut damni emendationem pro æſtimatione. Ioan. Medina in d.q. 12. corrolar. 6. ſub lit. C, Dominic. à Soto in d. art. 4. non longe à fine. Nauarr. vbi ſupra, à nú. 127. Ioſephus Angles in florib. Theolog. qq. in 2. part. in. 4. in q. de reſtit. propter venationem, difficult. 1. Cæpol. de ſeruitutib. ruſtic. prædior. cap. de columbario. Couarr in d. §. 8. numero 14. verſ. Tertio, ex hoc manifeſti iuris eſt & ſic communiter DD. ſentiunt. Si autem columbæ amittant, & non ſeruent conſuetudinem redeundi ad ſua columbaria, tunc acquiruntur capienti. Syluestres autem columbæ, quæ ſub nullius ſunt dominio, etiam fiunt capientis. Concors etiam eſt omnium DD. ſententia, non eſſe licitum habere columbaria, cum perniciè & notabili aliorum dãno, vt ſi aluntur in tanto numero, vt vicinorum ſeminibus & agris noceant. Tunc enim dominus teneretur ad ſatisfaciendum, pro quantitate damni illati.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

CAPITVLVM QVINTVM.

Si egreſſus ignis comprehenderit aceruos frugum, ſiue ſtantes ſegetes in agris: reddet damnum qui ignem accenderit. Exod. 22.

tiam tendere videtur communis opinio, cuius mentionem fecimus, quod inferior à ſupremo principe non poſsit venationem prohibere vniuerſaliter, per legem & conſtitutionem, vt Couarr. etiam exiſtimat, vel quod ſi de ſuperiori intelligatur, eum id facere non poſſe pro priuata vtilitate, & proprio commodo.

Nona Concluſio. *Vbi antiquitus alicui ciuitati, aut alicuius dominij ſubditis, aut loco, communis fuit venandi libertas, dominus ſuperiorem recognoſcens, non poteſt eos priuare hac libertate, faciendo prohibitionem niſi ſubditorum liber conſenſus accedat.* Hanc concluſionem tenent Antoninus, Ioannes Andreas Hoſtien. & Cardinal. in cap. Non eſt, de decimis & alij quorum ſupra mentionem fecimus. Probatur concluſio. Tales iure diuino, & humano ſunt capaces, iuris venandi, vt ex ſuperioribus conſtat, & iuſtè tanquam ſuum proprium poſſident. Ergo non poſſunt eo priuari, per dominum inferiorem. Cum hæc poteſtas non reſideat in eo.

Decima Concluſio. *Quando aliquis dominus in ſuo dominio, aut aliquo certo loco, à ſupremo principe, vel alio iuſtè poſsidente ius venandi, aut conſenſu totius populi libero à metu, aut præſcriptione legitima, acquiſiuit ius venandi in ſolidum, ita vt nullus alius venari poſsit, is prohibere poteſt alijs, tam ſubditis, quam non ſubditis ne in locis vbi id iuris poſsidet, venentur.* Hanc docent Gabriel,

briel. in 4. d. 15. q. 5. concluſione 5. corrolario 1. Ioannes Medina in d. q. 12. Stephanus Bertrand. in conſ. 255. volum. 1. Couarruuias vbi ſupra. Nauarrus in manuali confeſ. ſariorum capite 17. numero 120. nec poteſt eſſe dubium in hac re. His enim modis acquiritur iuris venandi dominium, quo acquiſito, poteſt quis alium per prohibitionem impedire, ne eum in ſuo iure perturbet, aut ei nocumentum inferat. Dictum in concluſione (libero conſenſu à metu, & præſcriptione legitima.) Quia ſi conſenſus per violentiam, & metum iuſtum extorqueretur, parum prodeſſet ad hunc effectum. Eadem eſt ratio de præſcriptione, ſi à Tyrannide initium ſumeret, & continuaretur, non eſſet legitima, nec aliquod ius ita præſcriptionem alleganti tribueret, vt plerique Doctores benè iudicant. Ad legitimè autem præſcribendum venandi ius, & ſeruitutem, requiritur tempus, de cuius initio memoria non ſit, vt in hac ſpecie tradidere Medina in d. q. 12. Caietan. in ſumma, verbo. Venatio, in fine. Aurea Armilla in eodem verb. Couarr. loco cit. Zaſius in conſil. 6. incip. Illuſtris. libr. 2. & poſt eum Andreas Gaill. practic. obſeruat. lib. 2. obſeruat. 66. num. 7. Ratio eſt, quoniam venationis exercitiũ, eſt ſeruitus diſcontinua, cum ſine hominũ actibus, qui diſcõtinui ſunt, venationes exerceri nequeant. Seruitutes autõ

cauſam diſcontinuam habentes, non præſcribuntur niſi tempore immemorabili. L. 1. §. fin. ff. de aqua pluu. arcend. Gloſſ. ibidem in verb. quam diu. L. Seruitutes 4. ff. de ſeruit. & hæc eſt communis Gloſſarum & DD. doctrina vt latius ſupra in hoc cap. q. 2. concl. 6. in fine de præſcriptione iuris paſcendi oſtenſum eſt.

Vndecima Concluſio. *Principes, vel alij inferiores ſi prohibeant venationem in locis publicis, vel etiam priuatis, ſiue proprijs, & ex eorum prohibitione, ferarum numerus excreſcat in tantum, vt ſegetibus, & frugibus ſiue maturis, ſiue immaturis damnum notabile inferant, aut alio modo ſunt cauſa, vt feræ noceant ſubditis, & ruſticis in agris ſuis, tenentur ad reſtitutionem omnium damnorum ſic illatorum.* Hanc tenent Cardinalis Caietan. in tract. 17. Reſponſ. cap. 12. in dub. 5. Nauarr. loco cit. Couarruuias in d. §. 8. num. 11. Sotus vbi ſupra. Andr. Gaill. in d. lib. 2. obſeruat. 68. num. 10. allegata etiam ſententia Dominici à Soto, quam iuri & æquitati conſentaneam, pulchrè oſtendit in hunc modum: Aut feræ beſtiæ iure gentium, ſunt communes omnibus iuxta text. in L. 1. & 2. ff. de acquir. rerum domin. & in §. feræ. Inſtit. de rerum diuiſ. text. in L. Iniuriarum. §. fin. ff. de iniurijs: Aut ſunt propriæ dominorum prohibentium. Si iure gentium cõmunes omnibus, in nullius erunt dominio, & ideo occupantium fiunt, & venatio omnibus permiſſa erit, per iura allegata. Si vero pro-

ro propriæ dominorum; tunc ad æſtimationem damni dati vtili L. Aquiliæ, vel de paſtu pecoris actione, aut ex edicto, ſi quadrupes pauperiem feciſſe dicatur, merito tenentur, text. in cap. fin. §. Quod ſi animalia, de iniurijs & damno dato. Gloſſ. ibidẽ in verb. Animalia. text. in L. fin. C. ad legem Aquil. & in L. Quamuis. ff. eod. Gloſſ. ibid. in verb. Actiones, & in L. Qui ſeruandarũ. ff. de præſcript. verb. Permittant igitur domini ſyluarum, cõmuni iure gentium, omnibus permiſſam venandi libertatem, per iura allegata, & text. ſingul. in l. 2. §. Item feras beſtias. ff. de acquir. vel amitt. poſſeſ. vbi dicitur, feras, quæ in ſyluis circum ſeptis euagantur, à nobis non poſſideri, ſed naturali libertati relinqui, & per conſequens occupantium fieri, text in L. naturalem. §. Ceruos quoque. ff. de acquir. rerũ domin. Aut damnum à feris datum plenè reſarciant, ne cum diuite Euangelico pereant. Nonnulli enim ita ſunt efferati Actæones, vt vix ſubditis, feras beſtias ex proprijs eorum agris ſtantibus, & pendentibus adhuc fructibus, abigere, & latratores moloſsos habere permittant. Sic ille D. Contractius idem ad propoſitum format argumentum Gabriel. in d. q. 5. corrolario 2. Aut feræ ſunt in bonis dominorum, aut non, ſed in nullius. Si ſecundum, tunc concedantur occupanti, & capienti, & per conſequens, iniuſtè prohibentur ab eorũ captione. Si primum, tenentur cauere ne dam-

damnificent pauperes; aut damna reſtituere, non minus quam de animalibus domeſticis: neq; cóſuetudo, aut cóſtitutio aliqua humana tollere poteſt legé naturæ, & ideo prohibitio contraria eſt iniqua. Hæc Gabriel, Omiſsis his concluſio nunc ratione efficaci probatur. Qui cauſam damni dat, damnú dediſſe dicitur per regulam vulgatá. At tales domini ſua prohibitione, iniuſtè cauſam damni illati proximo dant, vt concluſio præſupponit. Ergo tenentur ad recompenſationem damni dati. Quia omnis qui eſt cauſa, vt proximo contra iuſtitiam detur damnum, tenetur reſtituere, ſecundum legem naturalem, & diuinam. Couarr. dicit eos qui prohibita venatione, cauſam dederint animalium multitudini, & deinde ex hoc vicinorum prędiorum damno, teneri, vel illas feras includere, aut earum multitudinem diminuere, vel permittere liberam venationé, aut illatum damnum ſoluere, arg. text in l. 2. §. vlt. ff. Si quadrupes pauperiem. L. Item Mela. §. Item cum eo. ff. ad legem Aquil. L. Hi enim L. Generaliter. & L. Qua vulgo. ff. de ædilit. edicto. & eorum quæ notant Romanus ſingul. 704. Innocent. Abbas & DD. in cap. Ad audientiam, de homicid. Semper hoc ſtatuendum firmiter eſt, quod damno dato, non aliter ſubuenitur quam per reſtitutioné, aut recópenſationé, qua inæquale fit æquale, & iniuſtum redditur iuſtum, niſi damno affectus, liberè ſine metu, & violentia remittat.

Parum

Parū etiam vt benè Nauarrus ait; prodeſt quibuſd im a ꝓnatibus dicere ſępius, ſe reſtituturos eiuſmodi damna, & nunquam reſtituunt. Et principes ſeu alij domini, ſua prohibitiōe, dãtes cauſam ſic damni per feras, ſi non reſtituãt, & tollant damni cauſam, non ſunt abſoluẽdi à Confeſſoribus ſuis, vt Caietan. loc. cit. docet.

Duodecima Concluſio. *Venatores, conculcantes & proterentes, venationis cauſa, ſegetes ſubditorum & pauperum, aut notabile damnum fructibus inferentes, tenentur ad reſtitutionem damnorum, pro iuſta æſtimatione, idque ſub pœna peccati mortalis.* Angelus, & Sylueſt. in verb. Venatio poſt Aſtenſem in ſumma. Couarr. in d. §. 8. num. 11. verſ. Præterea licet, & alij alibi. Ratio efficax ducitur ex ratione cōmuni. Quicunque proximum damno afficit cōtra iuſtitiam, tenetur ad recompenſationem damni. Cum ergo tales iniuſtè damnum inferant agris, ſegetibus, & fructibut, idq; redundet in iniuriam & perniciem proximi, merito tenentur ad ſatisfactionẽ pro dãno illato. Vnde & iuſtiſsima eſt illa apud Saxones conſtitutio lib. 2. art. 61. in fine. Vt nemo venationis gratia ſegetẽ, alterius cōculcet, aut ꝓterat, quæ iã in articulos ſurrexit.

Decima tertia Concluſio. *Venantes, aut feras capientes contra prohibitionem factã, quæ adhuc in nullius ſunt poteſtate, & dominio, non tenentur ad reſtitutionem eius, quod acquirunt, id eſt ad reſtituendum animalia ſylueſtria capta.* Hanc tenent cōmuniter DD. Sotus, Medina, Nauarrus Couarruu. Petrus à

Nauarra.

Nauarra. Roland. à Valle in d. Conſil. 9. à numero 21. & alij alibi. Ratio huius concluſionis eſt; Si capta per venationem prohibitam reſtituenda eſſent, id foret propter violatam iuſtitiam commutatiuam; ſed in tali venatione non infringitur iuſtitia commutatiua: cum non detur damnum alteri, nec ex huiuſmodi ferarum captione, alteri quod ſuum ſit, auferatur. Feræ enim omnium conſenſu, de iure ſunt communes, & fiunt per apprehenſionem tandem capientium. §. Feræ. Inſtit de rerum diuiſ. cuius §. Hæc ſunt verba: Feræ igitur beſtiæ, volucres, piſces, & omnia animalia, quæ in mari, cœlo & terra naſcuntur, ſimul atque ab aliquo capta fuerint, iure gentium ſtatim illius eſſe incipiunt: quod enim ante nullius eſt, id ratione naturali, occupanti conceditur: nec intereſt feras, beſtias, & volucres vtrum in fundo ſuo quiſquam capiat, an in alieno. l. 1. & ſeq. ff. de acquir. rerum domin. Atque ſic feras captas effici capientium, etiam prohibita venatione ſentiunt Gloſſ. in L. Diuus Pius. ff. de ſeruit. ruſtic. prædior. Bartol. Paulus Caſtren. Angelus & alij cõmuniter Gloſſam approbantes ibidem. Cæpol. de ſeruitutibus ruſtic. prædior. in cap. 21. in rubr. de aucupatione. Roland. à. Valle in d. conſ. 9. numero. 21. Felin. in cap. Omnes leges. col. fin. d. 1. Couarr. in d. §. 8. numero 4. atque hæc opinio communis eſt vt idem Couarr. poſt alios tradit. Ea de cauſa meritò receditur à

Gloſſa

Gloſſa in d. §. Feræ. quam tamē Faber & Claudius Cantiunc. ibidem. Iacobinus à S. Georgio in tract. feud. in §. Et cum venationibus videntur amplecti, & ſequi pro hac parte, quod capta in venatione prohibita, per iudicem non fiant capientium. Quorum ſententia falſa eſt vt Couarr. obſeruat, niſi in hunc ſenſum intelligatur, quod per iudicem poſsint tolli à capientibus in pœnam criminis, tum quod alienum fundum ingreſsi, ad venandū, tum quod iudicis præceptum cui obtemperare debebant, cōtempſerint. Præſentem coclusiōnem etſi Couarruuias ad forum conſcientiæ reſtringere videatur, tamen putamus in vtroque foro interiori & exteriori obtinere, tum ob rationem, tum ob ll. & Iuriſperitorū auctoritatem, de quibus ſupra, non diſtinguunt, ſed à fortiori in foro fori procedunt.

Decimaquarta Concluſio. *Si quis feram vulnerauerit, aut vſq; ad mortem laſerit, ſi euaſerit ac ab eo non capiatur & apprehendatur, ſed ab alio, non vulnerantis lædentiſq;, ſed capientis efficitur.* Bartol. in L. Quominus. q. 5. ff. de fluminibus. Cæpol in d. cap. 21. Couarr. loco cit. num. 13. & alij alibi. Hæc concluſio fundatur in §. Illud quæſitum. Inſtit. de rerum diuiſ. & in L. Naturalē. §. Illud. de acquir. rer. dominio. Sed vbi conſuetudine, & ſtatutis municipalibus aliter cautum, ijs ſtandum eſt, & ſic Gloſſ. in L. Naturalem. §. Illud. conſuetudine ſeruari exiſtimat, vt fera ſit vulnerantis & percutientis. Cō-

cluſio

cluſio eſt iuris, ſi in contrariũ alibi vigeat conſuetudo, ſeruetur. Eadem eſt ratio, ſi feræ capiantur laqueo, aut alio inſtrumento, feræ ſpectabunt, non ad ponentẽ laqueũ aut inſtrumẽtum, niſi ipſe capiat, ſed ad aliũ inuenientẽ & capientem, iuxta L. In laqueum. ff. de acquir. rerum domin. *Hic dubium eſſe poteſt. Quid ſi lupus apprehendat ouem alterius, aut pecudem, venit alius obuiam lupo, eripitq; ex faucibus illius, an teneatur prædam lupo ereptam reſtituere priori domino?* Reſpondet huic dubio, Cæpol. in d. c. 21. quod ſic; per text. notabilũ in L. Pomponius. ff. de acquirend. rerum domin. *Aliud dubium. Quid ſi aliquis in ſuo fundo, aut nemore vulnere mortiferò feram beſtiam affecit, quæ tamen adhuc manus eius effugit, in vicini fundum, aut ſyluam, antequam cadat, an licitum ſit eam perſequi, & apprehendere in alienó fundo?* Eadem eſt ratio; Cepit aliquis venari in proprio nemore, canes feram inuadunt, ac fortiter perſequuntur in propinquam vicini ſyluam, eamque ibi proſternunt, an licet eam ſequi, & capere è faucibus canum? Reſpondetur, quod licitum ſit ſtatim, feram perſequi etiam in alienum fundum & ſyluam, & eam capere per text. in d. §. Illud quæſitum, & in d. L. Naturalem. §. 1. iuncta Gloſſa. Ioannes à Platea & alij in d. §. Illud quæſitum. Cui conſonat etiam text. iuris Saxonici in art. 61. lib. 2. qui è Germanico ideomate, ſic vertitur à Ioanne Schneidevvino in d. §. Feræ. numero 4.

Venatur

Venatur quis feram ex nemore ſuo, & canes illam perſequuntur in alienam ſyluam, tunc & ipſe ſequi poteſt, abſque temen inflatu corniculi venatorij, & incitatione canum, & ſi feram capiat non delinquit, caneſq; ſuos ſibi reuocare licet. Sic ibi. In hac re tamen attendenda conſuetudo venatorũ, vt Platea & alij volunt. Solent diuerſæ eſſe praxes variorum locorum. In quibuſdam locis, ſi quis feram ſic inſequatur, & in alieno ſũdo capiat, caput, aut alia pars ſolet dari in recognitionẽ fundi, domino loci, in quo capitur, & proſternitur.

Decimaquinta Concluſio. *Qui feras beſtias venatur, & capit in loco clauſo & ſepto, vbi ſub cuſtodia domini ſunt, nec exitus illis patet, ſed pro voluntate domini eiuſq; commoditate capi poſſunt, furtum committit, & tenetur ad reſtitutionem animalis capti, vel eius æſtimationem.* Hanc tenent Medina & Sotus loc. cit. Ioſephus Angles in florib. Theolog. qq. in 4. part. 2. in q. de reſtitut. propter venationem, Nauarr. in manuali confeſſariorum. cap. 17. num. 121. & 128. Stephan. Bertrand. in conſil. 255. num. 8. vol. 1. Couarruuias loco cit. num. 14. Andr. Gaill. practicarum obſeruat. libro ſecundo obſeruat. 68. numero 12. nec eſt qui diſſentiat. Ratio eſt, quoniam huiuſmodi animalia ſunt in dominio, poſſeſsione ac cuſtodia domini, & quaſi capta, nec domini cuſtodiã euadere poſſũt. Ea de cauſa ſi quis in loco ſic clauſo aliquod animal ceperit, dominus aduerſus eũ furti actionem in-

nem inſtituere. §. Gallinarium. Inſtit. de rerum diuiſ. & L. Vſu fructuarium. ff. de vſu fruct. aut ad damni recompenſationem agere poterit, non ſecus ac ſi domeſticum aliquod animal occidiſſet. Eadem ratione tenetur, qui capit alquod ſylueſtre animal quod ita conſeruatur quaſi domeſticum & manſuetum, tamen exit, ſolitũ tamen redire ad ſuum locũ. Inſtit. de rer. diuiſ. §. Pauonum. L. Natnralẽ. §. Ceruos. ff. de acquir. rerum domin. Sic ſi quis alat domi ſuæ ceruum hominum frequenti vſu quaſi manſuetũ factum, qui ſæpius agros petat ad quærendum paſcua, ita tamen vt ſemper redeat in domini cuſtodiam, non licet alteri eum capere. Et animalia ſic cicurata quãdiu retinent animum & conſuetudinem reuertendi, noſtra ſunt. Si autem fugam ita arripiant, vt nulla ſpes reuertendi appareat, ſed conſpectum longe effugiant, & in naturalem libertatem redeant, domini eſſe deſinunt, & rurſus fiunt occupantis.

Decimaſexta Concluſio. *Domini, pœna mortis, aut mutilationis afficientes, feras capientes contra prohibitionem in locis publicis, grauiſsimè peccant, & crudeliter agunt, nſi ruſtici conſueti ſint facere, & contumaces reperiantur.* Hanc tenent Angel. Sylueſt. & Aurea Armilla, poſt Aſtenſem in ſumma in verb. Venatio. Dominic. à Soto lib. 4. de iuſtit. & iure. q. 6. art. 4. Martin. Nauarr. in manuali confeſſar. cap. 17. numero 121. Andreas Gaill. pract. obſeruat. lib. 2. obſeruat. 68. num.

num. 10. Schneidevvinus in d. §. Feræ. num. 10. VVeſenbecius in annotat. ad Schneid. ibidem, per text. optimum iuris Saxonici lib. 2. art. 61. dum dicitur: Quando DEVS creabat hominem, poteſtatem ei concedebat ſuper omnia animalia, piſces ac volucres. Quare teſtimonium diuinum habemus, neminem eorum cauſa pœnã capitalem, vel aliam corporalẽ mereri poſſe. Sic ibi. Ratio pro hac cõcluſione eſt ex iure diuino, naturali & gentium. Feræ omni iure ſunt communes, & fiunt iure gentium capientium, nec in vllius ſunt poſſeſſione aut dominio, antequam capiantur. Ergo nequaquam capiens ſic, furtum committit. Cum prohibitio nec domino prohibenti dominium tribuat, nec capientem ab acquirendo impediat, vt ex ſuperioribus plenè cõſtat; Inhumanum eſt audire, & turcica Tyrannide grauius, apud Chriſtianos reperiri dominos & domicellos, qui quãdo pauperes ruſtici, aliquando neceſsitate famis coacti, aliquam feram proſternunt in ſyluis, grauiſsimis & ſeueritate excogitatis pœnis, excruciant, nec memores ſunt ruſticos eſſe homines, ad imaginem DEI creatos, eiuſdem hæreditatis participes, eiuſdemque iuris venãdi capaces. Vtinam domini, vt verbis Gabriel. in 4. d. 15. q. 5. corrolar. 3. vtar, qui multis modis & excogitatis inuentionibus innumeris, ſuos ſubditos grauant, & excoriant, non verè defenſores domini, ſed prædones & tyranni, attenderent,

ex priuato & proprio columbario educunt, & capiunt, furti tenentur, & ad reſtitutionẽ, aut damni emendationem pro æſtimatione. Ioan. Medina in d.q. 12. corrolar. 6. ſub lit. C. Dominic. à Soto in d. art. 4. non longe à fine. Nauarr. vbi ſupra, à nũ. 127. Ioſephus Angles in florib. Theolog. qq. in 2. part. in. 4. in q. de reſtit. propter venationem, difficult. 1. Cæpol. de ſeruitutib. ruſtic. prædior. cap. de columbario. Couarr in d. §. 8. numero 14. verſ. Tertio, ex hoc manifeſti iuris eſt & ſic communiter DD. ſentiunt. Si autem columbæ amittant, & non ſeruent conſuetudinem redeundi ad ſua columbaria, tunc acquiruntur capienti. Syluestres autem columbæ, quæ ſub nullius ſunt dominio, etiam fiunt capientis. Concors etiam eſt omnium DD. ſententia, non eſſe licitum habere columbaria, cum perniciè & notabili aliorum dãno, vt ſi aluntur in tanto numero, vt vicinorum ſeminibus & agris noceant. Tunc enim dominus teneretur ad ſatisfaciendum, pro quantitate damni illati.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAPITVLVM QVINTVM.

Si egreſſus ignis comprehenderit aceruos frugum, ſiue ſtantes ſegetes in agris: reddet damnum qui ignem accenderit. Exod. 22.

CAPITVLVM SEXTVM.

Si quis domum, vel aream cuiuſque incenderit voluntariè: ſublata & incenſa omnia reſtituat, & tres annos pœniteat. Ex pœnitentiali Romano.

CAP. Si egreſſus; caſus eſt. Si aliquis appoſuerit ignẽ in agro ſuo, & damnum dederit in ſegetes vicini ſui, damnum reſtituet. Non enim in hoc capite ſermo eſt de incendio ex intentione, quemadmodum in ſequenti, ſed quando quis ignem in ſuo agro poſuit, ad aliquem vſum ſibi neceſſarium, & ob culpam ſuam, & negligentiam ignis, latius terminos tranſijt, & incendit ſegetes in vicinis agris, aut frumenta iam arida ad meſſem. Si quis autem in nulla ſit culpa, ſed caſus fortuitus det damnum incendio, vtpote ligna ſui agri tranquillo flante aëre incendit, & iam lignis accenſis, vehemens ventus irruit, & violentia in alienos agros ignem impellit, non eſt locus huic cap.

In cap. Si quis domum, de voluntario incendio agitur, vbi hoc aduertendum, quod per ſolam damni emendationem, non tollitur ratio culpæ & peccati, ſed etiã requiritur pœnitentia & ſatisfactio. Quoniam hæc duo capita circa eandem materiam verſantur, etiam eorum doctrina coniungetur. Sit ergo.

QVAE-

QVAESTIO PRIMA.

Qui cauſam incendio dedit, aut eius auctor eſt, ad quid tenetur, & quomodo puniendus incendiarius?

ANTEQVAM ad reſolutionem deſcendamus, quædam ſunt præmittenda, ad pleniorem ſequentium cognitionem.

Primum. Tribus potiſsimum modis, incendium committi poteſt, vt colligitur ex his canonibus & paſsim ex ll. allegandis & DD. Baldo, Salyc. & alijs in l. Data opera. C. de his qui accuſ. non poſſunt. Bartol. in l. 1. de offic. præfect. Vig. Ang. in tract. maleſic. verb. Incendiario. Bertachino in repert. in verb. Incendium, & alijs alibi. Primo dolo, quando quis dolo, intentione, & data opera, aliorum domos & ædes, nec non horrea, aut bona, igne incendit: & hic magis propriè dicitur incendiarius, qui ſic definitur ab Angel. Sylueſt. & alijs Summiſtis in verb. Incendiarius, poſt Hoſtien. & Goffred. Incendiarius propriè dicitur ille, qui ciuitatem, caſtrum, domum, ſegetem, & ſimilia aliena incendit malo ſtudio, vt odio vel vindicta, vel animo iniuriandi, vt in cap. peſsimam. 24. q. 8. 12. q. 1. cap. Cum deuotiſsimam & in his cap. Eadem eſt ratio de illo, qui ſcienter, & doloſè, conſilium & auxilium dederit, vt alius incenderet. Dictũ

(malo ſtudio) Quia ſi quis in iuſto bello, ex mandato ſuperioris, hoſtiũ bona, quæ eis adiumento adfouendum, & protrahendum bellum eſſe poſſunt, etiam data opera accendat, quando id maturo conſilio, & non Tyrannico furore impellente, ad belli finem conſequendum neceſſarium iudicatur, non eſt incendiarius cẽſendus. Secundo incendium dicitur committi culpa, quando quis non quidem data opera ædes alienas, aut bona incendit, ſed tamen cauſa incendij eſt per ſuam culpabilem negligentiam, vtpote quia ignem adhibuit in aliquo, periculoſiſsimo loco, aut bõbardam, tempore ſiccitatis, emiſit in alterius tectum ſtramineum, ad interficiendum miluum, rapientem pullum, & ita domum incendit. Tertio modo, incendium originem trahere poteſt ex caſu fortuito, vt ſi fulmen ex aëre deſcendat, & horreum incendat, vt exemplum adhibent Raphael Fulgoſ. in L. Si vendita ff. de periculo & commodo rei vendit. Alber. in L. Fiſtulas. §. fin. ff. de contrahend. empt. Marſil. in l. 1. num. 118. ff. ad L. Cornel. de Sicar. & poſt hos Menoch. de arbit. iudic. qq. lib. 2. caſ. 390. num. 2. Aut ſereno aëre quis ceſpites in agro ſuo incẽdit, poſtmodum vehemens & inſolitus ventus inſurgit, & ignem contra omnium expectationem, & defenſionẽ impellit in aliena frumenta, iam ſicca & matura, aut in ſyluam vicinam, quæ etiam incenditur & pro parte comburitur.

Secundo loco præmittendum, quod latius deductum & expoſitum, in ſecunda parte Rubric. quod culpa alia dicitur lata, alia leuis, alia leuiſsima.

Tertium. Eadem accenſio domus, reſpectu diuerſorum poteſt eſſe volita ſiue intenta, aut culpabilis: & fortuita. Vt ſi incendiarius incẽdat ſtudio alterius domum, eo nihil minus cogitante qui inhabitat, tunc incendium eſt culpabile & doloſum, reſpectu incendiarij, fortuitum vero contemplatione inhabitantis domum, vt præ alijs obſeruauit Martinus Nauarr. in manuali confeſſar. cap. 17. numero 178. Eadem eſt ratio, ſi hoſpes immoderatum & inſolitum ignem, tempore hyemis inſtruat, & ſic ſcintillæ craſſæ & incenſæ aſcendunt, & tandem dilabuntur vento in vicini fœnile, & accendunt: hoc incendium reſpectu hoſpitis eſt culpabile: quippe qui immoderatum ignẽ inſtruxit, & cogitare debebat de damno, quod facile inde emergere poſsit; intuitu autem domini ad quem fœnile ſpectat, omnino fortuitum eſt: Vnde etiam ſi ignis ex fœnili ſuo, dilabatur in aliam vicini ſui domum, ipſe ad nihil tenebitur, nec ſibi in aliquo imputari debet ad culpam & pœnam.

Quartum. Quæ caſu & fortuito contingunt, in quantum huiuſmodi ſunt, non ſunt peccata, nec imputantur ap culpam & pœnam iuxta doctrinam S. Thomæ receptam 2. 2. q. 64. art. 8, quam explicant ibidem Caietã. & Sotus

lib. 5. de iuſtit. & iure. q. 1. art. 9. concl. 1. & Didac. Couarr. in relect. Clem. Si furioſus, de homic. part. 2. §. 4. à princ. Vnde regulariter nemo tenetur de damno, caſu & fortuito contingente: Cum caſus fortuiti ſint præter intentionem & voluntatem, nec vllum hominum conſilium eos prouidere poſsit. text. in cap. fin. de homic. Gloſſ. ibidem in verb. Non poſſunt. & cap. vnic. de commodat. L. Quæ fortuitis caſibus. C. de pignorat. actione. & L. 2. §. Si eo tempore. ff. de adminiſtr. rer. ad ciuitat. pertinent. Dictum, quod nemo regulariter tenetur: Quia hæc regula fallit, ſi culpa aut mora caſus fortuitos præcedat, aut etiam pactum, quod quis teneatur in omnem euentum. Gloſſ. in cap. fin. de homicid. & in d. cap. vnic. de commod. & cap. 2. de depoſ. & DD. ibidem. Ex his intelligitur definitio caſus fortuiti, quam ponit Panormit. in d. cap. vnic. & poſt eum Angel. Sylueſt. & Aurea Armilla & alij in ſummis in verb. Caſus fortuitus, dum eum ſic definiunt, eſt inopinatus rei euentus, qui præuideri non poteſt ex L. In rebus commodatis in princip. ff. commodat.

Quintum. Caſus ſeu euentus, qui ſequitur ex aliquo opere, non ab ipſo operante præcogitatus, nec in ſe præuiſus, ſed præter intentionem contingens, imputatur operanti, ſi ille caſus, ſiue euentus per ſe neceſſario ſequitur ex primo opere, aut ſaltem vt plurimum, & frequentiſsimè

quentiſsimè ex illo euenit, aut euenire ſolet, vt colligitur ex ſententia S. Thomæ 1. 2. q. 20. art. 5. quam accuratè ibidē explicant. Caietan. Bartol. Medina & Gregor. de Valentia. In quam ſententiam doctores deſcendunt, quando docent, quomodo homicidium caſuale imputetur ad peccatum, & irregularitatem, ſi quis operā det rei illicitæ, non enim id vniuerſaliter verum contendunt, cōtra quorundam minus rectè ſentientium iudicium, ſed quando illa operatio illicita, ex ſua natura ordinata eſt ad homicidium, vel mutilationem; ita vt talis effectus neceſſario ſemper, vel vt plurimum ſequatur tale exercitium actus illiciti, vt prę reliquis obſeruarunt Dominic. Sotus lib. 5. de iuſt. & iure. q. 1. art. 9. col. vlt. Alphonſus Caſtren. lib. 2. de poteſtate leg. pœnalis, cap. 14. col. antepenult. Bartol. Medina. in 1. 2. S. Thomæ q. 73. art. 8. Ioſeph. Angles in floribus Theolog. qq. in 4. ſentent. in q. de ſacram. ordinis art. 4. diffic. 2. Gregor. de Valent. in 1. 2. diſput. 6. q. 3. puncto. 3. & in 2. 2. diſputat. 5. q. 8. puncto. 5. & alij alibi, & ex iuriſperitis Marian. Socin. in cap. Ad audientiam, numero 4. de homicid. Petrus Anchar. & Philippus Franc. in cap. fin. de homic. in 6. Martin. Nauarr. in manuali confeſſ. cap. 27. num. 221. Fernand. Vaſq. illuſt. controuerſ. lib. 1. cap. 19. numero 15. Didac. Couarruu. in d. §. 4. num. 10. qui etiam pro hac ſententia allegat Gonſald. à Villadiego in tract. de irregularitate,

gularitate, cap. de percuſs. & hæc eſt communis opinio modernorum Theologorum, à qua nõ eſt recedendum, licet maior pars ſummiſtarum, & antiquorum canoniſtarum, maximam, & regulam putent in canonibus fundatam, homicidiam caſualem eſſe irregularẽ, quoties operam is dat rei illicitæ, ex qua etiam caſu & fortuito, ſequitur homicidium. Pro hoc præſuppoſito facit illa doctrina iuridica, quod culpa ad caſum minime præmeditatum non eſt conſiderabilis. cap. Quia diuerſitatem. de conceſs. præben. Gloſſ. ibidem in verb. ex culpa & in L. Is qui. ff. de action. & oblig. Bartol. L. 2. §. fin. §. Si quis cautionibus, & poſt eum Felin. in cap. Cum inter. numero. 20. de exception. Menoch. libro 2. de arbitr. iudic. qq. caſu. 325. numero 10. & alij alibi, quæ doctrina vtique intelligenda eſt, quando culpa ex ſua natura non ordinatur, nec dirigitur ad caſum iuxta prædicta: Si autem culpa ex ſua natura, ad caſum fortuitum, & euentum ordinata ſit, nocet committenti, & imputatur, arg. eorum quæ habentur cap. fin. de homicid. in 6. cap. vnic. de Commod. & c. Bona fides, de depoſito. L. Quoniam multi. C. ad L. Iul. de vi publ. L. Qui occidit. §. in hac quoque ff. ad L. Aquil. L. 1. §. Ex incendio. ff de incend. ruina & naufrag. & probant alia multa, quæ doctè Andreas Gaill. practic. obſeruationum libro ſecundo obſeruat. 22. num. 7. adducit. Nunc quæ-

ſtio nõ-

ſtio noſtra per concluſiones reſoluenda.

Prima Concluſio. *Qui dolo, & ex propoſito incendium committit, grauiſsimè peccat, & ad reſtitutionem omnium damnorum, quæ inde emergunt in conſcientia tenetur.* Concluſionem communiter docent DD. in his cap. S. Antonin. 3. part. tit. 4. cap. 2. §. 2. Angel. Sylueſt. & alij in verb. Incendiarius. Hæc concluſio ſatis apertè probatur ex 23. q. 8. cap. Si quis membrorum, &c. Peſsimam. & per cap. præſentia. Ratio eſt euidens. Talis incendiarius grauiſsimè proximum contra iuſtitiam offendit, & eſt cauſa efficax damni illati, proximi. Ergo nō non ſolum grauiter peccat, ſed etiam tenetur ad reſtitutionem. Eadem eſt ratio ex dicto cap. Peſsimam; & alio adiuncto, de mandantibus, iuuantibus, conſulentibus, &c.

Secunda Concluſio. *Incendiarij huiuſmodi ſunt excommunicandi.* In hac concluſione nullus dubitat, & ſatis probatur ex DD. cap. Si quis membrorum. & cap. Peſsimam. & 12. q. 2. c. Cum deuotiſsimam. & cap. Tua de ſententia excommunic. S. Antoninus in tertia parte titul. 24. cap. 11. Sylueſter. in verb. Incendiarius. q. 1. Bernardus Diaz, in practica canonica de incendio, capite 98. Turrecremata in d. cap. Peſsimam. Damhauder. in rerum crimin. praxi cap. 103. num. 14. & ſic cōmuniter DD. ſentiunt. *An autem incendiarius Eccleſiæ aut loci ſacri, excōmunicatus ſit ipſo iure, doctores non cōueniunt.* S. Anton. loc. cit. Gloſſ. Panor. & alij

& alij communiter in d. cap. Tua Sylueſt. in verb. Excommunicatio 7. Septima excómunicatione. num. 13. Felician. Epiſcopus Scalē. de cenſuris de excommunic. cap. 24. & alij alibi, putant incendiarios Eccleſiarum & locorum ſacrorum, ipſo iure excommunicatos. Cardinalis Caietan. in ſumma. verb. Excommunicatio cap. 22. Aurea Armilla in eodem verb. excomm. 23. & Nauarr. in manuali confeſſar. cap. 27. num. 94. Volunt etiam incendiarios Eccleſiarum & locorum ſacrorum, nó eſſe excommunicatos aliquo canone: cum vt Caietan. obſeruauit, & poſt eum Nauarr. canonum obſeruantiſsimus, & callentiſsimus aduertit, nullus ſit canon qui excommunicet incendiarios, etiam Eccleſiarum. Poteſt autē fieri, quod incendiarius, cóſuetudine alicuius particularis Eccleſiæ, vel ſtatuto, excōmunicatus habeatur ipſo facto. Quando autē per ſententiam Epiſcopi, aut per ſtatutum incendiarius excōmunicatus, & etiā denunciatus, tunc abſolutio eſt reſeruata Pontifici in d. cap. Tua: de ſententia excommunicationis. Et quando Eccleſia cóſecrata eſt, incendiarius quindecim annis pœnitentiam agere debet. cap. Si quis Eccleſiam 18. q. 4. Si autem alias ſit incendiarius non rei Eccleſiaſticæ tum tribus annis pœniteat iuxta hoc cap. Si quis domúm. Iniungenda etiam aliquando peregrinatio Hieroſolymitana, aut ad S. Iacobum in d. cap. Si quis membrorum, & c. Peſsimam.

Tertia

Tertia Concluſio. *In foro canonico contentioſo, incendiarius puniendus pœna, ad arbitriũ iudicis.* Bernardus Diaz. loco cit. Antonius Cuchius in inſtitutionibus canonicis, libro 4. ſub rubr. de diuerſis delictis. verſic. Qui incendium. Damhauder. vbi ſupra num. fin. Menochius lib. 2. de arbitr. iudicum qq. caſu. 390. num. 39. Iudex autem conſideratis circumſtantijs rerum, & perſonarum, [a] ſuum iudicium formabit, adhibendo etiam cenſuram canonum, in hoc crimine, & alijs ſimilibus.

Quarta Concluſio. *Etiam de iure ciuili, qui incendium committit doloſè, & mala intentione, tenetur damnum emendare ante omnia.* Bald. in L. Data opera. num. 4. C. de his qui accuſare non poſs. Menochius in dict. caſu. 390. num. 26. & ſeq. Henningius in conſ. 2. de incendio. à num. 4. vndecimo vol. Andr. Gaill. obſeruat. practicar. lib. 2. obſeru. 21. & 22. & hæc eſt communis DD. opinio, vt latius conſtabit ex ſequentibus & probatur Inſtit. de lege Aquilia, §. Capite tertio, vbi ex tertio capite L. Aquil. tenetur is, cuius dolo & culpa aliquid igne perijt & exuſtum eſt. L. Si ſeruus ſeruum. §. Si fornicarius. ff. ad L. Aquil. & L. Capitalium §. Incendiarij cum alijs ſimilibus. Hinc ſecundum DD. iniuriam paſſus poteſt agere ex L. Aquil. ad emendationem & reparationem damnorũ omnium, contra eum, qui dolo & culpa incendij cauſa fuit: nec immerito, cum talis incendiarius, etiam in foro conſcientiæ iure naturali

turali & diuino teneatur, ad reparationem damnorum, quorum iniuſtè cauſam dedit: quippe qui violauit iuſtitiam particularem, quæ iubet reddere & reparare iniquè ablata, & peruersè deperdita, in proximi iniuriam & perniciem. Hinc ſecundum Theologos non ſolum tenétur ad damna, ſed etiam ad reparationé rerum omniũ, quæ cauſa incendij deperditæ ſunt, arg. cap. fin. infra. Sic Angel. Syluеſter. Aurea Armilla, & alij in ſummis. verb. Incendiarius. & facit fortiſsimè pro hoc, regula ſæpius in hoc tit. repetita: Qui occaſionem damni dat, damnũ dediſſe dicitur. Eadem eſt ratio de eo, qui culpa lata incendium cõmiſit, is etiã tenetur damna emnendare.

Quinta Concluſio. *Si criminaliter agatur contra incendiarium doloſum, qui data opera incendium inſtituit, pœna mortis afficiendus eſt, ſi in ciuitate commiſſum ſit incendium, & magnum detrimentum intulerit.* In hac cõcluſione cõmuniter DD. conueniunt. Bald. in d.L. Data opera. Cynus ibidé. Bart. in L.1.ff. de offic. præfect. Vigil. Angel. de malefic. in verb. Incendiario. Bonifac. Vitalin. in tract. malefic. in tit. de incẽdiarijs. Dãhaud. loc. cit. Iul. Clar. lib.5. §. fin. pract. crim. q.68. num.20. Menoch. loc. cit. Angel. Syluеſt. & alij ſumiſtæ in verb. Incẽdiarius & probatur concluſio ex L. Capitalium. §. incendiarij. & §. Qui ob inimicitias. ff. de pœnis. L. Qui ædes. & L. fin. ff. de incẽdio, ruina & naufrag. & appellatione ædium omnis ſpecies ædificij cõti-

netur.

netur. Variæ autẽ mortis pœnæ, in ll. pro incendiarijs huiuſmodi ſtatuuntur. Si incẽdiarius eſt vilis perſona, & infimę cõditionis, igne cõburendus eſt, per L. d. Qui ædes vt Bald. interpretatur. in d. L. Data opera. & ſecundũ d. L. Capitaliũ. §. Qui ob inimicitias, viuus cõburẽdus eſt. Ratio à Baldo redditur. Quia qui incẽdio ignis multis mortem præparat, mortẽ quã alijs præparauit recipiat. arg. L. Saccularij in ſui ratione. ff. de extraordin. crimin. Vel ſecundum arbitrium iudicis beſtijs obijcitur. Hæ enim pœnæ æquiparantur, in dictis ll. Si autem perſona incendiarij ſit honeſta, & maioris ſtatus, & conditionis, capite mulctatur, per d. L. Capitalium. §. Nonnunquam. & §. incendiarij ſecundum Bald. in d. L. Data opera. & etiam ſecundũ L. Cornel. decapitatur. L. 1. ff. ad L. Corn. de ſiccar. Si vero incendiũ cõmittatur extra ciuitatem, & perſona honeſta & in dignitate conſtituta ſit, & incendiũ magnũ ſit, deportatur. Si autẽ perſona turpis, aut humilis decapitatur. Semper enim incendium in ciuitate perpetratũ grauius cẽſetur illo, quod in villa cõmittitur. De his Bald. loco cit. Sed nũc in varijs prouincijs, variæ ſunt cõſtitutiones de pœnis incendiariorũ. Apud Germanos iuxta cõſtitutionẽ Caroli V. in art. 125. viui exurendi ſunt. Et idẽ obſeruari in Brabantia Damhauder. vbi ſupra nũ. 9. atteſtatur. In Flãdria etiam igne cremantur, prius tamen ſtrangulati & enecti, idq; ex inolita conſuetudine

teſte

teſte eodem auctore. Iure etiam Saxonico, indiſtinctè cauetur, vt auctor eſt Ioan. Schneidevvinus in Inſtit. de lege Aquil. §. Capite tertio, vt incendiarij conductitij, quos in vulgari & germanico ideomate (Mordbrenner) appellamus, rota membratim contundantur. Reliqui vero ſimplices decapitentur, per text. in art. 13. lib. 2. de conſuetudine tamen nunc, etiam in terris Saxonicæ, igne necantur, & eſt ex conſtitut. 17. part. 4. Iulius Clar. loc. cit. dicit, ſi quis non ædes, ſed tugurium combureret, non eſſet mortis pœna afficiendus, & ita ait; Senatum quendam Paſqualem Curturellum, qui de incendio cuiuſdam tugurij conuictus fuerat, condemnaſse tantum ad triremes per biennium, 2. Auguſti 1559: De alio tamen Paulo de Molo refert, quod fuerit vltimo ſupplicio affectus, pro incendio poſito in fœnili 28. Nouemb. 1561. Hinc omnes pœnæ quæ in diuerſis prouincijs, vel conſuetudine, vel ſtatutis receptæ ſunt in legibus fundantur.

Sexta Concluſio. *Quando quis ex lata culpa, cauſa incendij fuit, & criminaliter contra talem procedîtur, punitur vel grauiſsima pœna pecuniaria, vel corporali, citra mortem tamen, & membri abſciſsionem.* Hanc docent Baldus in d. L. Data opera, & poſt Baldum, Menochius vbi ſupra numero 26. & ita in hoc caſu pœnam eſſe arbitrariam iudici hi DD. autumant, nec puto quod Salycetus Alberic. & alij diſſentiant, ibidem, quando vo-

do volunt talem leuius puniri, quam ſi doloſus eſſet. Bald. in d. L. num. 4. has rationes reddit. Primo lata culpa nõ infamat vt notatur Inſtitut. de ſuſpect. tutor. Ergo multo minus inducit pœnam mortis. Secundo ſi propter latam culpam, quis non excommunicatur. Ergo non debet mori, & notatur. ff. de in litẽ iurand. L. in actionibus.

Septima Concluſio. *Is qui leui culpa, cauſa eſt incendij, etiam criminali pœna puniri, & inquiſitio contra eundem formari poteſt.* Baldus & Menoch. vbi ſupra, & hic etiam alios allegat in hanc ſententiam; & Maranta in aurea praxi part. 4. diſt. 1. num. 88. Et in hoc caſu, iudicis etiam arbitrio, extra ordinem talis punitur. Secundum tamen Baldum & alios, requiritur vt hæc leuis culpa ſit in committendo, non omittendo: Neç immerito hæc differentia conſtituitur: Cum cæteris paribus, maior ſit culpa, quæ in committendo & faciendo cõſiſtit, quã ea quæ in omittendo ac negligendo verſatur, vt D. Thomas 2. 2. q. 79. art. 4. communiter à ſuis commentatoribus ibidem receptus recte tradit, & ad propoſitum Didac. Couarr. in Epitom. de ſponſalibus & matrim. 2. part. cap. 6. §. 8. num. 17. annotauit, & etiam ſentiunt Bartol. in L. Si mora. num. 10 ff. Soluto matrimonio. Alexand. ibidem numero 16. Bald. in d. L. Data opera. numero 5. Angel. in tract. malefic. in verb. Incendiario; dum docet quod maior culpa eſt facere, quam omittere,

 & quod

& quod culpa in faciendo præponderat culpæ, in non faciendo, vt Bartolus loquitur. Si autem leui culpa in omittendo, incendiũ cõmittatur, tunc tantùm ciuiliter punitur, & cõdemnatur ad reparationẽ damnorum, virtute L. Aquil. Sed ſi non habet in ære, luit in corpore iuxta L. Qui ædes. & Gloſſ. ibidẽ receptã, ff. de incẽdio, ruina, &c. Qui ædes, inquit text. aceruumuè frumenti, iuxta domum poſitum combuſſerit: vinctus, verberatus, igne necari iubetur: Si modo ſciens prudensque id commiſerit. Si vero caſu, id eſt negligentia: aut noxam ſarcire iubetur: aut ſi minus idoneus ſit, leuius caſtigetur. Hic textus loquitur de leui culpa in omittendo, quia loquitur de negligentia ſimpliciter, nam eo ipſo quod quis negligit, dicitur omittere, vt arguit Maranta in d. diſt. 1. num. 81. & in L. Capitalium §. Qui vero caſam ſubiungitur in textu: Fortuita incendia, ſi cum euitare poſſent, per negligentiam eorum, apud quos orta ſunt damno vicinis fuerunt, ciuiliter exercentur, vel modicè vindicentur, & ibi illa alternatiua intelligenda prout Maranta intelligit, quando negligens non habet in ære, tunc luat in corpore, ſecundum formam dictæ L. Qui ædes: alias contrariaretur illi. Prædictam concluſionem DD. fundant, in L. Si fortuito. ff. de incendio, ruina, &c. Vbi criminaliter punitur, culpa dolo proxima, quæ eſt lata culpa, & ea itidem quæ luxuriæ, id eſt

latæ culpæ, ſecundum Gloſſ. ibidem proxima eſt, quæ dicitur leuis ſecundum Bald. in d. L. Data opera, numero 8. Hoc loco etiam memoria repetendum, quod contra illum etiam, qui culpa leui incendij cauſa fuit; poteſt ciuiliter actio intentari; ex L. Aquil. ad damni emendationem; vt DD. cõmuniter in d. L. Data opera ſentiunt, & alij paſsim alibi, & ad hoc eſt optimus text. cum Gloſſ. in d. L. Qui ædes, dum text, ait: Aut noxam ſarcire iubetur, noxam, id eſt damnum ſecundum Gloſſ. & in d. §. Qui vero caſam, quando dicitur: Ciuiliter exercentur, vt qui iactura affectus eſt, damni diſceptet, Gloſſ. agendo Aquil.

Octaua Concluſio. *Incendium culpa leuiſsima commiſſum, criminaliter non punitur.* Baldus & alij in d. L. Data opera. Alexand. in addit. ad Bartol. In §. Delinquunt. in L. Reſpiciendum. ff. de pœnis. Angel. in tract. maleficio. in verb. Incẽdiario. Marãt. vbi ſupra nũ. 89. & alij alibi.

Nona Concluſio. *Ex culpa leuiſsima in omittendo, quæ communiter præſumitur, nemo tenetur ratione incendij actione legis Aquiliæ, ad emẽdationem damni.* Hanc docent Alexand. in L. domos hereditarias. ff. de legat. 1. Bald. in conſil. 441. incip. Quidam Magiſter Grammaticæ vol. 1. Stephan. Bertrã. in cõſil. 140 incip. Etſi ſbaretur. nũ. 4. & ex recentiorib. Robert. Marãt. loc. cit. & dicit eſſe in deciſ. 57. cõſilij Neapolitani Didac. Couarr. in epit. de ſpõſal. 2. par. cap. 6. §. 8.

num.18. Menochius in d. caſ. 390. num. 11. Ioſeph. Maſcard. de probat. vol. 2. concluſ. 892. num. 9. qui plures alios etiam allegat. Hinc à Menochio, Couarr. Maſcardo & alijs communiter, vt Maſcard. vbi ſupra, numero 8. in fine teſtatur, reprobatur opinio Thomæ Grammat. in deciſ. 3. numero 15. qui vult omni caſu, ſiue lata, ſiue leui, ſiue leuiſsima culpa commiſſum ſit incendium, damnum emendari debere. Hæc concluſio eſt intelligenda, niſi ex natura contractus veniat leuiſsima culpa ex incendio, vt Couarruuias, Maſcardus & alij limitant. Deinde ex concluſione & DD. colligitur, quod etiam in committendo quis tenebitur ex culpa leuiſsima actione legis Aquil. Cũ vt in concluſione ſeptima traditũ eſt, maius & grauius ſit cõmittere quã omittere, & ꝙ culpa in faciendo præponderat culpæ in nõ faciendo, ſiue negligendo. Aliam etiam huius diſcriminis rationẽ reddit Petrus à Nauar. lib. 2. de reſtitut. cap. 1. numero 59. quia commiſſio magis acceditad dolum, (qui non niſi cõmittendo fit) quam omiſsio, quæ cum culpa ſolummodo cognationem habet. Ea de cauſa, vt iura maiore odio dolũ proſequuntur quã culpam, ita minus commiſsionem quam omiſsionem tolerant: An autem in foro conſcientiæ, teneatur ad reſtitutionem damnorum, quæ ſequuntur ex incendio nato ex leui, aut leuiſsima culpa, patebit infra in cap. fin. Vbi vniuerſaliter illa quæſtio examinabitur:

tur: An quis teneatur ex culpa leui, aut leuiſſima in foro animæ, ad reſtitutionem damnorum.

Decima Concluſio. *De incendio nato ex caſu merè fortuito, nemo tenetur.* Hanc communiter DD. tenent. Angel. Syluest. & alij in verb. Caſus fortuitus. Baldus Salycetus & alij in d. L. Data opera. Salyc. in L. Quæ fortuitis caſibus C. de pignorat. act. Bald. in conſil. 442. incip. Quidam nomine Reſtorius, lib. 3. Ioann. ab Anan. conſ. 71. Andr. Gaill. pract. obſeruat. lib 2. obſeruat. 21. Menoch. in d. caſ. 390. numero 1. & alij alibi, & probatur ex ll. text. cum Gloſſ. in L. incendium C. Si certum petat. & L. d. Quæ fortuitis & alibi. Præterea incendium inter caſus fortuitos annumeratur. d. L. incendium & per textum & DD. in §. Item is cui. Inſtit. Quibus modis re contrahat. obligat. DD. in d. L. Quæ fortuitis. At caſus fortuitos nemo præſtare tenetur, vt ſupra in quarto præmiſſo huiusq. confirmatum eſt, Vbi hoc etiam latius declaratum & limitatum extitit.

Vndecima Concluſio. *Quando culpa præcedens ad caſum incendij ex ſua natura eſt ordinata, etſi caſus incendij præter opinionem eius, qui cauſam dedit, euenerit, tamen imputatur.* Hæc concluſio traditur multis ab Andrea Gaill. libro ſecundo obſeruat. pract. obſeruat. 22. numero 6. qui plures allegat, & fortiſsimè confirmatur concluſio per latè allegata ſupra, in quinto præmiſſo.

 Sic

Sic Gaill. in facto meminit, quendam nobilē in Camera ad emendationem damni, ex L. Aquil. condemnatum, qui ruri in columbam, ſuper columbario ſedentem bombardā emiſit, & præter opinionem, occulta vi pulueris, ſtramineum tectum incendit, vnde ignis progreſſus vicina ruſticorum tuguria abſumpſit. Quæ damna per ſententiam nobilis emendare tenebatur.

QVAESTIO SECVNDA.

Conductor, an & quomodo teneatur de incendio orto in domo?

PRIMA CONCLVSIO. *Conductor regulariter non tenetur de incendio orto ex caſu fortuito.* Hæc eſt communis DD. opinio in loc. in concluſ. 10. q. præcedentis allegatis, & fundamentum ibi poſitū eſt. Dictum (regulariter) quia ſi conuentum fuiſſet, vt etiam teneatur de caſu fortuito, tunc tenetur, & de iure valet cōuētio ſiue pactum, quo quis in ſe recipit caſum fortuitum, arg. cap. 1. de commod. & cap. 2. de depoſ. L. Iuris gentium. §. Item ſi quis. ff. de pact. L. negotium. C. de negot. geſt. & cōtractus ex conuentione legem recipiunt per text. in L. Legem. ff. locati. & in d L. Iuris gentium §. Quinimo. Eadem eſt ratio de culpa leuiſsima, non enim de ea tenetur, quando in omit-

in omittendo conſiſtit, vt ſupra probatum.

Secunda Concluſio. *Incendium culpa inhabitantium natum præſumitur, niſi contrarium probetur.* Bartol. in L. 1. ff. de offic. præfect. vigilum. Bald. in L. Quæ fortuitis, numero 4. de pignorat. action. & in conſil. 441. incip. Quidam Magiſter. vol. 1. & in conſ. 148. incip. Factum quæſtionis. vol. 2. Ludouic. Roman. in conſ. 401. incip. Eo præſuppoſito. Ioann. ab Anan. in conſ. 71. incip. Viſis & ponderatis. Marſil. in ſing. 393. in fine. Henningius Goden. in conſ. 2. de incendio. Volum. vndec. num. 1. & ex recentioribus Menoch. in d. caſ. 390. numero 3. Gaill. vbi ſupra, & latè Maſcard. in concl. 892. à numero 1. vol. 2. & in hac concluſione communiter conueniunt DD. Concluſio probatur per L. 3. §. 2. ff. de offic. præfect. vig. Et quia plerunque incendia, ait Iulianus, culpa fiunt inhabitantium, aut fuſtibus caſtigat eos, qui negligentius ignem adhibuerunt: aut ſeuera interlocutione comminatus, fuſtium caſtigationem remittit. Vbi DD. annotant, quod dictio (plerumque) regulam conſtituat, ſicut etiam obſeruarunt Alexand. conſil. 50. numero 1. libro primo. Iaſon. in L. Iuriſgentium, §. Prætor ait. numero 21. ff. de pact. Menoch. & Maſcard. loc. cit. & omnium latiſsimè multis DD. allegationibus & ll. explicat Andreas Tyraquellus de vtroque

retractu. tit. de retract. lignagier. §.1. Gloſſ. 9. num. 221.

Tertia Concluſio. *Licet incendium præſumatur factum culpa inhabitantium, tamen agens ad reparationem damnorum, debet probare culpam determinatæ & certa perſona, vnde incendium originem ſumpſerit.* Roman. & Ioann. ab Anan. in conſil. alleg. Baldus in conſ.441. incip. Punctus ſuper quo. num. 2. vol. 4. Iaſon. in L. Si quis ex argentarijs. §. Prætor ait. numero 13. ff. de edend. Salycetus in d. L. Quæ fortuitis. Henningus in d. conſ. 2. numero 12. Plures pro hac re adducunt DD. Andreas Gaill. in d. obſeruat. 21. & Maſcard. vbi ſupra. numero 17. & 18. qui dicunt ita communiter concludere DD. Pro hac concluſione eſt text. in L. Si vendita. ff. de pericul. & commod. rei vend. Ratio eſt quia incendiũ fieri poteſt, ſine culpa inhabitantiũ, ex d. L. Si vendita. Ergo vt teneatur cõductor, ex generali illa præſumptione, quæ ex inhabitatione oritur, neceſſe eſt probare culpam certæ & determinatæ perſonæ, vt rectè Gaill. in d. obſeruat. 21. num. 4. argumentatur. His accedit, quod culpa illa quæ præſumitur à iure, contra inhabitantes, eſt leuiſſima Gloſſ. in §. Præterea. Inſtit. Quibus modis re contrahat. oblig. approbata à Salycet. vt ſingularis in d. L. Quæ fortuitis. Alexand. in d. L. Si quis ex argentarijs. §. Prætor, ait. numero 7. & ibidem Iaſon. numero 30. Henning. in d. conſ.

numero

numero 18. & hanc Gloſſ. magis communem, & communiter approbatam poſt plures alios DD. Maſcard. vbi ſupra, numero 8. aſſerit. Ergo cum ex culpa leuiſsima quæ in omittendo tamen eſt, vt Couarruuias in epitom. de ſponſal. 2. part. cap. 6. §. 8. num. 18. Menoch. numero 7. in d. caſ. 390. & Maſcard. num. 9. poſt multorum auctoritatem atteſtantur, nemo poſsit condemnari actione L. Aquiliæ, vt etiam in q. præcedenti probatum eſt, neceſſe eſt probare culpam certi & determinati hominis, cum ſuis certis circunſtantijs, vt cognoſcatur non eſſe culpam leuiſsimam in omittendo, & negligendo. Ex hac concluſione infertur rectè cum DD. quod ſi quis in actione incendij contra inhabitantem, & conductorem, non probet culpam determinatæ perſonę, cóductor ſit abſoluendus, quia probatio deficit, & incertitudo relinquitur, & ita ex conſequēti ſententia condemnatoria ſequi non poteſt, cū hæc debeat eſſe certa & eſt text. in L. Licet. §. fin. ff. naut. caup. ſtabul. & in §. Curare. Inſtit. de action. Facit ad eundem effect. regula illa iuridica generalis: Actore non probante, reus abſoluitur, & abſoluendus eſt. L. Actor. C. de probat. L. Siquidem. C. de except. & alibi. Cum ergo in hoc caſu probatio deficiat, merito non eſt condemnandus, ſed abſoluendus. Nunc ad maiorem horum, & aliorum declarationem ſit.

Quarta Concluſio. *Ex ſola illa generali præ-*

 ſumptione

ſumptione quæ eſt contra inhabitantem, ſiue conductorem, damnum paſſus, non habet ſufficienter funndatam ſuam intentionem vt poſsit contra illos agere, ad emendationem damnorum. Concluſio videtur contra Alexand. in cõſ. 50. num. 2. vol. 1. qui ex Bartol. & non nullis alijs in L. Prætor ait. §. An vero. ff. de edend. putat ſatis ex illa præſumptione cenſeri fundatam intentionem: cui & conſentit Calcan. in conſ. 40. vt eum refert Menoch num. 4. in d. caſ. Concluſio autem communis eſt, vt atteſtantur idem Menoch. & Ioann. Anton. Trigen. in ſingul. 57. num. 3. & eam tenent Bald. in d. conſ. 441. lib. 1. Ioan. ab Anania in conſ. 71. num. 2. Iaſ. in conſ. 116. num. 3. lib. 1. Henning. in d. conſ. de incendio. num. 18. Cæpol. in conſ. 70. vbi conſuluit pro quodam Iudæo, qui conduxerat domum quæ combuſta erat. Alberic. & Salycet. in d. L. Si vendita. Carol. Molinæus in annotat. ad d. cõſil. Alexand. Menoch. in d. nũ. 4. & alij alibi. Ratio huius cõcluſionis fundatur in dictis, in præcedẽti. Hæc enim præſumptio eſt indeterminata & incerta, ratione perſonæ, vnde in ea, actor nõ poteſt fundare ſuam intentionem. Deinde eadem præſumptio vt probatum eſt, ſaltem leuiſsima in omittendo eſt. Ratione autem culpę leuiſsimæ in omittẽdo, nemo poteſt cõueniri actione L. Aquiliæ ad damnorum emendationem. Aduertendũ tamen, quod ſi tantum vnus eſſet in domo, ſiue ædificio, vbi incendiũ oritur, tunc illa præſumptio

ſumptio generalis, fundaret actionem cõtra talem: quia ob vnitaté perſonæ, tolleretur indeterminatio & incertitudo. Concluſio ergo locum habet, quando in vna domo familia commoratur, ita quod incertum eſt, an paterfamilias, vel filius, vel ſeruus, aut alius externus & hoſpes, incendij cauſam dederit, tunc enim incertitudo remanet, ſi nõ probatur culpa certi hominis, & ſic deficit fundamentum actionis. Regulariter enim non tenetur paterfamilias, ſiue dominus, de facto & delicto familiæ ſuæ, ſicut nec etiam de incendio, niſi delinquant circa officium ſibi cõmiſſum, & deſtinatum à domino, & patrefamilias: vt ſi ſtabularius ignem aut cãdelam in ſtabulo negligenter cõſeruet, tunc cum delinquat circa proprium officium, dominus ſiue paterfamilias tenetur de eo facto. Sic etiam ſi cocus, aut ordinatus ad coquinam, ſua negligentia in coquina, ſit cauſa incendij, dominus obligatur: Si aut inuerſo ordine ſtabularius committat culpam in coquina, & cocus in ſtabulo circa ignem, paterfamilias non tenetur: cum neuter eorum deliquerit in officio ſibi à domino cõmiſſo: quæ reſolutio deducitur ex L. Si ſeruus ſeruum. §. Si fornicarius. ff. ad legẽ Aquiliam. l. 1. §. familiæ. ff. de publican. & vectig. L. 1. §. Item Prætor ait: cum L. Ne quid. ff. de incend. ruina, &c. Sic ſentiunt Salycetus in d. L. Quæ fortuitis. numero 7. Ioannes ab Anania in d. conſ. 71, numero 3. Henningius in d.

conſ.

conſ. numero 13. & ſeq. Menoch. numero 21. Gaill. in obſeruat. 21. numero 6. & alij alibi, & hæc eſt communis opinio & doctrina in d. §. familiæ vt Ioann. ab Anan. Henning. & Gaill. atteſtantur. Ratio eſt quoniam patrifamilias imputatur, ſi ad officium ſuum ordinet non idoneum, ex cuius negligentia alteri damnum ſequitur: Secus autem quando præter voluntatem & ordinationem domini, vnus ſe alterius officio ingerit: Si etiam dominus aleret ſeruos nequam, tunc teneretur ex facto eorum. L. 1. §. fin. ff. naut. caup. ſtab. Cæpol. in conſ. 70. vt etiam ex aliorũ ſententia Menoch. placet. Nec etiam paterfamilias, ſiue conductor domus, de incendio tenetur, ſi aduenæ ſeu hoſpites hoſpitio recepti, ſint cauſa incendij, aut alius quiſpiam, cuius opera paterfamilias non vtitur, vt ſatis oſtendit Salycet. in d. L. Quæ fortuitis, & poſt eum Maſcard. numero 10. Quia hac ratione, ipſi patrifamilias incendium fortuitum eſſe dicitur, cum eorum operam non elegerit.

Quinta Concluſio. *Quando inhabitatores conſueuerunt eſſe vigiles, & diligentes, niſi negligentia indicia probentur, nulla poteſt eis imputari culpa, ratione incendij in domo orti, ſi non conſtet de origine ignis.* Baldus in cõſil. 491. vol. 4. Alexand. in L. Si quis ex argentarijs. §. Prætor ait. ff. de edend. & in d. conſ. 50. vol. 1. quod in antiquioribus voluminibus habetur in vol. 2. conſil 362. incip. Viſis & oportunè conſideratis his de quibus.

bus. Iaſon. in L. Domos. ff. de legat. 1. Calcan. in conſ. 66. Cæpol. in d. conſil. 70. Marſil. in conſil. 77. incip. In cauſa aſſertæ falſitatis. nũ. 13. Apoſtil. ad Cæpol. de ſeruitut. ruſticorum prædior. cap. vltimo, Maſcard. vbi ſupra. numero 19. & alij alibi. Ratio eſt, quoniam cum tales inhabitatores conſueuerint eſſe diligentes & vigiles, ſemper tales eſſe præſumuntur, donec de contrario cõſtet, & ſic hæc præſumptio tanquam fortior elidit illam, quæ eſt cõtra inhabitatores de negligentia & omiſsione, facit ad idem: Quod ſemel bonus, ſemper præſumitur bonus in eodem genere boni, vt Marſ. allegat. d. num. 13. & Andreas Alciatus in tract. de præſumpt. reg. 2. præſumpt. 8. & Menochius de præſump. libro quinto præſumpt. 1.

Sexta Concluſio. *Quando in vna domo plures ſunt perſonæ, vtpote eſt paterfamilias, cum integra familia, & peregrinis & hoſpitibus; aut duæ ſunt familiæ, vna in parte inferiori, & ob inhabitantium varietatem, multitudinemque ignoratur, à quibus incendium initium ſumpſerit: aut cuius culpa inceperit, tunc nemo tenetur de incendio: & omnes ab actione abſoluuntur.* Concluſionem docent Baldus in L. Si creditur. ff. de pignorat. action. Cæpol. & Ioann. ab Anan. in DD. conſ. Alexand. in d. conſ. 362. Iaſ. in conſ. 116. num. 2. lib. 1. Marſil. in L. 1. numero 114. ff. ad L. Cornel. de Sicar. Henning. in d. conſ. num. 19. & Menoch. in d. caſu 390. & lib. 1. de præſumptionib. q. 59.

qui

qui plures in hanc ſententiam allegat. Ratio eſt. Quoniam etſi præſumptio ſit, quod aliquis ex habitantibus incendij ſit cauſa, tamen ob incertitudinem nemo conueniri poteſt. Etſi enim præſumptio ſit quod aliquis in domo, cauſa fuerit incendij, tamen hæc præſumptio indeterminata eſt, ratione perſonæ. Vnde actio quæ certã perſonam reſpicit, in hoc caſu excluditur, præſertim cum hæc præſumptio, multũ debilis tenuiſq; ſit, vtpote in culpa leuiſsima in omittendo & negligẽdo cõſiſtẽs, facileq; elidi poſsit, niſi alijs indicijs iuuetur.

Septima Concluſio. *Conductor domus, ex vi contractus locati & conducti, non tenetur locatori reſpondere de damno dato, ex incendio ob culpam leuiſſimam, niſi aliter conuentum ſit in initio contractus.* Cæpol in d. conſ. 70. Henning. vbi ſupra numero 20. & alij alibi. Ratio eſt clara: Quoniã in contractibus, qui fiunt gratia & vtilitate vtriuſq; partis, qualis eſt ſecundum omnes cõtractus locati & conducti, non tenetur quis niſi de dolo, culpa lata, & leui, nõ autem, leuiſſima. L. cõtractus. ff. de reg. iuris. Inſtit. Quibus modis re contrah. oblig. §. fin. Sic ſentiunt communiter DD. Bartol. in L. Quod Nerua in 8. q. principali, ff. Depoſiti. Decius in d. regula, cõtractus. Ioan. Immolen. in cap. 1. de cõmodato col. 8. Gloſſ. & DD. in L. Si quis domum. §. Celſus. & in L. Si merces §. Qui columnam. ff. locati. Summiſtæ in verb. Locatio. Angel. num. 23. Sylueſt. q. 17. qui & commu-

communem dicunt. Nauarr.in manuali confeſſarior. cap. 17. num. 179. & alij alibi.

Octaua Concluſio. *Si incendium inferatur ab inimicis locatoris, vel ad iniuriam eius, tunc conductor non tenetur de damno locatori.* Bartol. in d. L. Si merces. ff. locati. §. Culpæ. Damhauder. in rerum criminal. praxi. cap. 104. num. 10. & ſeq. Maſcard. in d. concl. 892. num. 22. & alij alibi per text. in d. §. Culpæ. Ratio etiam clara eſt. Talis incendij & damni inde ſecuti cauſa eſt locator, & non conductor. Ergo hic non tenetur ad emendationem damnorum. Qui enim cauſam damni dat, damnum dediſſe dicitur, vt eſt regula in hoc titulo cap. fin. Concluſio habet locum ſiue inimicitia orta ſit culpa ipſius locatoris: ſiue abſque ipſius culpa. Bartol. & Paul. Caſtrē. in d. §. Culpæ. & Bald. ibidem, plura in confirmationem huius conclusionis adducit Maſcard. Alia tamen eſſet ratio, ſi ab hoſtibus ipſius conductoris incendium fuiſſet immiſſum, qui poſt conductionē inimicitias captaſſet, & d. L. Si merces. §. Culpæ. Vbi damnum quod quis ab inimicis proprijs patitur, cenſetur propria culpa pati, & expreſsè determinant Salycetus in d. L. Quæ fortuitis caſibus. numero 9. Vbi doctè de materia incendij diſcurrit, & poſt eum Maſcard. vbi ſupra num. 16.

Nona Concluſio. *Conductor quando culpa lata, vel leui incendij cauſa fuit, non ſolū tenetur de damnō dato ratione domus quam inhabitat: ſed etiā pro vicinis*

ædibus

ædibus, quas incendium conſumpſit. Concluſionem tradunt Salycetus in d. L. Quæ fortuitis: & in L. Si vendita. in fine ff. de peric. & commodo rei vendit. Baldus in conſil. 442. incip. Quidam nomine Reſtorius lib. 3. Petrus de Vbaldis in tractat. Societatis. in 8. part. quæſt. 13. Menoch. in d. caſ. 390. num. 14. qui plures allegat, & Maſcard. vbi ſupra numero 4. & alij. Rationem reddit Baldus & poſt eum iuniores. Quoniam culpa etiam in re propria caſum præcedens, in re aliena obligare conſueuit. L. Qui occidit. §. In hac ff. ad leg. Aquil. & L. Si ſeruus ſeruum §. Si quis inſulam. eod. tit. Cum etiam vnius factum alium in periculum trahere non debeat. d. L. Si ſeruus ſeruum. §. Si fornicarius. Ex qua autẽ culpa quis teneatur de incendio actione L. Aquil. in q. proxima ſatis ſuperq; explicatũ eſt.

QVAESTIO TERTIA.

An cauſa incendij euitandi, liceat ædes intermedias diruere, & quis in hoc caſu teneatur ad emendationem damnorum?

QVONIAM in diuerſis locis, à legum interpretibus parum reſolutè, & ſine ordine, varia ſuper materia huius quæſtionis dicuntur, placuit diſtinctè, & per ordinem eam reſoluere.

reſoluere. Sententias diuerſas referunt Ioannes Andreas in addit. ad Speculat. in tit. de iniurijs & damno dato, non longe à princip. & Alberic. in L. Quo naufragium. §. Quod ait prætor. ff. de incendio, ruina, &c.

Prima Concluſio. *Quando quis ex culpa lata vel leui, incendij cauſa eſt in propria domo, & tunc propter inſtantem neceſsitatem, & iuſtum metum, domus vicina diruitur, ne ignis plures ædes incendat: ad reparationem damnorum ædium dirutarum tenetur, qui culpa incendij initium dedit.* Hanc docent Salycetus in L. Si vendita prope finem. ff. de periculo & commodo rei vend. Angel. in conſil. 95. quem refert & ſequitur Felin. in cap. Tua nos in fine. de ſentent. excommunic. Ioan. ab Anan. in conſ. 71. numero 4. Maſcard. vbi ſupra, numero 6. & in hac concluſione non poteſt eſſe dubium, vt patet ex ſupra dictis.

Secunda Concluſio. *Licitum eſt vicinas ædes diruere, & intercidere, incendij arcendi gratia, quando iuſtus eſt metus, vt niſi hoc fiat ignis vlterius vagetur.* Hanc concluſionem communiter DD. tenent, nec eſt in ea dubium, & probatur ex L. Si quis fumo. §. Quod dicitur. ff. ad L. Aquil. Qui incendij gratia, ait iuriſconſultus, vicinas ædes intercidit. Nam hic ſcribit ceſſare L. Aquiliæ actionem. Iuſto enim metu ductus, ne ad ſe ignis perueniret, vicinas ædes intercidit; & ſiue peruenit ignis, ſiue ante extinctus eſt; æſtimat L. Aquil. actionem ceſſare. & in L. Si alius. §. Eſt & alia. ff. Quod vi aut clam, &

 ind.

in d. L. Quo naufragium. §. Quod ait prætor. Ratio concluſionis eſt. Quia in tali caſu domus vicina diruitur, non cauſa offenſionis ſed defenſionis, & ſic licitum eſt deſtruere alienam, ne deſtruatur ſua. Eadem ratione, licitum eſt facere auctoritate magiſtratus, quando exiſtimat hoc neceſſarium, ad arcendum ignem à maiori conflagratione, aut ad abundantiorem cautelam ex d. L.

Tertia Concluſio. *Quando incendium incepit caſu fortuito, ſi tum vicinæ ædes deſtruantur, ne ignis latius euagetur, ſi ignis alias tales ædes etiam conſumpſiſſet, nemo tenetur ad reparationem damnorum, pro deſtructis ædibus.* Hæc concluſio ſatis conſtat ex d. L. Si alius. §. Eſt & alia. vbi text. ſic habet. Idē ait, eſſe ſi damni iniuria actum foret, quoniam nullam iniuriam, aut damnum dare videretur, æquè perituris ædibus. Gloſſ. Bald. & alij ibidem. Salycetus in d. L. Si vendita. prope finem. Ex circumſtantijs autem colligitur, an ignis etiam perueniſſet ad vicinas ædes, vtpote ſi ventus ſit validus, ignemque vi & violentia impellat, in aliquam partem, vbi ſtraminea ſunt ædificia, aut alias apta, & diſpoſita ad facilem ignis receptionem, aut iam actu ignis inuaſit partem ædium.

Quarta Concluſio. *Quando eſt iuſtus metus, ne incendium vicinas ædes inuadat, tum damna data ratione ædium dirutarum, ſunt reparanda à tota vicinia. Quod etiam multo verius videtur, quando fit ad abundantiorem cautelam.* Hæc concluſio eſt

commu-

communiſsima DD. Licet Bartol. in d. §. Eſt & alia. diſſentiat, vbi exiſtimat damni reparationem; ſpectare ad eum, ad quem ſpectat domus; & ſic ex conſequenti conſuetudinem quorundam locorum habentem, damna eſſe reparanda à vicinis non conuenire iuri: ſed hoc Bartoli fundamentum ſubuerteret totum ius: Non enim ſemper damnum ſpectat ad eum reſarcire, cuius eſt res, ſed per regulam iuris ſæpè in hoc tit. repetitam. Qui cauſam damni dedit, cauſam dediſſe dicitur, & ſic etiam ad reparationem tenetur. Concluſionem docent Hoſtien. in ſumma de incendiarijs, & poſt eundem Angelus, Sylueſt. Aurea Armilla in verbo Incendiarius. Baldus, Angelus; Raphaël Fulgoſius nec non etiam Bartol. in L. Si laborante. ff. ad L. Rhodiam. Alberic. & Paulus Caſtrenſis ibidem in L. 1. Felinus in d. cap. Tua nos. Baldus in conſil. 491. incip. Punctus ſuper quo; quidam nomine Reſtoreus. Salycetus in d. L. Quæ fortuitis. in fine. C. de pignorat. action. Andreas Gaill. practicarum obſeruat. libro ſecundo obſeruat. 22. numero 5. Franciſcus Turzan. libro primo, commun. opin. concl. 185. numero 5. Determinant hoc DD. inquit, Fulgoſ. ex illa lege: Si laborante. in qua Iuriſconſultus Paulus ait: AEquiſsimum enim eſt, commune detrimentum fieri eorum, qui propter amiſſas res aliorum, conſecuti ſunt, vt merces ſuas ſaluas haberent. Cui &

conſentiunt. L. metum. §. Sed licet. ff. Quod metus cauſa. & L. Cum duobus. §. Quidam ſagariam. ff. pro ſocio. Hinc Hoſtienſis, Angel. Syluest. & alij dicunt, quod iudex, ex officio & ſumma æquitate, debet facere, quod vicini ſatisfaciant, pro parte ſua, & addit. ad Panormit. in hoc cap. Si egreſſus? annotat quod in hoc caſu in refectione damni, quod facit vicinia, debebit detrahi portio, quæ contingeret illum, cuius domus deuaſtata eſt in computatione communis, & ad hoc allegat notabilem Gloſſ. in d. L. 1. ff. ad L. Rhod. & DD. in L. Ab omnibus. §. Si actio. per illum text. ff. de leg. 1. Vicinia autem quantum ad effectum huius concluſionis dicitur, ad quarum ædes veriſimiliter incendium poterat extendi, quod iudicis arbitrio cõmittitur, iuxta mentem Alberic. in L. Quo naufragium. §. Quod ait Prætor.

Quinta Concluſ. *Rectiſsimè poſſet fieri ſtatutum in ciuitate, vt ſi caſu fortuito ignis incendium fieret, & neceſsitate vrgenti vicinæ ædes eſſent diruendæ, vt damnum reficiatur à tota vicinia.* Hæc concluſio eſt conformis præcedenti, & eſt contra Bartolum vbi ſupra, quem etiam refert, nec tamen improbat Ludouic. Bologninus in additione ad conſil. 71. Ioannis ab Anania. Ratio huius concluſionis in præcedenti inſinuata. Summa æquitas eſt, vt quod pro multorum commodo fit, à multis reparetur. Refert tamen Alberic. in d. L. Quo naufragium. §. Quod ait

prætor,

prætor, Quod Paduæ ſtatutum ſit, vt huiuſmodi damnum reparetur per cõmune. Quod ſtatutum etiam iuſtum: Siquidem nemini facit iniuriam, & pro omnium vtilitate eſt, cum commune negotium ſit, vt ciuium ædes & bona conſeruentur: & ciues in vna eademque ciuitate ſint quaſi vnum corpus, in cuius conſeruationem omnia membra tendunt, & vno membro male valente, cætera auxilium ferũt. Pro hoc ſtatuto ſunt etiam iura & DD. qui fundant opinionem, tale damnum eſſe reparandum per commune, vt eſt videre apud Ioannem Andream, & Alberic. vbi ſupra. Facit ad idem quod Guilhelm. à Cuneo in d. L. Si laborante. ff. ad L. Rhodiam, de iactu, per text. ibidem dicit, quod ſi miles vadit ad bellum pro defenſione patriæ, & ſi fuerit interfectus equus, quod ciuitas tenetur emendare, & hoc propter publicam vtilitatem: Quod dictum tamen cum ſumma moderatione eſt intelligendum, nec per omnia propoſito conuenit.

Sexta Concluſio. *Si nulla conſuetudo, aut ſtatutum ſit, de reparando damno adium dirutarum, incendij arcendi gratia, ſi neceſſarium ſit medium, diruere vicinas ædes pro conſeruatione aliarum, nulla oritur ex huiuſmodi facto obligatio reſtituendi, reparandiq; damna nata ex ædium tali euerſione.* Hanc concluſionem leuiter innuit Alberic. in d. §. Quod ait prætor, & à nobis latius comprobanda eſt. Primo ex dicto §. Quod ait prætor. vbi textus

ſic habet : Cum enim defendendarum mearum ædium cauſa,fecerim,vtique dolo careo, Puto igitur nō eſſe verum, quod Labeo ſcribit: An lege Aquil. cum hoc agi poſsit,& non puto agendum. Nec enim iniuria hoc fecit, qui ſe tueri voluit, cum alias non poſſet. Ita Celſus ſcribit. Ad eundem effectum inſeruiunt. L. d. Si quis fumo. §. Quod dicitur, & L. Si alius. §. Eſt & alia. vbi ſupra. In quibus omnibus legibus determinatur non, eſſe locum actioni L. Aquiliæ, ad damnum, quoties quis vicinas ædes intercidit, arcendi incendij cauſa & pro conſeruatione ſuarum, quando aliter fieri non poteſt. Inſeruit & text. in L. Scientiam. §. Qui cum aliter. ff. ad L. Aquil. quando ſic ſubiungitur : Qui cum aliter tueri ſe non poſſent: damnum culpa dederint ; innoxij ſunt: Vim enim vi defendere, omnes leges omniaque iura permittunt. Pro hac re etiam faciunt multa iura allegata à Gloſſ. in d. §. Quod ait prætor. ſuper verb. Defendendarum mearum, quibus probatur pro conſeruatione proprij iuris, aliquid eſſe licitum, quod alias non liceret. Quibus accedit illud Baldi in d. l. 2. ad L. Rhodiā de iactu. dum ait : Poteſt quis deſtruere alienum, ne deſtruatur ſuum, quia hoc videtur facere magis cauſa defenſionis,quam offenſionis. Ratio pro hac concluſione eſt clariſsima & fortiſsima. Qui in tali neceſsitate vicinas

ædes

ædes diruunt, non peccant neç alicui iniuriam inferunt, contra iuſtitiam, ſed ſuo iure vtuntur, dum ſua contra vim & violentiam defendunt, quod omnia iura legeſque permittunt. d. §. Qui cum aliter. Ergo non tenetur ad vllam reparationem damnorum. Quia vt in Rubrica, notab. ſignificatum ex communiſsima Theologorum ſententia, nemo tenetur ad reſtitutionem, & reparationem damnorum, qui alteri non intulit iniuriam, aut damnum contra iuſtitiam. Antecedens ſatis ſuperque probatum eſt in ſecunda concluſione, nec aliquis Theologus, aut Iuriſperitus poteſt diſſentire. Non enim iniuria hoc facit, vt in d. §. Quod ait prætor, Iuriſconſultus dicit:- qui ſe tueri voluit: cum alias non poſſet: Qua de cauſa & leges allegatæ contendunt contra talem qui ſic alienas ædes intercidit, non poſſe agi actione L. Aquliæ ad damni reparationem. Sicut enim qui defenſionis gratia hominem occidit, quando aliter vitam tueri non poteſt, ad nullam damni reparationem tenetur, ſi fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ: ita nec etiam qui vicinas ædes diruit pro conſeruatione ſuarum, quando id ad eum effectum neceſſarium eſt, non tenetur de damno dato. Si quis tamen non ſeruet moderamen, ſed excedat, de exceſſu tenetur.

CAPITVLVM SEPTIMVM.

Sic ſummatur: Secularis poteſtas quæ clericum banniuit, condemnari debet per iudicem Eccleſiaſticum ſecundum æſtimationem iniuriæ in expenſis & damnis.

OLIM *ſcribentibus nobis Epiſcopo Mutinen. vt poteſtatem conſiliarios & populum ciuitatis Florentinen. ad ſatisfaciendum de damnis & iniurijs irrogatis Epiſcopo & Eccleſiis Feſulan. cenſ. Eccleſ. coarctaret: Idem teſtes lite non conteſtata recepit. Quare nos eius proceſſu penitus reuocato commune Florentin: quia banniuerat, Epiſcopum Feſſulanum contra* DEVM *& Eccleſiaſticam libertatem: propter iniuriam banni, & expenſas & damna tali occaſione ſecuta: taxatione iuramento præmiſſa in mille libris vſualis monetæ prædicto Epiſcopo ſententialiter duximus condemnandum.* Sic honorius III. Epiſcopo Bononienſi.

CASVS huius capitis talis eſt, vt in Gloſſ. formatur. Florentini olim banno ſuppoſuerunt Epiſcopum Feſulanum, damna, & iniurias plurimas ei irrogantes. His cognitis Pontifex cauſam Epiſcopo Mutinenſi cōmiſit, vt eos compelleret

ſeret ad ſatisfaciendum ſuper prædictis. Epiſcopus vocatis partibus cœpit in cauſa procedere, teſteſque recepit lite non conteſtata. Deinde cauſa delata ad pontificem, qui viſo & examinato proceſſu eundem reuocauit ob litẽ non conteſtatam. Quia autem poteſtas, populuſque Florentinus Epiſcopum Feſulanum banniuerant contra DEVM & Eccleſiaſticam libertatem propter iniuriam banni, & propter expenſas & alia damna ſubſecuta condemnauit Florentinos in mille libris vſualis monetæ præmiſſa taxatione & præſtito iuramento per Epiſcopum Feſulanum.

Circa hoc caput aliqua notant Doctores. *Primo.* Quod proceſſus habitus lite non conteſtata non valet, vt plenius in cap. 1. 2. 3. & 4. & ſeq. Vt lite non conteſtata non procedatur. cap. Dudum 2. de elect. cap. Cum dilectis filijs: de purgat. canonica.

Secundo. Vt hic obſeruant Petrus de Anchorano & Cardinalis, iſte Epiſcopus Feſulanus egit ad damna & iniurias illatas ſibi & Eccleſijs: Cum ad ipſum ſpectet proſecutio iniuriæ ſuis Eccleſijs irrogatæ: Sicut pro iniuria irrogata clerico: Dominus enim patitur iniuriam in ſeruo & ſubdito L. 1. §. Item aut per ſemetipſum. Vbi text. ait: Spectat enim ad nos iniuria, quæ his fit: qui vel poteſtati noſtræ vel affectui, ſubiecti ſunt. §. de iniur. Sed de hoc latius infra.

Tertio. Nullatenus poteſtas ſecularis poteſt

bannire Epiſcopum, aut clericum: Cum nullam in eum habeat iuriſdictionem. Atq; pro rudium introductione quid nomine banni intelligendum, declarandum eſt. Bannum vocabulum latinum non eſt, ſed barbarum, vulgare tamen frequenſq; Gallis & Italis. Latinè autem bannum dicitur proſcriptio, & banniti proſcripti nominantur, & bannire idē eſt quod proſcribere. De etymologia & deductione nominis banni diuerſi diuerſa ſcribūt, vt eſt videre apud Albericū in dictionario, in verbo. Bannū. Nellū de S. Geminiano in tract. de bannitis in prima parte ſecundi temporis q. 3. Andr. Alciatū lib. 2. parergon. iuris, cap. 2. & Andr. Gaill. latè & doctè lib. 2. cap 1. de pace publica & eius violatoribus, ſed quoniā parum vocabula curanda ſunt, quādo de ſenſu cōſtat. arg. text. in L. Labeo. §. Sed de his. ff. de ſupellect. leg. & L. 3. §. Cōditio. ff. de adim. vel tranſfer. leg. lectorem ad DD. allegatos remittimus. In libris pandectarum nomē bāni non reperitur, ſed in Codice, vt Nellus & Gaill. obſeruarunt. Vt in Auctēt. Item nulla. C. de Epiſcop. & clericis, & ibidem in Auct. Itē quæcunq;. Imperiali bāno ſubiaceat. & in auct. Gazaros. C. de hæret. & Manichæis, bañimus, & bañiti, & in iure canonico in hoc cap. & in cap. Fœlicis de pœnis in 6. Verū tamē eſt ꝙ alias in iure canonico baña dicuntur futuri matrimonij proclamationes ſiue denūciationes, quæ à paſtoribus è ſuggeſtu fiunt in Ec-

cleſia, quæ ſi nõ prẹmittantur matrimonia clã-deſtina habentur, cap. Cum in tua, de ſpõſalibus. cap. fin. de clandeſt. deſpõſ. Et huiuſmodi denunciationes dicebantur bañ̃a ſecundũ Ioannem Andreã in d. cap. Cum in tua, forte, quia ſub baño, vel ſub pœna excõmunicationis præcĩpiebat ſacerdos, quod nullus impedimenta celaret, argum. 16. q. 1. c. Statuimus.

Quarto. Iudex Eccleſiaſticus acquirit iuriſdictionẽ contra laicum iniuſtè iuriſdictionẽ exercentẽ cõtra Eccleſiaſticũ, & Eccleſię libertatem violantem. Panormit. Antonius & alij.

Quinto. Iniuſtè aliquem bañiens tenetur, tam in foro cõſcientiæ quam exteriori ad damnorum & expenſarum reſtitutionẽ, quibus cauſam dedit̃ bañiendo. Innocent, in cap. fin. De his quæ vi metuſúe cauſ. fiunt per hunc text. Petrus Anchar. in hoc cap. num. 8. Angelus, Syłueſt. Aurea Armilla in verb. Bañum. Quia qui iniuſtè cauſam damni dat, tenetur ad recompenſationem eius.

PRIMA. QVAESTIO

An poteſtas laica poſsit Epiſcopum, aut clericum bannire, & punire ſine iniuria?

CVm hæc quæſtio præſupponat pro parte libertatem Eccleſiaſticam, & Eccleſię prerogatiuam, paucis quæ materiã ſubiectam clariorem reddant, præmittenda ſunt.

Prima Concluſio. *In republica Chriſtiana duplex eſt poteſtas Eccleſiaſtica & ſæcularis.* Hæc cõcluſio communis, eſt omnium, & ſatis probatur plurimis canonibus in d. 10. præſertim ex epiſtola S. Cypriani ad Iulianum Imperatorẽ ibidem in cap. Quoniam idem mediator DEI & hominum homo CHRISTVS IESVS ſic actibus proprijs & dignitatibus diſtinctis officia poteſtatis vtriuſque diſcreuit, propria volens medicinali humilitate hominũ corda ſurſum efferri non humana ſuperbia rurſus in inferiora demergi: vt etiam Chriſtiani Imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent, & Pontifices pro curſu temporalium tãtummodo rerum imperialibus legibus vterentur: quatenus ſpiritualis actio à carnalibus diſtaret incurſibus: & DEO militans minimè ſecularibus negotijs ſeſe implicaret: ac viciſſim ne ille rebus diuinis præſidere videretur, qui eſſet ſecularibus negotijs implicatus. Et in 96. diſt. cap. Cum ad verum, & ibidem cap. Duo ſunt quippe Imperator Auguſte, quibus principaliter hic mundus regitur. Auctoritas ſacra Pontificum, & regalis poteſtas. In quibus tanto grauius eſt pondus ſacerdotum, quanto etiam pro ipſis regibus, vel legibus hominum in diuino ſunt reddituri examine rationem, &c. & in cap. Nouit. de iudicijs. & in cap. Solitæ, de maior. & obed. in §. Præterea. Ad firmamentum cœli hoc eſt vniuerſalis Eccleſiæ fecit duo magna luminaria, id eſt, inſti-

inſtituit dignitates, quæ ſunt pontificalis au-ctoritas, & regalis poteſtas.

Secunda Concluſio. *Pontificia ſiue Eccleſiaſtica poteſtas eſt maior, dignior & eminentior imperiali ac ſeculari.* Hanc tenent communiter DD. Ioan. à Turrecrem. in d. cap. Duo ſunt. Franciſcus à Victoria in relectione 1. de poteſtate Eccleſiæ. Nauarr. in repet. cap. Nouit. de iudicijs notab. 3. Panormit. Cardinal. Ancharan. & communiter DD. in d. cap. Solitæ. & in cap. Nouit. d. probatur. ex d. cap. Duo ſunt. §. In quibus tanto grauius eſt pondus ſacerdotum, &c. Noſti itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam poſſe redigi voluntatem. Talibus igitur inſtitutis, talibuſque fulti auctoritatibus pleríque Pontificum alij reges, alij imperatores excommunicauerunt. Probat conſequẽter exemplis in hunc modum: Nam ſi ſpeciale aliquod de perſonis principum requiratur exemplum: Beatus Innocentius Papa Archadium Imperatorem (quia conſenſit vt S. Ioannes Chryſoſtomus à ſua ſede pelleretur) excommunicauit. Beatus etiam Ambroſius licet ſanctus, non tamen vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopus pro culpa quę ab alijs ſacerdotibus non adeo grauis videbatur, Theodoſium magnum Imperatorem excommunicans ab Eccleſia excluſit: qui etiam in ſuis ſcriptis oſtendit, quod aurum nõ tam pretioſius ſit plumbo; quàm regia poteſtate ſit altior ordo ſacer-

dotalis

dotalis, hoc modo circa principiũ ſui paſtoralis ſcribens. Honor fratres, & ſublimitas Epiſcopalis nullis poterit cõparationibus adęquari, ſi regum fulgori compares & principum diademati: longe erit inferius quam ſi plũbi metallum ad auri fulgorem compares: Quippe cum videas regum colla principum ſubmitti genibus ſacerdotum, & oſculata eorum dextra orationibus eorum credant ſe communicari, vel muniri. Sic Gelaſius Papa ad Anaſtaſiũ Imperatorẽ, & in d. cap. Solitæ. §. pręterea. Sed illa quæ præeſt diebus, id eſt, ſpiritualibus maior eſt: quæ vero carnalibus minor: vt quanta eſt inter ſolem & lunam, tanta inter pontifices & reges differentia cognoſcatur, & eſt inſignis text. in extrauag. communi: quæ incipit: Vnam ſanctam Eccleſiam, de maioritate & obedient. §. Oportet autem gladium eſſe ſub gladio: & temporalem auctoritatem ſpirituali ſubijci poteſtati. Nam cum dicat Apoſtolus: Rom. 14. Nõ eſt poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt à Deo ordinata ſunt. Nõ autẽ ordinata eſſent: niſi gladius eſſet ſub gladio, & tanquam inferior reduceretur per aliud in ſuprema. Nam ſecundum B. Dionyſium lex diuinitatis eſt infima per media in ſuprema reduci. Non ergo ſecundum ordinem vniuerſi omnia æquè ac immediatè: ſed infima per media, & inferiora per ſuperiora ad ordinem reducuntur. Spiritualem autem & dignitate & nobilitate terrenam quamlibet

præcelle-

præcellere poteſtatem: oportet tanto clarius nos fateri: quanto ſpiritualia tēporalia antecellunt. Deinde latius probat ſpiritualē eſſe digniorem & maiorē ex decimarū datione, & benedictione, & ſanctificatione, ex ipſius poteſtatis acceptione: & ex ipſarū rerū gubernatione; S. Ignat. martyr in epiſtola ad Smyrnēſes, in qua etiam cōfitetur ſe Chriſtū Dominū poſt reſurrectionē nouiſſe huic cōcluſioni etiam teſtimonium perhibet, dum ait: Honorate Dᴇᴠᴍ vt auctorē omniū & dominū, Epiſcopū autē tanquā principē ſacerdotū, imaginē Dᴇɪ ferentem, principatum quidem ſecundū Deum, ſacerdotium vero ſecundum Chriſtū; & poſt hunc etiā honorare oportet regē. Nemo enim potior eſt Dᴇᴏ, neq; ſimilis ei, neq; Epiſcopo honorabilior in Eccleſia, ſacerdotiū Deo gerenti pro mundi ſalute: neq; regi quis ſimilis eſt in exercitu, pacē & beneuolētiā omnibus principib⁹ cogitanti, (& poſt pauca) Sacerdotiū enim ſumā eſt omniū honorū qui in hominibus cōſiſtunt: ꝙ ſi quis inhonorauerit, Deum inhonorat, & Dominū Ieſum Chriſtū primogenitum totius creaturæ & ſolum natura principem ſacerdotem Dᴇɪ. Chryſoſt. lib. 3. de ſacerdotio, & hom. 5. de verbis Iſaię, vidi Dominū. Sacerdotiū principatus eſt, ipſo etiā regno venerabilius ac maius (& nōnullis interiectis) Eoq; Deus ipſū regale caput ſacerdotis manib⁹ ſubiecit, nos erudiēs, ꝙ hic princeps eſt illo maior. Siquidē id quod minus eſt,

benedictio-

benedictionem accipit ab eo quod præſtantius eſt. Beatus Ambroſius in lib. de ſacerdotali dignitate, cap. 2. verba allegantur à Gelaſio in d. cap. Duo ſunt. D. Gregor. lib. 4. epiſt. 31. ad Mauritium vult ſacerdotes eſſe deos inter homines, ea de cauſa ab omnibus etiam regibus honorandos & inſeritur 11. q. 1. cap. Sacerdotibus. Ad quod declarandum memorabile eſt illud ſcriptũ à Sulpitio in vita S. Martini, dum refert, quod Maximus Imperator cum in conuiuio ſederet, aſsidente ſibi S. Martino, ac pincerna ad bibendum in primis calicem Imperatori offerret, is ad Epiſcopum miſit, qui etiam bibit, & poſtea non Imperatori ſed ſuo presbytero calicem exhibuit, iudicans etiam presbyterum regi præferendum. Rationes etiam ſunt pro concluſione. *Prima ratio.* Epiſcopus regem inungit, & benedicit. At ſine contradictione minor à meliore benedicitur, vt Apoſtolus ad Hebræos 3. ait. Quam rationem D. Chryſoſtomus loco cit. & Pontifex in d. extrauag. Vnam ſanctam tangunt. *Secunda ratio.* Quo maiorem in genus humanũ & digniorem quis habet adminiſtrationem, eo maior ſublimior & excellentior rectè cognoſcitur, text. in L. 2. C. vt dignitatis ordo ſeruetur. C. de decurion. libro 10. L. Bene à Zenone. C. de quadripart. præſcript. ibi. Qui enim ſuis conſilijs, ſuiſque laboribus pro toto orbe terrarum die noctuque laborant, quare non habeant dignam ſua prerogatiua fortunã.

Salycetus ibidem. Lucas de Penna in d. l. 2. Andreas Barbat. in addit. ad Bald. in tract. feudor. tit. Quibus modis feuda amitt. in verbo. carebit, & Fernandus Vaſquius Illuſtr. controuerſ. libro 1. in præfatione, num. 126. Sed Eccleſiaſtica poteſtas maiorem, amplio- rem, & digniorem in genus humanum habet adminiſtrationem: cum eius functio verſetur circa curam animarum omnium Chriſtianorum; qui longe lateque in vniuerſo orbe terrarum vitam agunt. Et actiones quæ animam ſalutemque hominis concernunt; tanto excellentiores atque digniores ſunt, quanto dignior anima quam corpus. Sed hic latius pertractari poſsit ardua illa, & à multis tacta quæſtio: *An Pontifex à DEO habeat ſibi commiſſam iuriſdictionem & poteſtatem temporalem in toto orbe terrarum Chriſtiano habitu; actu, & exercitio tranſlato in Imperatorem?* Vel clarius: *An Pontifex ſit dominus totius mundi ita in temporalibus ſicut in ſpiritualibus: ſic vt reliqui principes ſuam habeant temporalem iuriſdictionem emanatam à ſummo Pontifice, at conceſſam?* Affirmantem partem tenent multi ijque inſignes tam in Theologia quam iure Doctores. Aluarus Pelagius libro primo de planctu Eccleſ. art. 37. Auguſt. de Ancona de poteſtate Eccleſiæ. q. 1. art. 1. & q. 36. in aliquot art. & eo allegato S. Antonin. in 3. part. tit. 22. cap. 3. §. 7. Syluester in verb. Papa. q. 2. Iacobus Almain. in tract. de poteſt. Eccleſ. & ſeculari, part. 1. cap. 9. Plura pro hac ſententia

 adfert

adfert. Gloſſ. Innocent. Panormit. Hoſtienſ. Ioann. Andr. Decius. Ancharan. & alij in cap. Nouit. de iudicijs. DD. communiter in cap. Cauſam quæ. Qui filij ſint legitimi. Archidiac. & Cardinal. Alexandrinus, in cap. Quoniã. d. 10. Oldrad. conſil. 83. incip. An Epiſcopus. Bartol. in L. 1. §. præſides ff. de requirend. reis aſſerens contrariam opinionem eſſe hæreticam: Idem Bart. in extrauag. Ad reprimendam, in verb. Totius orbis. Paulus Caſtrenſis in L. Non ambigitur. ff. de leg. & alij alibi, & hæc eſt communis ſententia, vt fatentur Panormit. in cap. Si duobus. §. Denique de appellat. Decius & Nauarrus in d. cap. Nouit. Pro hac ſententia multa argumenta colligit Nauarrus in d. cap. Nouit. notab. 3. & ea etiam diſſoluit. In contrarium Pontificem non habere ſecularem poteſtatem in vniuerſo Chriſtiano orbe affirmarunt alij haud vulgaris notæ auctores Gloſſ. in cap. Quoniam, d. 10. Cardinalis Zabarella, in d. cap. Nouit. Albericus in L. Cunctos populos. C. de ſumma Trinitate numero 19. Ioannes à Turrecremata in d. cap. Duo ſunt. q. 3. & libro ſecundo ſummæ. cap. 113. & ſeq. Martin. Nauarrus in d. cap. Nouit. notab. 3. à numero 22. latè, Couarruuias in relect. cap. Peccatum de regul. iuris in 6. par. 2. §. 9. num. 7. Fernandus Vaſquius. illuſtr. controuerſ. lib. 1. cap. 21. à principio, & ex Theologis Ioannes Maior in 4. d. 24. q. 3. Petr. Paludanus in lib. de poteſtate

Papæ

Papæ. Dominicus à Soto libro 4. de iuſtit. & iure. q. 4. art. 1. & in 4. ſentent. d. 25. q. 2. art. 1. Henricus à Gandauo, quodlibeto 6. q. 23. Franciſc. Victoria in relect. 1. de poteſt. Eccleſiæ, ſect. 6. Ioannes Driedo libro ſecundo de libertate Chriſtiana, cap. 2. Robertus Bellarmin. tom. 1. controuerſ. in controuerſia 3. de ſummo Pontifice libro quinto capite 3. & alij alibi, & hæc nunc communior & receptior videtur opinio quam plurimis argumentis munit Nauarrus. Quæ contra eandem militant idem, & Turrecremata in d. cap. Duo ſunt, & poſt alios Bellarmin. capite quinto ſoluunt. Hinc conſtat malè ſenſiſſe Bartol. in d. L. 1. ff. de acquir. reis contrariam primæ & ſuæ ſententiæ eſſe hæreticam, nec minus falsè tradidiſſe Antonium à Roſellis in tract. de poteſtate Papæ & Imperatoris. §. Ne prolixius. num. 5. qui tractatus habetur in vol. 4. Oceani iuris, quando vult hęreticum eſſe & inſanum dicere quod vniuerſalis adminiſtratio temporalium ſit aut eſſe poſsit penes Pontificem prout prior ſententia tradit. Tam Bartol. quam Antonius à Roſellis à vero errant, vt rectè Nauarrus vbi ſupra numero 42. & poſt eum Didacus Couarruuias in d. §. 9. annotarunt. Quia cum nihil certi in hac controuerſia definitum ſit, nec aliquid ex fidei fundamentis euidenter colligatur, diſputationi & opinioni locus eſt abſque hæreſis ſuſpicione. Deinde pro vtraq; parte celebres &

plures ijque Catholici ſunt DD. Concedunt tamen plerique fere poſterioris ſententię DD. Pontificem indirecte habere poteſtatem in tẽporalibus ſummam inter Chriſtianos etiam ſuper reges & principes, quatenus ea ſcilicet vtilis neceſſariaque eſt ad Catholicæ Eccleſiæ regimen & ſpiritualis poteſtatis vſum & executionem ſic: Nauarrus latiſsimè in d. notab. 3. & poſt num. 96. per ſubſequentes. Couatr. Vaſq. Sotus. Driedon. Victoria, Bellarmin. Petrus de Palude. in d. tract. Nicolaus Sanderus libro ſecundo. Viſibilis monarchiæ, cap. ſecundo, & alij alibi, & id ſignificatur in cap. Per venerabilem. Qui filij ſint legitimi, quando Innocentius III. aſſerit iuriſdictionem temporalem ſolum caſualiter Pontificem exercere. Hanc materiam Nauarr. Victoria & Bellarmin. multis clariorem reddunt, ad quos lectorem remittimus. Eſt enim extra inſtituti fines ex profeſſo latius de hac reagere. Illud tamen prætereundum non eſt contra quorundam Doctorum errorem, non repugnare temporalem iuriſdictionem cõiunctam eſſe ſpirituali, vt cernimus de facto in Pontifice, & multis Germaniæ principibus Eccleſiaſticis, in quibus vtraque poteſtas coniungitur, nec mirum: Sunt enim Eccleſiaſtici capaces temporalis iuriſdictionis, nec duæ illæ poteſtates ſibi mutuo repugnant, vnde eaſdem in vno eodemque ſubiecto reperiri nihil contradictionis & impoſsibilitatis includit.

Sic

Sic in antiquo Teſtamento Moyſes ſummus Princeps & rex fuit, ſimulque & ſupremus Pontifex ac ſacerdos. Sic Machabæi etiam ſacerdotes maximi, & primi duces populi Iſraëlitici extiterunt vt notum eſt ex libris Machabæorum. Hanc rem latius oſtendunt Nauarr. in d. notab. 3. num. 77. Petrus Bertrand. in tract. de origine iuriſdictionum. q. 2. in 9. vol. Oceani iuris. & Bellarmin. in d. libro 5. cap. 9.

Tertia Concluſio. *Sine iniuria nec poteſtas Eccleſiaſtica iura imperatoria & ſecularis inuadere poteſt, nec imperatoria aut ciuilis auctoritas iura Eccleſiaſtica aut Pontificia poteſtatis infringere, aut vſurpare valet.* Hanc concluſionem docent DD. communiter in cap. Nouit. de iudicijs. Oldrad. in d. conſ. 83. & alij alibi, nec eſt in ea dubium. Probatur cap. Cum ad verum. d. 96. Cum ad verum (id eſt tempus Chriſti) ventum eſt, vltra ſibi, nec Imperator iura Pōtificatus arripuit: nec Pontifex nomen Imperatorium vſurpauit: Quoniam idem mediator Dei & hominum homo Christvs Iesvs: actibus proprijs & dignitatibus diſtinctis: officia poteſtatis vtriuſque diſcreuit, &c. & pulcher. text. in ead. d. cap. Si imperator Catholicus eſt (quod ſalua pace ipſius dicimus) filius eſt, non præſul Eccleſiæ, quod ad religionem competit, diſcere ei conuenit non docere; habet priuilegia ſuæ poteſtatis quæ adminiſtrandis legibus publicis diuinitus cōſecutus

 ſecutus

ſecutus eſt,& eius beneficijs non ingratus contra diſpoſitionem cœleſtis ordinis nihil vſurpet. Ad ſacerdotes enim DEVS voluit quę Eccleſiæ diſponenda ſunt pertinere: non ad ſeculi poteſtates: quas (ſi fideles ſunt) Eccleſiæ ſuæ ſacerdotibus voluit eſſe ſubiectas: non ſibi vendicet alienum ius:,& miniſterium quod alteri deputatum eſt, neque contra eum contendat abrumpi quo omnia conſtituta ſunt, &c. & d. 10. cap. Imperium veſtrum ſuis reipublicis quotidianis adminiſtrationibus debet eſſe contentum non vſurpare quæ ſacerdotibus DOMINI ſolum conueniant, & in d. cap. Nouit. §. 1. Non putet aliquis quod iuriſdictionem illuſtris regis Francorum perturbare, aut minuere intendamus: cum ipſe iuriſdictionem noſtram nec velit, nec debeat impedire. Sic Innocentius tertius ſcripſit, Prælatis per Franciam conſtitutis. Faciunt etiam pro concluſione rectè cap. Cauſam quæ inter, & cap. Per venerabilem. Qui filij ſint legitimi, & ea quæ DD. ibidem commentantur. Præterea cum vtriuſque poteſtatis diſtincta & propria ſint officia, quiſque ſe alterius officio non debet ingerere, ne officia confundantur, & promiſcuis actibus turbentur. arg. cap. 1 d. 89. Gloſſ. ibidem in verb. Singula. text. in L. Conſulta diualia. C. de teſtam. Oldrad. in d. conſ. 83. numero 2. Baldus in L. 1. C. de numerarijs, actuarijs, &c. libro duodecimo. Bertachin.

in repertorio in verb. Officium. verſ. 2. & iuriſdictiones non debent confundi, cap. Peruenit. in fine. 11. q. 1. Ex hac & alijs infertur.

Quarta Concluſio. *Ordinariè à iudice Eccleſiaſtico, iure communi non poteſt appellari ad ſeculare tribunal.* Hugo & Turrecrem. in cap. Si quis 1. 21. q. 5. Archidiac. Dominicus, Ancharan. & alij in cap. Romana. §. Debet. in 6. Bartol. in L. 1. §. Si quis. ff. de appellat. Baldus in Rubr. extra de appellationibus. Salycetus in L. Præcipimus. C. eod. tit. Iaſ. in L. Imperium. ff. de iuriſd. omnium iudicum. Stephanus Aufrer. in tract. de poteſt. ſeculari, regul. 2. num. 30. in fine. Robert. Maranta in ſpeculo aureo, part. 6. §. Et quãdo appellatur, num. 292. & hæc eſt communiſsima ſententia quæ fundatur in d. cap. Romana. & in recta ratione. Appellatio enim, vt omnium ſententia receptũ, eſt prouocatio, à minori & minus digno iudice ad maiorẽ & digniorem iudicẽ. At ſecularis non eſt maior & dignior Eccleſiaſtico, imo nec ſuus iudex, vt ex ſuperioribus conſtat. Deinde appellatio eſt inſtituẽda ad ſuperiorẽ eius qui iudicauit. At laicus non eſt ſuperior Eccleſiaſtici. Hinc loco cit. Maranta hanc ſeptimam ponit regulam ſeu concluſionem, quod quãdo duo iudices pronunciauerunt ſuper eadem cauſa, quorũ vnus eſt laicus, & alter clericus, appellari debet ad ſuperiorem Eccleſiaſticum attento digniori iuxta

Bartol. Bald. Salycet. Iaſon. loc. cit. & Alexand. in conſil. 86. incip. Viſo proceſſu cauſæ vertentis in 2. volum. Ancharan. in d. cap. Romana. Idem eſt quando clericus & laicus eſſent arbitratores, tum enim reductio fit ad ſuperiorem Eccleſiaſticum, Ludouic. Roman. in conſ. 265. incip. In caſu propoſito. Iaſon. in d. L. Imperium. numero tertio. Baldus & Salycetus in d. L. Præcipimus. Ratio quia maius dignum trahit ad ſe minus dignũ arg. cap. Quod in dubijs. Gloſſa. Panormit. Zacharias ibidem in addit. Anton. Cardin. & omnes ibidem de conſecrat. Eccleſiæ vel alt. Bald. in l. 2. in princ. C. Communia de leg. per text. Adde ea quæ dicit Bartol. in d. L. Præcipimus. §. Eodem obſeruando. DD. in addit. ibidẽ, & multa alia quæ congerit Hyppolitus de Marſil. in conſ. 84. incip. Vias tuas Domine demonſtra mihi, &c. Fere per totum, vbi multis confirmat dictum illud: Magis dignum trahit ad ſe minus dignum, & per multa iura Andreas Gaill. practic. obſeruat. lib. 1. obſeruat. 30. numero 23. Dictum in concluſione (ordinariè & de iure communi) quia de iure feudorum ſpeciali prælati Eccleſiaſtici temporalem habentes iuriſdictionem, ſi res feudi in controuerſiam vocetur, coram eorum vicarijs temporalibus, ad feudi dominum directum appellatio deuoluitur iuxta cap. Romana. §. Debet. Gloſſ. & DD. ibidem, & cap. Cæterum: de iudicijs. Felin. in

cap.

cap. Solitæ. cum alijs, de maior. & obed. Bartol. in l. 1. §. Si quis. ff. de appellat. Panorm. in Rubr. de appellat. Nec in hac re eſt dubiū. ſed & conſuetudine, priuilegijſque receptum eſt multis in locis, vt à iudicibus ſecularibus Epiſcoporum, aut Archiepiſcoporum, vbi Epiſcopi, aut Archiepiſcopi vtramque iuriſdictionem exercent, & diſtincta tribunalia habent, appellatio etiam dirigatur ad ſeculare ſuperius tribunal: Cui praxi conſonat text. in d. §. Debet. quando ait: Debet autem ad eos ab Epiſcopis prefatæ prouinciæ ſuper cauſis, in quibus temporalem iuriſdictionem exercent, niſi forte de conſuetudine, aut priuilegio, ſiue iure alio ſpeciali ſit appellandum ad alium, appellari. Ex quibus verbis & DD. ibidem, clarum eſt, quod de iure communi aliter dicendum. Sed & hoc non eſt prætereundum quod quando princeps, aut iudex ſecularis cauſam aliquam Epiſcopo, aut Eccleſiaſtico committit, ab eius ſententia non appellatur ad ſuperiorem Eccleſiaſticum Papā, aut Epiſcopum, ſed ad ipſum delegantem, vel eius ſuperiorem laicum, Baldus in L. Si qui litigantium, circa finem. C. de Epiſcopor. audient. & hanc ſextam regulam. in d. §. Et quandoque appellatur, numero 391. Maranta ponit. Ratio eſt, quoniam in hoc caſu Eccleſiaſticus iudex non exercet iuriſdictionem Eccleſiaſticam, ſed temporalem, vnde merito appellatio redit ad delegantem ſecularem, aut

 eius

eius ſuperiorē laicum. Ex dictis etiam iudiciū ſumi poteſt eius doctrinæ & praxis, cuius meminit Didacus Couarr. practic. quæſt. cap. 4. num. 2. quod in regno Caſtellæ à prælatis Eccleſiaſticis ciuilem ſecularemq; iuriſdictionē habentibus ad regem ipſum appellationibus prouocatio fiat. Illius vſus & praxis ratio in hoc fundatur, quod omnis ciuilis & ſecularis poteſtas Caſtellanæ reipubl. penes ipſum regem ſit, & ſemper fuerit, & ita à rege deriuata in alios, eiſque conceſſa pro modo regi placito & eius voluntate; ſicq; etiam Eccleſiaſtici ex conceſſione regis iuriſdictionem temporalē adepti ſunt, qui reſeruata ſibi ſuprema iuriſdictione appellationis, poteſtatem temporalem cum limitatione in alios etiam Eccleſiaſticos tranſtulit, & ita Eccleſiaſtici habent iuriſdictionem temporalem tanquam ſubditi, & vaſalli regij, à quibus ad dominum ſupremum appellatio procedit. *Dubium hic incidenter ſolui poteſt. An quando Archiepiſcopus aut Epiſcopus in territorio ſuo vtramque habet iuriſdictionem Eccleſiaſticam, & ſecularem, & ſic etiam diſtinctos iudices, Officialem qui etiam ſicut in Eccleſiaſticis, ita in ciuilibus cauſis ex conſuetudine, aut priuilegio iudicat, quando cauſæ ad eius tribunal deferuntur, (præſupponimus enim in loco eſſe locum præuentioni, ita vt in ciuilibus adiri poſſit vterq; iudex pro voluntate actoris) & Prætorem ſiue iudicem ſecularem, appellari poſſit ab Officiali ad prætorem ſiue iudicem ſecularem in cauſis vbi præuentio locūm habet?*

Quia

Quia noui quidam aduocati hanc imperitam, & ab omni iure rationeque alienā praxim adornare conantur, vt à paucis āñis intellexi, decreui hoc dubiū plenius reſoluere. Inprimis reſolutiuè aſſero nequaquā appellandū eſſe ab Officiali Epiſcopi, aut Archiepiſcopi, ad iudicem ſecularē, per text. & cōmunē in d. §. Non debet, & cap. Non putamus, de conſuet. in 6. Prætèrea Officialis & Epiſcopus in caſu noſtro idem habent tribunal, in d. cap. Romana, à principio & cap. Non putamus. Sed ab Epiſcopo, aut Archiepiſcopo non poſſet appellari ad ſuum iudicem ſecularē. Ergo nec ab Officiali. His addo aut Officialis talis eſt maior & dignior iudex, quā ſecularis ſub eodē capite: aut minor, & indignior: quod certè dici non poteſt: Cum vt ſupra demonſtratū, poteſtas Eccleſiaſtica ſit maior & eminentior ſeculari magiſtratu: & ſic Officialis ſiue iudex Eccleſiaſticus eſt maior digniorq;. Ergo non valet appellatio à iudice Eccleſiaſtico ſiue Officiali ad iudicē ſecularem. Quandoquidē eſt contra naturā & definitionē appellationis quæ eſt à minore iudice ad maiorē prouocatio Specul. in tit. de appellation. §. Nunc tractemus, Panormit. & alij in Rubr. de appellat. Gloſſ. Petr. Anchar. Dominic. à S. Geminiano, Philip. Franc. & cōmunis in cap. 2. de cōſuet. in 6. Angel. Syluest. & alij in ſumis verb. Appellatio. Marāt. in d. §. nū. 3. & 368. per text. in d. cap. 2. de cōſuet. & cap. Omnis oppreſſus, & cap. Si quis,

quis, & cap. Placuit. 2. q. 6. & L. 1. §. Si quis in appellat. ff. de appel. Hinc cõſuetudine induci non poteſt, vt à maiori ad minorẽ ſiue inferiorem, aut etiã parẽ appelletur ſecundũ Gloſſam à DD. receptam in d. cap. 2. Quia eſt contra naturam eſſentiamque appellationis, nec meretur nomen appellationis. Præterea iudex ſecularis in hoc caſu ſi mandet, aut inhibeat iudici Eccleſiaſtico, ſiue officiali aut facit nomine proprio, aut ſui principalis Epiſcopi vel Archiepiſcopi. Si nomine proprio, non valet ſuum mandatum, nec tenetur Eccleſiaſticus obedire: cum ſit eo inferior & minor, nec habeat in eum iuriſdictionem: Si nomine ſui principalis Epiſcopi, aut Archiepiſcopi, multo minus valet: Cum habeant idem tribunal & eandem iuriſdictionem per text. in d. cap. Non putamus, & cap. Romana: Si idem tribunal, ergo non poteſt mandatum & inhibitio fieri eius nomine: Cum ſicuti nec eiuſdem ad ſeipſum poteſt eſſe appellatio, vt DD. cum Gloſſa in d. cap. 2. de conſuet. ita nec etiam poſsit verſare mandatum vnius eiuſdemque ad ſeipſum. Si autem quis exiſtimet, quod prælatus Eccleſiaſticus maior & dignior ſit, vt ſecularem gerit magiſtratum, quam vt Eccleſiaſticam habet iuriſdictionem, is etiam dubitare poteſt an ſol ſit maior in cœlo quam luna arg. cap. Solitæ, de maior. & obed. §. Præterea. Poſtremo ſic inſtituentes, aut procurãtes aut acceptantes appellationes iniuriam faciunt

ciunt ſedi Apoſtolicæ, aut Archiepiſcopali dignitati, quādo ab Archiepiſcoporū,& epiſcoporum reſpectiuè iudicijs fit appellatio ad ſecularem magiſtratum arg. d. §. Debet. De hinc domino principali iudicis ſiue officialis, quod eius poteſtatem Eccleſiaſticam diminuant, iniuriam inferunt. Poſtremo iudici à quo iniuriantur; cum ei non tribuant eas partes quas iure diuino & humano obtinet.

Quinta Concluſio. *Epiſcopus, aut Archiepiſcopus in executione & exercitio ſui officij, & iuriſdictionis Eccleſiaſticæ non debet dependere à conſenſu, & placito poteſtatis ſecularis.* Hanc pono contra quoſdam, qui Epiſcopos nunc faciunt inferiores laicis, ita vt in exercitio ſuæ iuriſdictionis debeant Epiſcopi requirere laicæ poteſtatis placetum & conſenſum, hoc dico ſine iniuria poteſtatis, & libertatis Eccleſiaſticæ fieri non poſſe. *Nunc primo probo* ex ſacris literis, quæ vocant Epiſcopos Magiſtros, Paſtores, Patres, Principes populorum, &c. Vt paſsim patet verſatis in ſacris literis. At iniuriam ſapit, quod magiſter diſcipuli, paſtor ouium, patres filiorum, &c. conſenſu & placito indigeant in ſuo officio exercendo. Hinc illud S. Gregorij in ep. ad Hermannum Metenſem Epiſcopum, relatum à Gratiano in d. 96. cap. Quis dubitet ſacerdotes Chriſti regum & principum omniumque fidelium patres & magiſtros cenſeri. Nonne miſerabilis inſaniæ eſſe cognoſcitur ſi filius patrem: diſcipulus magiſtrum ſibi co-

netur

netur ſubiugare: & iniquis obligationibus illum ſuæ poteſtati ſubijcere: à quo credit non ſolũ in terra, ſed etiã in cœlis ſe ligari poſſe & ſolui, & ibid. in cap. Duo ſunt, ex Gelaſio ad Anaſtaſiũ Imperatorẽ. Noſti itaq; inter hæc ex illorũ (intellige pontificũ & ſacerdotũ) te pẽdere iudicio, non illos ad tuã redigi voluntatẽ. Talibus igitur inſtitutis, talibuſque fulti auctoritatibus plerique pontificum alij reges, alij Imperatores excõmunicauerũt, &c. ſed cũ placito, ſiue placeto vt nunc Curiales appellant. Epiſcopus redigitur ad voluntatẽ ſecularis, & non cõtra, & ibidẽ in cap. Si Imperator Catholicus eſt, quod ſalua pace ipſius dicimus, filius eſt, non præſul Eccleſiæ, &c: & in fine. Imperatores Chriſtiani ſubdere debent executiones ſuas Eccleſiaſticis præſulibus non præferre. At ſtante beneplacito ſecularis magiſtratus. Epiſcopus ſuas executiones & ſuam voluntatem debet ſubdere voluntati & determinationi ſecularium, & ibidem in cap. Nunquam. Epiſcopis caput ſubdere principes ſolitum eſt, non de eorũ capitibus iudicare. Huc facit & illud Baſilij Imperatoris in actione 10. Synodi octauæ generalis, in orat. ad Synodũ: Quantæcunq; enim religionis & ſapientiæ laicus exiſtat, vel etiam ſi vniuerſa virtute interius polleat, donec laicus eſt, quis vocari non deſinet. Rurſus Epiſcopus quantacunque ſit irreuerentia plenus, & nudus omni virtute, donec antiſtes eſt,

& veri-

& veritatis verbum rectè prædicauerit, paſtoris vocationis & dignitatis damna non patietur. Quæ ergo nobis ratio eſt in ordine ouium conſtitutis? Paſtores verborum ſubtilitatem diſcutiendi, & ea quæ ſuper nos ſunt, quærendi & ambiendi habent. Oportet ergo nos cum timore & fide ſyncera hos audire, & facies eorum vereri (cum ſint miniſtri Domini omnipotentis, & huius formam poſsideant) & nihil amplius, quam ea quæ noſtri ordinis ſunt, requirere. Nunc autem, vt videmus, adeo multos malitia in inſaniam accendit; vt obliuiſcentes proprij ordinis, & quod pedes ſint, minime cogitantes, legem ponere velint oculis (non vt natura ſe habet) ſicut ipſi cupiunt, &c. *Secundo.* Epiſcopis ex inſtitutione Diuina, & mandato Dei incũbit non ſolum paſcere pabulo verbi oues & ſubditos ſuæ Eccleſiæ ſubiectos, ſed etiam ipſi aúctoritatem in regendo, iudicando, viſitãdo, cognoſcẽdo, corrigendo, & alijs oneribus quæ ex officio paſtori, magiſtro, iudici, patri; & ſuperintendenti cõpetunt; conſecuti ſunt. Hæc enim omnia cõſtant ex epythetis quæ ſacræ literæ Epiſcopis attribuunt. Epiſcopos enim Spiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Actor. 20. Ipſi ſunt paſtores & doctores ad cõſumationẽ ſanctorum in opus miniſterij, Epheſ. 4. De his nominibus latè & doctè Bartol. Carranza de Miranda poſtea Archiepiſcopus Toletanus

tanus in lib. de neceſsaria reſidentia perſonali Epiſcoporum; cap. 6. & breuius Dominicus à Soto lib. 10. de iuſtitia & iure. q. 3. Si hæc officia & munera competunt Epiſcopo ex iure diuino, vt dubitari non poteſt. Ergo etiam ei ex neceſsitate competunt omnia, ſine quibus hæc expedire non poteſt, aut commodè non poteſt. Cum ratio naturalis dictet quod commiſſo vno cenſeantur commiſſa, etiam illa ſine quibus illud, expediri & ad effectum deduci nequit; cap. Præterea. §. fin. de offic. & poteſt. deleg. Quia ex eo inquit text. quòd cauſa ſibi committitur; ſuper omnibus quæ ad cauſam ipſam ſpectare noſcuntur: plenariam recipit poteſtatem, & L. 2. ff. de iuriſdict. omnium iudic. Cui iuriſdictio data eſt: ea quoque eſſe conceſſa videntur; ſiue quibus iuriſdictio explicari non potuit. Vbi Bartol. Bald. Caſtren. Alexand. & alij communiter notant; quod commiſſo aut conceſſo vno, omnia videntur & intelliguntur committi & concedi; ſine quibus commiſſum & conceſſum, eſſet inutilè nec commode poſsit expediri: facit ad idem quod idem iuris eſt in vtroque connexorum. arg. cap. Tranſlato. de conſtit. & d. §. fin. de offic. deleg. & cap. Si quis obiecerit. 1. q. 3. Inſeruit ad idem propoſitum maxima illa philoſophica: Dans formam, dat omnia conſequentia formam. Ergo Epiſcopo & ſpirituali poteſtati ex iure diuino competit, vt poſsit exercere actū ſuæ

poteſtatis

poteſtatis ſine cõſenſu & placito ſecularis poteſtatis. Ergo qui poteſtatem Eccleſiaſticam cõſtringit, eique manus ligat, vt per placetum contingit, diuinæ ordinationi reſiſtit, quæ Eccleſiaſticam poteſtatem non imperfectiorẽ ſeculari poteſtate ſed perfectiorem vtpote ad perfectiſsimum finem ordinatam, inſtituit. Vnde ſicut hæc ſine placitó & conſenſu Eccleſiæ ſua officia exequitur: ita illa etiam ſuas operationes debet exercere ſine conſenſu ſecularis. *Tertio.* Eccleſiaſtica poteſtas ex inſtitutione diuina maior & ſuperior eſt terrena poteſtate, vt ſupra probatum, & omnes Catholici libenter fatentur. Ergo contra ordinem diuinitus inditum eſt, vt ſuperior pendeat à voluntate inferioris in exercitio ſuæ operationis. Secundum enim rectum ordinem inferior dependet à voluntate & conſenſu ſuperioris, & non contra. Sole enim clarius eſt nõ poſſe quenquam qui minoris auctoritatis eſt, eum qui maioris poteſtatis eſt; iudicijs ſuis adijcere, & proprijs definitionibus ſubiugare. cap. Inferior d. 21. Sic miſerabilis inſaniæ eſſe dignoſcitur, ſi filius patrem, diſcipulus magiſtrum ſibi conetur ſubiugare & iniquis obligationibus ſuæ poteſtati ſubijcere. Sicut ergo poteſtas ſe habet ad poteſtatem; Ita actus ad actum. Cum ergo poteſtas Eccleſiæ ſit ſuperior poteſtate ſeculi, neceſſario etiam eſt ex eodem principio, quod exercitium iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, ſit ſuperius exercitio iuriſdi-

riſdictionis ciuilis & mundanę: Ordini & dignitati ergo iuriſdictionis Eccleſiaſticæ repugnat, quod eius exercitiũ ſubijciatur placitò & voluntati ſecularis. *Quarto.* Sicut ſe habẽt in homine ſpiritus & caro, ita ſe habent in Eccleſia duæ illæ poteſtates. Gregor. Nazianzenus in oratione ad populum timorẽ perculſum, & Imperatorẽ iraſcentẽ, & arg. eorum quæ habẽtur in extrauag. Vnã ſanctã, de maior. & obedient. Sed peruerſus & pernicioſus eſt ordo, ſi ſpiritus non poſsit operari niſi ad beneplacitũ carnis. Si enim ſecundũ carnẽ vixeritis, ait Apoſtolus, moriemini. *Quinto.* Epiſcopus quantum ad actus ſuæ iuriſdictionis ſpiritualis eſt exemptus iure diuino, ab omni iudicio, volũtate & poteſtate ſecularis magiſtratus. Ergo nõ dependet ab eorũ voluntate & cõſenſu in ſuis operationibus. Antecedens plenè cõſtabit ex ſequẽti cõcluſione. *Sexto.* Epiſcopus eſt paterfamilias in domo ſua, id eſt, in Eccleſia. Matth. 24. Fidelis ſeruus & prudens quẽ cõſtituit dominus ſuper familiã ſuam. S. Hilarius in Mattheo canone 26. & alij in eundẽ locum. Ergo omnes in domo ſua, id eſt in Eccleſia Epiſcopi ſunt de ipſius familia. Sed prępoſterus eſt ordo quod paterfamilias in regimine & actionibus ſpectantibus ad adminiſtrationem rei familiaris dependeat à voluntate & conſenſu ſuorum familiarium. Ergo. *Septimo.* Introductio talis placiti reſtringit deprimit, & infringit libertatem Eccleſiaſticam eique aduerſatur

tur. Infringere autem & deprimere libertatem Eccleſiaſticam, eſſe inferre iniuriam Eccleſiæ nemo poteſt dubitare: In quouis enim homine libertas eſt maximum bonum, & ſeruitus miſeria. Quod autem praxi placeti infringatur & debilitetur libertas Eccleſiæ patet: Quomodo enim liber dicendus eſt, qui ſua officia & munia; prout expedit, & commodum ſibi viſum fuerit ad conſequendum finem non poteſt exequi ſine inferioris licentia & permiſsione: Nonne hoc proprium ſeruorum eſt, qui depēdent à voluntate ſuperioris domini, cui ſubduntur. Liberum enim quod exiſtit eius naturæ eſt, quod nō reqūirat alterius cōſenſum, auctoritatē, aut factum per text. in cap. De multa. de præbēd. Panormit. ibidē notab. 3. & in cap. penult. de pœnit. & remiſs. notab. 2. Bartol. in L. Precibus. col. 3. C. de Impuber. & alijs ſubſtitut. Raph. Cumā. in cōſil. 3. incip. Teſtator. B. inſtituit. Old. latè in cōſ. 225. incip. Grauamina quę, à nū. 10. Tyraq. in L. Si vnquā. C. de reuocanda donat. in verb. Reuertatur. nū. 112. & ſuper cōſuet. Pictauien. tit. 14. §. 1. Gloſſ. 3. latius, quibus cōſona eſt doctrina S. Thō. 2. 2. q. 19 art. 4. Introductio ergo in Eccleſiā talis praxeos Epiſcopū in ſua Eccleſia nō pręſulē, & principē populorū ſed ſubditū, nō ſpeculatorē & ſuperintēdentē, ſed cæcū, nō liberū ſed ſeruū efficit, & ſic laicis in rebus Eccleſiæ & pertinentibus ad cultū diuinum, animarumq; ſalutem non eſt impoſita neceſ-

ſitas ſubſequendi, ſed imperandi auctoritas contra cap. fin. de rebus Eccleſiæ non allienãd. & cap. Solitæ. de maior. & obed. Hinc puto ſic vexantes Epiſcopos, & eorum poteſtatem deprimentes excommunicari in Bulla cœnæ Domini, (cuius publicationem ſcio magnum quendam magiſtratum aliquando impedire voluiſſe, eo quod eorum cõſenſus & placitum non acceſsiſſet, ſed qua conſcientia fieri poſsit colligi poteſt ex ſuperioribus; & etiam infra dicendis, nec non alijs multis quæ Nauarr. adducit in ſimili lib. 5. conſil. in tit. de excomm. conſil. 25. contra ſummum auditorium Regis Chriſtianiſsimi) in excommunicat. illa 15. incip. Et qui ex eorum prætenſo officio, &c. §. Nec non qui ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas ſeu quæuis alia decreta in genere vel in ſpecie, ex quauis cauſa, & quouis quæſito colore, ac etiam prætextu literarum Apoſtolicarum vſu non receptarũ, ſeu reuocatarum, vel cuiuſuis conſuetudinis, aut priuilegij, vel alias quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis vſi fuerint: Vnde libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quouis modo reſtringitur, ſeu noſtris, & dictæ ſedis, ac quarumcunque Eccleſiarum iuribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè & expreſſè præiudicatur. Cui propoſito etiam fauet illa excõmunicatio 13. in eadẽ bulla incip. Excõmunicamus

municamus illos, qui per ſe; vel alium ſeu ali. os, &c. §. Ac etiam omnes tam Eccleſiaſticos quam ſeculares cuiuſcunque dignitatis, &c. Circa illa verba: quiue illa ſimpliciter, vel ſine illorum beneplacito, conſenſu, vel examine executioni demandere, &c. Ex quibus verbis notandũ tria vt plurimum interuenire, beneplacitũ, conſenſum, & examen rerũ, quæ ab Epiſcopo intenduntur: quæ omnia non conueniunt laicis reſpectu poteſtatis Eccleſiaſticæ; Sicut nec Pontifici, aut Epiſcopo conuenit, velle ſuum beneplacitum, conſenſum & examen interponere in actibus iuriſdictionis terrenæ. Etſi enim vbiq; lex illa naturalis: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: locum habeat, maximè tamen locum habere debet in duplici poteſtate, Eccleſiaſtica & ſeculari, quæ à Deo ſunt ſubordinatæ in ordine ad finem ſupernaturalem. Lex enim diuinitatis eſt, ſecundum dictum extrauag. Vnam ſanctam, de maiorit. & obed. vt infima per media in ſuprema reducantur: Licet enim ſecularis poteſtas regimen temporalium pro proximo obiecto habeat, tamen id fit quatenus hæc neceſſaria ſunt ad finem conſequendum ſupernaturalem, quem per ſe Eccleſiaſtica gubernatio intendit. Atque ad dictam regulam iuris naturalis attendere videtur. Pontifex in cap. Nouit. de iudicijs. §. 1. cum ait: Non putet aliquis quod iuriſdictionem illuſtris regis Francorum perturbare, aut minuere in-

tendamus: Cum ipſe iuriſdictionem noſtram nec velit, nec debeat impedire. Quiſque enim non debet ſe alterius officio ingerere, ne iuriſdictiones confundātur, perturbationes & ſcādala in ſubditorum mentibus generētur, & ex mala gubernatione monſtra tam in Eccleſiaſtico quā in politico regimine naſcūtur: Quiſque enim ſua ſorte ſit contentus, & ita Spartam, quam nactus eſt, exornet, vt cum venerit ille qui ſine vllius poteſtatis beneplacito & conſenſu etiam iuſtitias iudicabit, & reddet vnicuique ſecundum opera ſua de diſpenſatione concredita, rectam bonamque valeat reddere rationem. Ex dictis in hac concluſione infero in primis, poſſe Epiſcopum viſitare diocæſim ſuam, corrigere peccatores, diſciplinam Eccleſiaſticam collapſam reformare tam in Eccleſiaſticis quam in ſecularibus perſonis aliaque munia quæ de iure & conſuetudine viſitatoribus competunt exequi ſine vllo placeto temporalis magiſtratus: Cū ex iure diuino & humano viſitatio ſubditorum, correctio peccatorum & morum ſpectet ad munus Epiſcopi: & ſic ex conſequenti eodem iure ipſi competant omnia neceſſaria & commoda ad talem finem obtinendum per doctrinam veram & approbatam ſupra & ſingulariter à Bartol. & Bald. cum alijs ab eis allegatis: Data & conceſſa alicui ordinaria iuriſdictione, data & conceſſa tacite intelliguntur illa ſine quibus talis ordinaria

iuriſdictio

iuriſdictio inutilis & incommoda eſſet, nec commodè expediri poſſet. At quis non videt incommodum eſſe Epiſcopo ſequi curias ſecularis magiſtratus, cum viſitandum eſt, & ea quæ neceſſaria ad tale munus expediēda, ſupplicando eorum conſenſum, & examen etiam ſubeundo. Indignum eſt enim homine in tanto & tam ſublimi gradu conſtituto ſubmittere collum & poteſtatem ſuam diuinitus honoratam, laicis etiam quantumuis religioſis, qui ſuas executiones & voluntatem deberent ſubdere voluntati Epiſcoporum ex d. cap. Duo ſunt, & cap. Si Imperator, & alijs ibidem. Hinc ſæpè contingit, quod Epiſcopi Reueren. & Illuſtriſsimi, aut illuſtres, qui ſunt generoſi & excelſi animi, Eccleſiaſticamque auctoritatem eo loco quo haberi debet, habent, malint omittere officium ſuum, quam fieri ſerui hominum & ſubire iudicium ſecularium, vnde ſequitur ſcandalum & periculũ animarum quod certè redundat in capita eorũ, qui Epiſcopis impedimento ſunt, quod cómodè ſuum officiũ exercere nequeant. Eadē eſt ratio quandō Epiſcopus ſuum clericũ ſubditũ vult vocare ad iudicium: aut etiam laicũ ſuæ iuriſdictioni Eccleſiaſticę ſubiectũ in cauſa Eccleſiaſtca, & cultum diuinum cócernente: hæc enim ſpectant ex munere iniũcto ad Eccleſiaſticā poteſtatē. Poteſt enim poteſtas Eccleſiaſtica etiam laicũ coërcere vt à peccato deſiſtat, aut de cómiſſo

pœniteat, & ad ſalutem redeat per textum & DD. in cap. Nouit. de iudic. Quod latius alijs explicat ibidem. Nauarr. notab. 6. à num. 2. Memorabile huius rei eſt exemplum ab antiquioribus proditum, & omni poſteritati cōmendatum de B. Ambroſio Epiſcopo Mediolanen. qui Theodoſium Imperatorem ſubditum ſuæ Eccleſiæ ob cædem & effuſionem ſanguinis plurimorum innocentum comiſſam Theſſalonicæ, publicè excommunicauit, & ipſi ingreſſum Eccleſiæ prohibuit, donec pœniteret. Cap. Duo ſunt. 96. diſt. & cap. Apud Theſſalonicam 11. q. 3. & Theodoret. lib. 5. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 17. Hanc hiſtoriā deſcribit ad longū faciens mentionē tam ſtragis plurimorū, quā facti Ambroſij, nec nō pœnitētis animi Theodoſij. Vnde Eccleſia laicos non ſolū in criminibus Eccleſiaſticis, ſed etiā in alijs, cenſuris Eccleſiaſticis poteſt cōpellere, vt ad ſaniorē mentē redeant, maximè quando ſunt crimina quę publicè ſcandala multis prębēt, nec in hoc eget cēſura magiſtratus ſecularis. Si autē hęc remedia Eccleſiaſtica reſpuātur à laico, tunc Eccleſia quando ſolum in loco habet iuriſdictionem Eccleſiaſticam, amplius non poteſt procedere niſi per miniſterium & inuocationem brachij ſecularis. arg. cap. 1. de officio ordin. cap. Cum C. Laicus. de foro compet. cap. Poſtulaſti de homicid. L. Placet. C. de ſacroſ. Eccleſ. Quod latius poſt alios Couarruuias pract. qq. cap. 10. numero 1. & 2.

extendit, & tunc Iudex ſecularis tenetur auxilium ſuum impendere: Quod ſi renuat, poteſt excommunicari à iudice Eccleſiaſtico, arg. cap. 1. de offic. iudic. ordin. Gloſſ. Panormit. & communiter DD. ibidem. cap. Statuimus. §. fin. de maled. & text. in L. 2. C. De his qui latron. &c. Oldrad. in conſil. 89. incip. Epiſcopus inuocat. Robertus Maranta in diſputatione prima, numero 26. Andr. Gaill. practic. obſeruat. lib. 1. obſeruat. 115. & alij alibi. Tamen illud obiter hoc loco cum Couarr. loco cit. numero 2. verſ. Quarto non eſt prætermittendum, annotandum eſt, quod iudex Eccleſiaſticus poſsit clericos, de quibus non eſt dubium, quin Eccleſiaſticæ poteſtati ſubiecti ſint, capere & carceribus tradere, quando ſibi hoc viſum de iure fuerit, etiamſi in loco non habeat temporalem iuriſdictionem abſque inuocatione brachij ſecularis, quando eius poteſtas ſufficiens ad capiẽdum rebellem, per cap. Cum Epiſcopus. de offic. ordin. in 6. & eſt communis omnium opinio, vt Didac. ait. Vnde falſam arguit, & refutat ſententiam Iacobi de Bellouiſu in repet. cap. Romana. §. Contrahentes, de foro competenti in 6. & Caroli Molinæi in conſuetud. Pariſien. tit. 1. §. 42. numero 66. aſſerentium Romani Pontificis reſponſum in d. cap. Cum Epiſcopus, procedere vbi Epiſcopus habet ſecularem iuriſdictionem, ideoque in his locis vbi Epiſcopus non gaudet ſeculari pote-

ſtate, non poſſe vicarium Epiſcopi, nec ipſum Epiſcopum, clericum delinquentẽ capere, & in carcerem mittere abſque iudicis ſecularis auxilio & inuocatione. Secundo ex ſuperioribus infero non poſſe vllo pacto prętextu conſuetudinis, aut colore priuilegij induci, vt Epiſcopalis auctoritatis, & iuriſdictionis exercitium in his operationibus quæ ex iure diuino curæ paſtorali adiunctæ ſunt, vt ſunt iudicare in rebus concernentibus Eccleſiaſticum iudicium & animarum ſalutem, corrigere prauos mores ſubditorum, excommunicare, viſitare, &c. dependeat à beneplacito magiſtratus ſecularis: Siquidem iuris diuini eſt iuriſdictio Eccleſiaſtica, & eodem iure ſuperior ſeculari poteſtate, & ita eius executio eodem modo ſequitur: Quia connexorum eſt idem ius, vt ſupra latius deductũ. Quæ autem iuris diuini ſunt, priuilegio, ſtatuto, aut conſuetudine tolli non poſſunt, iuxta ea, quæ Panormit. tradit in cap. fin. de cõſuetud. & ratio planè demonſtrat: Quippe humana poteſtas inferior, infirmior eſt, quam vt diuinam diſpoſitionem tollere & diſrumpere poſsit. Sic nec ſummus Pontifex diſpenſare poteſt in eis quæ ſunt iuris diuini, nec priuilegijs ea tollere vt ſatis indicant S. Thom. 1.2. q. 97. art. 4. ad 3. & quodlibeto 4. art. 13. Angel. & Sylueſt. in verb. Papa. Ioã. à Turrecr. lib. 2. de poteſt. Eccleſ. cap. 107. Ioan. Maior in 3. d. 24. q. 12. Iacob. Almain. in lib. de poteſt. Eccleſiæ,

cleſiæ, cap. 13. Dominic. à Soto lib. 1. de iuſtitia & iure q. 7. art. 3. ad 3. Driedo de libertate Chriſt. pag. 204. Didac. in Epitome in 4. decret. part. 2. cap. 6. §. 9. num. 10. & pract. qq. cap. 31. num. 4. & hæc eſt communis Theologorum vera ſententia. Vnde non ſatis rectè loquuntur iuriſperiti quidam, dum affirmant ſummum Pontificem ex cauſa in iure diuino diſpenſare poſſe. Panormit. in cap. Non eſt, de voto. Felin. in cap. Quæ in Eccleſiarum, numero 19. de conſtitut. Decius in conſ. 112. incip. In præſenti cõſultatione & alij alibi.

Sexta Concluſio. *Clerici & eorum res ſunt exempta à iuriſdictione ſeculari, nec ſubijciuntur iugo ſecularis poteſtatis.* Hanc docent communiter DD. Catholici, Franciſcus Victoria in relect. 1. de poteſtate Eccleſiæ, ſect. 7. Dominicus à Soto in 4. ſentent. d. 25. q. 2. art. 2. Ioannes à Medina in C. de rebus reſtituendis q. 15. Driedo de libertate Chriſtiana fol. 109. Robert. Bellarminus tom. 1. controuerſ. 5. controuerſ. generali, lib. 1. cap. 28. Ioan. à Turrecremata in cap. Si Imperator, d. 96. Alphonſus Guerrer. in ſpeculo ſummorũ Pontificũ, Imperatorũ & regum, cap. 35. Didac. Couarr. practicarum qq. cap. 31. Inocent. Hoſtien. Anton. Cardinalis & cõmunis in cap. 2. de maior. & obed. & DD. in cap. Quanquam, de cenſibus in 6. Concluſio nunc probatur. cap. Eccleſia S. Mariæ, de conſtitutionibus. cap. Non minus, & cap. Aduerſus, de immunitate

nitate Eccleſ. & cap. Quia nonnulli. & cap. Clericis, eod. tit. in 6. & in d. cap. Quanquã, & alibi ſæpè, & in Bulla Cœnæ DOMINI per multos. §§. & L. Sancimus 2. C. de ſacroſ. Eccleſ. & C. de Epiſcop. & Cleric. in conſtit. Friderici Imperatoris: quæ incipit: Item nullã communitas. Atque hæc exemptio etiam in veteri lege erat, vbi tamen ſacerdotiũ multo imperfectius fuit, Geneſi 47. Ioſeph ſubiecit omnem terram AEgypti cum populis & terminis ſuis regi Pharaoni exceptis ſacerdotibus cum terra ſua: & deinde factum eſt velut in legem vt cunctus populus tributum ſolueret exceptis ſacerdotibus, de qua re in cap. Tributum. §. Quamuis. q. 8. & in d. cap. Non minus. de immunit. Eccl. & 1. Eſdræ. 7. Perſonæ domus DEI, id eſt, Eccleſiaſticæ eximuntur à vectigalibus, tributis, & annonis: vbi rex Perſarum Artaxerxes Eſdræ inter reliqua decreta hoc etiam committit his verbis: Vobis quoque notum facimus de vniuerſis ſacerdotibus & leuitis, cantoribus & ianitoribus nathinneis & miniſtris domus DEI huius vt vectigal, & tributum, & annonas nõ habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos. Deinde Eccleſiaſtica poteſtas eſt ſuperior ſeculari. Ergo ab eius iuriſdictione exempta eſt. Quantũ etiam ad bona Eccleſiaſticorum ratione fulcitur hæc exemptio: Cum enim bona ſpectent ad perſonas Eccleſiaſticas, & eorũ neceſſario vſui conſecrata ſint, perſonarum conditioné

ſequuntur

ſequuntur: quia quæ religioſis adhærent, religioſa ſunt. ff. de rei vend. L. Quæ religioſis. Ex dicta concluſione patet error Marſilij de Padua, & Ioannis de Ianduno qui dixerunt referente Turrecremata lib. 4. Summæ de Eccleſia, parte 2. cap. 37. & poſt eum Soto, Victoriam & alijs allegantibus, ipſum etiam Chriſtum non fuiſſe liberum à ſoluendis tributis & quod ſoluit Matth. 17. tributum, id non feciſſe voluntate ſed neceſsitate. Quidam etiam hæretici clericos ſubijciunt ſeculari magiſtratui, vt videre eſt apud Caluinum in Inſtitut. lib. 4. cap. 11. §. 15. & alibi, & apud Philippum Melanctonem in locis cõmunibus in cap. de magiſtratu; Petrum Martyrem in cap. 13. ad Romanos, & alios paſsim eius farinæ homines; & quotidiana experientia ocularique inſpectione apud ſectarios id conſtat. In omnibus enim quæ concernunt Eccleſias, & Eccleſiaſticam diſciplinam Magiſtratus ſecularis ſuam interponit auctoritatem, & diſponit de religione. Nec mirum, cum nec caput Eccleſiæ, nec veram Eccleſiam agnoſcant, nec etiam habeant veram Eccleſiaſticam ordinatamque diſcipinam; quæ dependet à ſucceſsione & regimine Pontificũ, dignitate ac gradu Epiſcoporum; ordinatione ſacerdotum & miniſtrorum in Eccleſia. Nemo enim dubitare poteſt, qui veræ & Catholicæ fidei vnitatem tenet non gaudere immunitate & libertate Eccleſiaſtica à Pontificibus & Imperatoribus

indicta.

in dicta eos, qui in ſorte clericorũ & ſacerdotũ non ſunt vocati per miniſterium Epiſcoporũ ſecundum ritum Catholicæ Romanæque Eccleſiæ. Circa prædictã concluſionẽ cõtrouerſia eſt apud. DD. Quo iure Eccleſiaſtici & eorum bona, eximantur à iuriſdictione ſeculari? Quidam exiſtimant iure diuino eximi; ideoque tali exemptioni nullo iure derogari poſſe, huius ſentẽtiæ ſunt Gloſſ. in cap. Si Imperator. 96. & in can. Tributum. 23. q. 8. & in cap. Quanquam de Cenſibus in 6. Panormit. Felinus, & Decius in cap. Eccleſia S. Mariæ, de conſtitut. Hoſtienſis, Ioannes Andreas, & alij in cap. 2. de maioritate & obedientia. Anchar. Franc. Geminian. & communis in d. cap. Quamuis, & hanc ſententiam communem Felinus in cap. 2. de maiorit. & obedient. Rochus Curtius in capite vltimo, de conſuetudine & alij atteſtantur, & eſt apud iuriſperitos communis, eamq; maximè in d. cap. Quãquam, fundant, vbi clara & formalia hæc ſunt verba Pontificis, videlicet Bonifacij octaui. Quanquã pedagiorũ exactiones tã iure canonico quam ciuili regulariter merito ſint damnatæ: tanto tamen diſtrictius (ne ab Eccleſijs & perſonis Eccleſiaſticis talia exigantur) prohiberi oportet, quanto ſi id fiat maioris inde tranſgreſsionis reatus incurritur: & offenſa euidentior comprobatur. Cum igitur Eccleſiæ Eccleſiaſticæq; perſonæ ac res ipſarum nõ ſolum iure humano, quinimo & diuino à ſecularium

cularium perſonarum exactionibus ſint immunes, &c. Alij volunt quod clerici lege diuina non ſint exempti, ſed humana. Innocent. in d. cap. 2. de maior. & obed. Ferrarien. in practica, in tit. de conſeſſoria. §. Plenam. Alciat. in cap. Cum non ab homine, & pro parte Ioannes à Medina in C. de reſtitut. Theologi recentiores, quos etiam ſequitur Didacus Couarruuias pract. qq. cap. 31. numero 2. & ſeq. tenent clericos in quibuſdam iure diuino exemptos, in alijs poſitiuo: & horum ſententia in ſequentibus concluſionibus explicatur.

Septima Concluſio. *Clerici in omnibus vere proprieq́; ſpiritualibus Eccleſiaſticis, ſunt exempti à poteſtate ſeculari iure diuino.* Hanc docent Franciſcus Victoria in relect. 1. de poteſtate Eccleſiæ, ſect. 7. Dominicus à Soto in 4. d. 25. q. 2. art. 2 Ioſeph. Angles, in floribus Theolog., qq. in 4. de ſacram. ordinis art. vlt. concl 1. Didacus Couarruuias loco cit. concluſ. 1. Robertus Bellarmin. tomo primo cõtrouerſ. in 5. cõtrouerſ. generali lib. 1. cap. 28. propoſ. 1. & cõmuniter nũc Theologi, & à fortiori hãc amplectũtur iuriſperiti ꝓ prima ſententia allegati. Pro huius cõcluſionis intelligẽtia añotandũ cauſas propriè ſpirituales eſſe, quę ex natura ſua ſunt ſpirituales, & ab Eccleſiaſtica poteſtate depẽdent, & ad Eccleſiæ regimẽ ſpectãt, & huius generis ſunt quæ ad ordines ſacramẽta obſeruatiões Eccleſiaſticas beneficia,

ficia, diſciplinam Eccleſiaſticam; & eius generis munia Eccleſiaſtica diriguntur. Item quæ ex iure diuino Eccleſiaſticæ poteſtati adiuncta ſunt, vt ordinare, prædicare, ſacramenta conferre, viſitare populum ſibi commiſſum, corrigere, excommunicare, &c. Albertus Pighius lib. 4. Hierarchiæ Eccleſiaſticæ. cap. 2. col. 6. Sic cauſas Eccleſiaſticas deſcribit: Cauſæ quæ ex natura ſua ad eandem (intellige poteſtatem Eccleſiaſticam) pertinent, ſunt quæcunque de ordinibus, gradibus, ſacramentis, obſeruationibus, alijſq; rebus Eccleſiaſticis quæſtiones & controuerſiæ: Quicquid denique inter quoſcunque Chriſtianos ortum habens ex aliquo quod ſpecialiter Eccleſiam, legem, fidemque Chriſtianam pertinet. Martinus Nauarrus in Rubric. cap. Nouit, de iudicijs à numero 23. & lib. 5. conſil. in tit. de ſentent. excommun. conſ. 25. numero 6. & alibi latius alijs declarat, & dilatat quid ſit ſpirituale ad propoſitũ, ad quem lectoré breuitatis ergo remittimus. Nunc ꝓbatur cóclusio. In primis poteſtas Eccleſiaſtica diſtincta eſt à ſeculari, & ea ſuperior vt ſupra probatum eſt. Ergo non ſubijcitur ciuili in illis actibus, in quibus ſuperior: Ergo exempta eſt à poteſtate ciuili. Deinde poteſtas regendi Eccleſiam, ab ipſo Chriſto cómiſſa eſt Apoſtolis & maximè Petro eiuſque ſucceſſoribus, non principibus ſecularibus. Petro enim dictũ eſt: Tibi dabo claues regni

cœlorum,

cœlorum Matth. 28. & iterum, Paſce oues meas: Ioann. vlt. Ergo in rebus Eccleſiaſticis laici quamuis ſancti & iuſti ſunt oues & ſubditi, & non ſuperiores, nec iudices. Confirmant canones hanc etiam concluſionem. d. 96. can. Imperator. Si Imperator Catholicus, inquit, eſt, filius eſt non præſul Eccleſiæ, diſcere ei cõuenit non docere, & cap. Nouit. de iudicijs. & cap. Quanquam. de cenſib. lib. 6. & alibi. Huc pertinet etiam celebre & Chriſtiano Imperatore digniſsimum eulogium Conſtantini Imperatoris ad Epiſcopos Niceæ congregatos: Vos Dij eſtis, à ſummo Deo conſtituti, conueniens non eſt, vt homo iudicet Deos. Huius dicti meminerunt Ruffinus lib. 10. hiſtor. cap. 2. Gregorius lib. 4. epiſtol. cap. 75. ad Mauritium, & Gratian. in cap. Continua. 11. q. 1. & ibidem in cap. Sacerdotibus. & in cap. Futuram. 12. q. 1. Multa alia probant hanc concluſionem, quæ congeſsimus ſupra in hac ead. q. concl. 5. Atque hinc confirmatur altius Eccleſiaſticos de iure diuino non dependere in actibus ſuæ poteſtatis ſpiritualis à conſenſu & voluntate ſecularis iuriſdictionis: cum iure diuino exempti ſint in his actibus: Cui iuri nec lege humana, nec conſuetudine, nec priuilegio poteſt præiudicari.

Octaua Concluſio. *Exemptio Eccleſiaſticorum in rebus politicis & ciuilibus quantum ad perſonas & res ſiue bona, non eſt ex iure diuino.* Hæc eſt contra canonum peritos ſupra allegatos, & eam ſequuntur

tur Francis. Victor. Sotus, Ióſeph. Angles, Bellar. Ioã. Medina, Couarr. & recẽtiores Theol. Innocẽt. in d. cap. 2. ſub dubió tamen, canoniſtarũ cõmunẽ ſententiã etiã indicat, nec tamẽ impugnat. Andr. Alciatus in cap. Cum nõ ab homine, de iudicijs. num. 2. & alij. Cõcluſio probatur. In primis nulla lex Euangelij efficaciter & validè cõcludit hanc exẽptionẽ eſſe iuris diuini, & lex vetus eſt abolita accedẽte noua. Teſtimonia quæ adferuntur cõtra hanc cõcluſionẽ ſoluuntur à Ioan. Medina, Soto, Couarr. & Bellarmin. His accedit, quod Apoſtolus Paulus, cũ vidiſſet ſuã cauſam iniuſtè agitari, appellauit ad Cæſarem. Actor. 25. Deinde in primitiua Eccleſia Clerici eorũq; res ſubijciebantur iuriſdictioni Imperatorũ & ſecularium principũ, vt animaduertere licet ex multis legibus & auctenticis in tit. C. de ſacroſan. Eccleſ. & de Epiſcopis & Cleric. &c.

Nona Concluſi. *Etſi non ſit ex iure diuino exemptio prædicta, nihilominus ſummus Pontifex potuit Eccleſiaſticos & eorum res à iuriſdictione ſeculari eximere.* Hanc tradunt Victoria loco cit. propoſ. 5, Sot. vbi ſupra cõcl. 6. Couarr. in d. cap. 31. nũ. 3. cõcl. 3. Innocẽt. in cap. 2. de maior. & obed. & alij ibid. Cardinal. in repetitio. cap. Perpendimus, de ſentẽt. excõm. oppoſ. 7. Cõcluſio probatur. Talis exemptio cõueniens & neceſſaria eſt regimini Eccleſiæ, & adminiſtrationi rerum ſpiritualiũ. Ergo ſummus Pontifex potuit talem exemptionẽ inducere: Siqui-

dem

dem Eccleſiaſtica poteſtas eſt perfecta, & per ſe ſufficiens; nec à ſeculari dependet: vnde habet poteſtatē ferendi leges & ſtatuendi omnia quæ cõgrua, oportuna neceſſariaq; ſunt ad ſuã conſeruationē, & ad tuendũ ſtatum illæſum. Quod autē talis exemptio cõueniēs & neceſſaria ſit ſtatui Eccleſiaſtico, ſatis conſtat. Quandoquidē ſi miniſtri Eccleſiæ ſubijcerentur in perſonis & rebus laicorũ poteſtati, poſſent trahi ad iudiciũ laicorũ, & ſic auocarētur à miniſterio diuino & implicarētur negotijs ſecularibus cõtra Apoſtolicã doctrinã 2. ad Timoth. cap. 2. Nec non etiã eorũ vileſceret auctoritas, & ſtatus diuinitus inſtitutus facile contēneretur ab eis, à quibus honorē conſequi deberet. Preterea huiuſmodi exemptio maximè cõuenit tranquillitati ſtatus Eccleſiaſtici. Impoſsibile enim foret Eccleſiaſticos quietè inſeruire Eccleſię, & Deo, ſi in omnibus ſubijcerētur ſecularib. Quia clericis laicos infeſtos valde tradit antiquitas, & pręſentiũ experimēta tēporũ manifeſtè declarãt, dum ſuis finibus nõ cõtenti nituntur in vetitũ & ad illicita frena relaxãt: cap. Clericis, de imunit. Eccleſ. in 6. Hinc fit, ꝙ minima de cauſa occaſionē vexandi Eccleſiaſticos, & turbandi eorum ſtatum ſumant, & ſic Deo non præſtatur gratum obſequium. Decet enim vt cuius in pace factus eſt locus: eius cultus etiam ſit cum debita veneratione pacificus, cap. Decet. in 6. eod. tit. Huic propoſito conſonat text. in Cod. Theodoſiano

 lib.

lib. 16. tit. 1. de Epiſcopis, Eccleſ. & clericis, vbi ſic Imper. Conſtant. ſcribit. Qui diuino cultui miniſteria religionis impendunt, id eſt, hi qui clerici appellantur, ab omnibus omnino muneribus excuſentur, ne ſacrilego liuore quorundam à diuinis auocentur obſequijs. Ex his alijſque cauſis in fauorem vtilitatemque Eccleſiæ, & communem hominum ſalutem à ſummis Pontificibus, cum Imperatorum etiam conceſsione, nec non Chriſtiani populi vnanimi cõſenſu exemptio clericorũ inducta eſt. De canonib. autem & Imperatorum legibus pro libertate Eccleſiaſtica viſum eſt in concl. 6. Iura autem ciuilia quæ attribuunt laicis aliquam iuriſdictionem in clericos ſunt correcta per auctent. Federici Imperatoris ſtatuimus. C. de Epiſcop. & cleric. vt teſtantur Bald. & alij in d. auctent. Statuimus. Verum contra ſuperiora fortiſsimè facit d. cap. Quanquam. de cenſib. quod innuit Eccleſiaſticas perſonas & eorum res iure diuino exemptas. Reſpondetur cum Couarr. & alijs quibuſdam recentioribus perſonas Eccleſiaſticas earumque res dici iure diuino exemptas ex eo quod à veteri lege diuina, & antiquo teſtamento originem duxerit exemptio & exemplum huiuſmodi exemptionis in diuina ſcriptura habeamus, quomodo decimas quãtum ad quotam etiam poſſumus dicere iure diuino inſtitutas vt Couarr. lib. 1. variarum reſolut. cap. 17. numero 2. tradit: Aliter dici poteſt

poteſt perſonas Eccleſiaſticas & res eorum exemptas iure diuino, id eſt, ſacris canonibus, canones enim aliquando vocantur ius diuinum text. in cap. Nimis. de iureiur. & in cap. 2. de priuileg. in 6. Hoſtien. Ioann. Andr. & Panormit. in cap. 1. de iurament. calumn. & poſt alios Tyraquell. de vtroque retractu in præfatione num. 11,

Decima Concluſio. *Quamuis iure poſitiuo clericorum exemptio tantum inducta ſit, non poteſt tamen ab vllo principe ſeculari licet ſummo infringi, & talis immunitas tolli.* Sic Victoria, Sotus, Couarr. & alij. Probatur ex ſuperioribus, Summus Pontifex iuſtiſsimis de cauſis Eccleſiaſticos exemit à poteſtate ſecularium, & id expediebat diſciplinæ & vtilitati Eccleſiæ. Ergo principes ſeculares non poſſunt talem exemptionem infringere, cum in rebus Eccleſiaſticis ſint ſummo Pontifice inferiores, Inferior autem non poteſt tollere legem ſuperioris. Poſtremo, poteſtas principum ſecularium eſt à tota republica. Sed tota Reſpub. iam conſenſit in libertatem Eccleſiaſticorum. Ergo principes non poſſunt eam auferre. Ex dictis infertur.

Vndecima Concluſio. *Eccleſiaſtici à magiſtratu ſeculari non poſſunt collectari, nec tributis & exactionibus grauari in ſuis fructibus, reditibus, & prouentibus abſq; ſpeciali & expreſſa Romani Pontificis licentia.* Hæc concluſio eſt communis DD. vtriuſque facultatis, & conſtat ex canonibus &

 concilijs

concilijs, nec non etiam legibus. cap. Aduerſus de immunit. Eccleſ. & cap. Quia nonnulli & d. cap. Clericis eod. tit. in 6. & in extrauag. Quod olim. eod. tit. & in d. cap. Quanquam. de cenſib. ac alibi. His conſentiunt cócilia Lateranen. ſub Alex. III. par. 1. cap. 19. & aliud Lateranen. ſub Innocentio III. cap. 46. & Bulla Cœnæ Domini in excommunicat. 18. §. incip. Et qui collectas, decimas, taleas, &c. vbi latius proſequitur & in Auctent. Itē nulla C. de Epiſcop. & cleric. Item nulla, ait, cómunitas, vel perſona publica, vel priuata collectas, vel exactiones, angarias, vel perangarias Eccleſijs, vel alijs pijs locis, aut Eccleſiaſticis perſonis imponant: aut inuadere Eccleſiaſtica bona præſumant: Quod ſi fecerint, & requiſiti ab Eccleſia vel imperio emendare cótēpſerint: triplum refundant: & nihilominus báno imperiali ſubiaceant: quod abſque ſatisfactione debita nullatenus remittatur, & in C. Theodoſiano, & alibi: Nec nouum videatur quod Eccleſiaſtici ſint liberi ab exactionibus laicorum, cum in veteri lege miniſtri Dei etiam liberi fuerint ab oneribus reipubl. ciuilis vt videre eſt Geneſ. 48. & 1. Eſdræ. cap. 7. Imó & apud Paganos qui ſacerdotũ vice erant, à muneribus publicisq; præſtationibus imunes habebantur vt videre eſt apud Iuliũ Cæſarē lib. 6. cōmentariorum, vbi ſic loquitur: Druydes à bello abeſſe conſueuerunt, neq; tributa vna cum reliquis pendunt, militiæ vacationē, omniumq;

niũmq; rerum habent immunitatẽ. Druydes autem eo tempore apud Gallos loco ſacerdotum erant, vt clarum eſt ex verbis quæ paulo ſuperius Cæſar præmittit, dum ait: Druydes rebus diuinis interſunt, ſacrificia publica ac priuata procurant, religiones interpretantur, &c. & paulo poſt ſubiungit pœnã eorum, qui Druydum imperiũ contẽpſerant: his verbis: Si quis aut priuatus: aut publicus eorum decreto non ſtetit: ſacrificijs interdicunt. Hæc pœna apud eos eſt grauiſsima, quibus ita eſt interdictũ: ij numero impiorũ, ac ſceleratorũ habentur: ijs omnes decedunt, aditum ſermonemq; defugiunt: ne quid ex cõtagione incõmodi accipiant: neq; ijs petentibus ius redditur, neq; honos vllus communicatur, &c. Sic Cæſar. In his verbis nota pœnã etiam ſimilẽ quaſi excõmunicationi apud illas gentes fuiſſe cõtra non obediẽtes magiſtratui vacãti ſacrificijs & reb. diuinis pro more illius populi. Ratio fundata in ſuperioribus eſt etiam pro concluſione: Eccleſiaſtica & clericorum bona ſunt exempta à iuriſdictione laicorum à ſummis Pontificibus & Imperatoribus cum conſenſu populi. Ergo iuſtè non poſſunt grauari exactionibus, tributis & alijs oneribus à magiſtratu politico.

12. Concl. *Magiſtratus ſecularis propria auctoritate clericis et Eccleſiaſticis perſonis exactiones, tributa et grauamina imponẽs et ſubleuãs, eſt ipſo iure excõmunicatus excõmunicatione reſeruata Põtifici, nec poteſt ab ſolui niſi præmiſſa reſtitutiõe et ſatiſfactione omniũ eorũ,*

quæ ſic extorſit & exegit. Hæc concluſio conſtat ex Bulla Cœnæ Domini in d. §. Et qui collectas, decimas, &c. iuncto inferius. §. Cæterum à prædictis ſententijs. Et ſic tenent omnes DD. cõmentantes in Bullam Cœnæ Domini nec poteſt dubitari in hac re à Catholico. Eadem concluſio olim etiam fuit definita, in cap. Clericis laicos, per Bonifacium Octauum de immunit. Eccleſiar. in 6. Sed illa decretalis cum ſuis declarationibus fuit reuocata, & caſſata à Clemente V. in Concilio Viennenſi, vt conſtat ex Clem. vnica eod. tit. Verum tamen quod Benedictus XI. in extrauag. communi, quæ incipit: Quod olim per fæl. record. Bonifacium Papam Octauum. eod. tit. eam etiam reſtrinxit conſtitutionem Bonifacij. Sed quicquid ſit de his, materia illius decretalis. Clericis laicos, nunc iterum eſt renou t·, & per ſucceſsionem multorum Pontificum in proceſſum Bullæ Cœnæ Domini relata, & ſingulis annis de nouo confirmatur, & publicatur: ita quod nemo fere probabilem, poſsit prætendere ignorantiam & ſic ſententiæ in ea latæ obligant omnes. Hoc tamen obſeruandum in Concilio generali, iuxta cap. Aduerſus, de immunitate Eccleſiarum, etiam excommunicationem fuiſſe latam antiquitus contra conſules & rectores ciuitatum, vel alios qui Eccleſias & Eccleſiaſticos viros tallijs ſeu collectis & exactionibus alijs aggrauare nituntur ſi moniti non deſiſterent,

non

non tamen tunc illam excommunicationis cēſuram extitiſſe reſeruatam. Addit ergo Bulla Cœnæ Domini reſeruationem ſententiæ à iure latæ, ſicut etiam fere in alijs caſibus antea à canonibus ſtatutis prout tradit Nauarr. in cap. Ita quorundam, de Iudæis, notab. vltimo. numero 38 & in manuali confeſſar. cap. 21. num. 54. Nec nouum, ſed antiquiſsimum eſt quod violatores Eccleſiaſticæ libertatis excommunicatione feriantur vt clarum ex conſtitutione Federici Imperatoris C. de Epiſcop. & Cleric. incip. Item quæcunque communitas, vel perſona per annum in excommunicatione propter libertatem Eccleſiæ fractam perſeuerauerit: ipſo iure imperiali banno ſubiaceat: à quo nullatenus extrahatur: niſi prius ab Eccleſia beneficio abſolutionis obtento. Hæc d. conſtitutio habet. Quoniam autem multi ſub hac ſententia Bullæ Cœnæ Domini continentur, & excommunicantur, propter breuitatem libet integra verba ſubſcribere; ſic enim d. §. habet: Et qui collectas, decimas, taleas, præſtantias, & alia onera clericis, prælatis, & alijs perſonis Eccleſiaſticis, ac eorum & Eccleſiarum, monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum bonis, illorumque fructibus, reditibus & prouentibus huiuſmodi abſque ſimili Romani Pontificis ſpeciali, & expreſſa licentia imponunt, & diuerſis etiam exquiſitis modis exigunt, aut ſic etiam impoſitam à ſponte dantibus & concedē-

tibus recipiunt: nec non qui per ſe, vel alium, ſeu alios directè, vel indirectè prędicta facere, exequi, vel procurare: aut eiſdẽ, auxiliũ, cõſilium, vel fauorem, aut votum, ſeu ſuffragium, palam vel occultè præſtare non verentur, cuiuſcunq; ſint pręeminẽtiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut ſtatus, etiãſi Imperali, aut regali pręfulgeant dignitate, ſeu principes, duces, comites, Barones, reſpublicæ, & alij potentatus quicunq; etiã regnis, prouincijs, ciuitatibus, & terris quoquomodo præſidentes; aut quauis etiã pontificali dignitate inſigniti: innouantes decreta ſuper his per ſacros canones tam in Lateranen. nouiſsimè celebrato quam alijs concilijs generalibus edita, etiã cum cẽſuris, & pœnis in eis contentis. Hæc Bulla Cœnæ Domini. Pro maiori intelligẽtia horũ, quæ in hac concluſione dicta ſunt, aliqua ſunt ſubiungenda. *Primum dubium. Quid ſi aliquis ſit in conſilio, vtpote gubernator, vel conſiliarius, vbi tractatur de collectis, & exactionibus imponendis Eccleſia, vel Eccleſiaſticis perſonis, & non conſentiat, tamen maior pars concludat clerum colectandum, vel clerum arreſtatione, aut apprehenſione fructuum, aut alia vexatione inducendum ad conſentiendum & ſoluendum, an ſic non conſentiens, peccet, & etiam cum alijs ſit excommunicatus, ita vt non poſsit abſolui niſi à Romano Pontifice, aut ab eodẽ habente poteſtatem & præuia reſtitutione? Reſpondetur in primis.* Si interſit principalis, qui pro ſua auctoritate poteſt impedire, ſine dubio mortaliter peccat, & incurrit excõmuni-

çatio-

rationem Papalē. *Secundo* alius à ſuperiore & principali, vtpote præſes, aut conſiliarius, qui cōſentiendo & conſulendo, aut exequēdo cooperatur etiā ſine dubio peccatū & excōmunicationē incurrit: Panormit. Anton. Hoſtié. Ancharan. & alij in cap. Aduerſus, de imunit. Eccleſ. Angel. in ſumā verb. Excōmunicatio 7. caſu 5. Syluest. in eodē verb. 9. excōm. 5. & alij alibi, & ſufficienter exprimitur in d. §. Proceſſus Cœnæ Domini. Eadem eſt ratio ſi tacuerunt, nec contradixerunt iuxta Innocēt. in cap. 1. de his quæ fiunt à maiori parte capit. Angel. vbi ſupra, num. 5. Syluest. & alios. Qui enim tacet, quando loqui tenetur, conſentire videtur. arg. cap. Si poſt præſtitum, de confeſſ. in 6. *Tertio* conſiliarius, præſens in conſilio, aut congregatione vbi definiuntur, & concluduntur, collectæ & grauamina prædicta contra Eccleſiaſticam libertatem, ſi contradicit quatenus poteſt, & debet, nec vllo modo præbet cōſenſum etiamſi non relinquat officium, nō incurrit excōmunicationē: Panormit. & Ancharan. in d. cap. Aduerſus. Angel. & Syluest. loc. cit. Ioan. Tabien. verb. Excōmunicatio. caſ. 18. Martin. Nauarr. in manuali confeſſar. cap. 27. num. 115. & alij alibi. Ratio, quia qui contradixit & reſtitit tantū, quantū potuit & debuit, nō peccauit, arg. cap. Epheſ. 43. diſt. At ſine peccato mortali nō incurritur maior excōmunicatio iuxta regulam traditā à Petr. Paludano in 4. ſentēt. d. 18. q. 1. art. 2. & cōmuniter.

muniter à DD. receptam, & ſatis fundatam in cap. Nullus, & c. Nemo. 11. q. 3. necnon in cap. A nobis 1. & c. Sacro, de ſent. excommun. Dubitat tamen Innocent. in cap. Nouerit de ſent. excommun. an qui quantum potuit & debuit, contradixit, teneatur relinquere officium ſuum, ad euitandum peccatum & excõmunicationem. Ioannes autem Andreas in d. cap. Aduerſus, quem DD. in hoc communiter ſequuntur teſtibus Panormit. Angelo, & Syluest. putat quod teneatur dimittere officium, ſed cum alijs ab hac ſententia tanquam nimis rigida recedendum, rectius videtur: cum non ſatis comprobetur. Si autem ſic contradicens cogeretur ad conſentiendum in talem exactionem & ſpolium clericorum ſub minis de priuando ſuo officio ni conſentiret, tunc non dubito conueuire inter omnes potius relinquendum officium, quam conſentiendum in iniquam exactionem & extorſionem. *Quarto*, qui modo prædicto contradixit, nec vllum conſenſum, aut conſilium præbuit ad ſic exigendum, non tenetur etiam ad vllam exactorum, & extortorum reſtitutionem. Ratio clara eſt, quandoquidem nec peccauit contra iuſtitiam, nec fuit cauſa iniuſtæ damnificationis; cum nec conſilium, neque conſenſum dederit: Et res, quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit, cap. 2. de conſuet. Gloſſa & DD. ibidem. *Quinto*, ſi quis officialis, qui conſilium, & conſenſum ad collectan-

lectandum clericos dedit, ab officio decedat, aut morte præuentus aut alia cauſa motus, ſucceſſor in officio, ſi etiam conſenſum præbeat, aut conſilium det quantum ad aliorum aſſenſum, & executionem communis ſententiæ, etiam incurrit eandem pœnam ſecundum cõmunem doctrinam in d. cap. Aduerſus. Cum enim talis peccet, & aliorum peccato conſentiat: iuxta illud Apoſtoli dictum: Non ſolum ſunt digni morte, qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, merito eandem incurrit pœnã. *Secundum dubium. An reſtitutio & ſatisfactio facienda ab his ſecundũ canones prædictos & Bullam Cœnæ Domini, qui abſolui à peccato, & excommunicatione debent, ſit tantum pœnalis impoſita à canonibus, vel oriatur ex natura rei?* Mouetur hoc dubium propter aliquos, qui etſi nomine Catholici ſint, tamen eludunt canones? Reſpondetur ergo ſimpliciter, etſi canones relati ſuperius faciant mentionem reſtitutionis & ſatisfactionis aut ſufficientis cautionis de reſtituendo ad obtinendum beneficium abſolutionis, tamen reſtitutio non eſt impoſita à canone ſicut ipſa cenſura excommunicationis, ſed ſequitur ex natura ipſius iniquæ exactionis, & iniuſtæ actionis, prohibitę iure naturali & diuino: Omnis enim q exigit & extorquet, retinetq; alienũ, aut eſt efficax cauſa, quod proximo damnũ inferatur cõtra iuſtitiã, etſi nihil vtilitatis & commoditatis inde percipiat, tenetur ad reſtitutionem extortorum & detentorum.

torũ, & ad recõpenſandũ damnum cap. Si res. 14. q. 6. & in regula, Peccatũ. de reg. iuris in 6. & per multa alia allegata ſupra in 2. part. Rubric. Notab. 5. & 6; & cum peccatũ non remittatur niſi reſtituatur ablatũ ex d. reg. Peccatũ. & c. Cum tu, de vſuris, quod deſumptũ eſt ex Auguſt. in ep. 54. ad Macedoniũ, vbi inquit: Si enim res aliena, ꝓpter quam peccatũ eſt, cũ reddi poſsit, non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur: Si autẽ veraciter agitur, nõ remittetur peccatũ niſi reſtituatur ablatũ: Hinc meritò ſequitur ordine naturæ prærequiri reſtitutionẽ & ſatisfactionem in re, ſi hoc ſtatim fieri poſsit, aut in ſpe, ſi inopia, aut impotentia, aut alia iuſta cauſa non ferat, ob quã in eo caſu cautio præſtanda eſt ad obtinendã abſolutionẽ. De neceſsitate huius reſtitutionis videndi DD. in d. cap. Aduerſus. Panormit. in cap. Super quibuſdam, de verbor. ſignificatione. Sylueſt. loco cit. Nauarr. in manuali confeſſ. cap. 17. num. 202. & alij alibi. Præterea laici, vt ſupra probatum eſt, nullam de iure habent poteſtatem in bona Eccleſiaſticorũ: Ergo ſi ea exigunt & extorquent, rapinam exercent, & aliena iniuſtè inuadunt, Ergo iure diuino & naturali tenentur ablata reſtituere, & damna emergentia recompenſare ad conſequendam ſalutem: Cum ad iuſtitiam obtinẽdam neceſſarium ſit amouere iniuſtitiam. Iniuſtitiæ autem eſt iniuſtè aliena inuadere, & alijs damna inferre, nec reſtituere, & nocu-

menta illata recompenſare. Cum autem hiſce temporibus in multis locis ſint magiſtratus ſeculares, qui iuriſdictionis Eccleſiaſt. libertatem infringant exigendo tributa, & onera indebita ab Eccleſia Eccleſiaſticiſque perſonis, aut earum fructus & prouentus varijs & exquiſitis modis grauantes contra iuſtitiam, canones ac leges nec vnquam ſic Eccleſiam lædentes vllam faciant reſtitutionem, aut facere cogitent, demiror cum Nauarro in manuali confeſſariorum capite decimoſeptimo numero 203. cum tot haſce cenſuras incurrant, tam pauci tamen confeſſarij locorum, vbi hæc aguntur; eas pro dignitate æſtiment, vt eas incurrentibus abſolutionem denegent, & tam pauci Epiſcopi ſic excommunicatas perſonas & interdictas terras vbi hæc fiunt, iubentur, ac permittuntur, denuncient. Cum tamē id ad eorum officiū ſpectet, argumen. cap. Clerici, in 6. de immunit. Eccleſ. & Clementina. Præſenti de cēſibus, quando conſtat huiuſmodi cōmitti. Cōtingit autē hoc ex eo, quod pleriq; Eccleſiarū Prælati & Epiſcopi trepident, vbi trepitandum non eſt, & tranſitoriam pacem quærant, plus timentes maieſtatem temporalem quam æternam offendere. d. cap. Clerici, nec intelligant quod ſint paſtores qui animas ſuas debent pro ouibus ponere; & non mercenariorum more in aduerſitatibus & oppreſsionibus diſsimulare ſed clamare, percutere, & tan-

& tanquam murum ſe opponere: Hinc rectè ait Gloſſa in d. cap. Clericis ſuper verb. æternam: Faciant prælati Eccleſiarum, quod ſint imitatores Nabuthæ, qui vineam ſuam, & hæreditatem patrum ſuorum non tradidit regi Achab petenti, ſed proprio cruore defendit. 3. Reg. 21. & imitentur S. Ambroſium dicentem ad Imperatoris armatos milites, vt habetur 23. q. 8. cap. Conuenior. Quod meum eſt, id eſt, fundum meum, argentum meum, & huiuſmodi meum, reſpondi ſi à me peteret (ſubintellige Imperator) me non refragaturum: quanquam omnia quæ mea ſunt, ſint pauperum: verum ea quæ diuina ſunt, imperatoriæ poteſtati non ſunt ſubiecta: ſi patrimonium petit, inuadite: Si corpus occurram: Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? voluntas mihi eſt: non ego me vallabo circumfuſione populorum: nec altaria tenebo vitam obſecrans: ſed pro altaribus gratis immolabor, &c. longe inferius iterum ſubditur: Si de me aliquid poſceretur & cōpelleretur: aut fundus: aut domus: aut ager: aut aurum & argentum: id quod mei iuris eſſet libenter offerre. Templo Domini nihil poſſum nec decerpere, nec tradere: Cum illud cuſtodiendum non tradendum acceperim. Deinde conſulere etiam me Imperatoris ſaluti oportet: quia nec mihi expedit tradere: nec illi accipere, accipiat vocem liberi ſacerdotis, ſi vult ſibi eſſe conſultum: recedat à Chriſti iniuria, &c. Sic ibi.

Sed

Sed & memorabile & imitatione dignum huius rei exemplum glorioſus Epiſcopus & Martyr Chriſti Thomas Cantuarien. præbuit qui cum Henricus Angliæ rex leges vtilitati, libertati & Eccleſiaſticæ dignitati repugnantes tuliſſet, conſtantiſsimè regiæ cupiditati obſtitit, neque pollicitationibus, neque terroribus neque propinquorum calamitatibus, quibus afficiebantur ob ſancti viri conſtantiam pro Eccleſia, permiſit ſe à propoſito diuelli, & ſic in exilium pulſus; Tandem poſt varios caſus & pericula rerum ab exilio cum ſumma totius regni gratulatione reuocatus, fideliter fungens officio boni paſtoris ab impijs regis ſatellitibus, qui domino ſuo gratum obſequium in hoc impio facto præſtare contendebant, capite plectitur, ac Martyrij coronâ conſequitur tanquam bonus paſtor, qui animam ſuam ꝓ Eccleſia & Eccleſiæ iure poſuit. Hęc ex eius Martyrio ſcripto à Ioāne Carnotenſi Epiſcopo & alijs; S. Thomæ Cantuarienſis Epiſcopi zelum & pro Eccleſia fortitudinem imitati ſunt ſuperioribus & noſtris temporibus multi Epiſcopi, Eccleſiæ prælati & Eccleſiaſtici in regno Angliæ, qui ſe oppoſuerunt muros pro Eccleſia eiuſque iure, & vſq; ad ſanguinem reſtiterunt, ſine dubio in ſpiritu præuidentes paradoxum iſtud quod nunc in Anglia pro fidei articulo licet falſiſsimo & nullo vnquam tempore audito omnes concinere debent, nempe Reginam eſſe ſupremam in regno ſuo, ita in

Eccleſiaſtico ſtatu, ſicut in politico, ſic vt hodie criminis læſæ maieſtatis reus habeatur in Anglia, qui Pontificem Romanũ ſummũ Eccleſiæ Anglicanæ paſtorem confitetur, aut negat reginam eius Eccleſiæ caput. Atque vt hoc clarè ante oculos ponam, quod Martinus Nauarrus vir omnium bonorum iudicio doctrina & vitæ innocentia clariſsimus breuibus inſinuatin relectione cap. Nouit de iudicijs, in Rubric. à num. 60. quis mirari fortaſſe poſsit tantam in hoc perituro mundo viciſsitudinem quæ maxima ex parte venit inde quod habentes poteſtatem laicam in iudicando & poteſtatem exercendo terminos poſitos à Patribus, ac ſanctiſsimis Imperatoribus tranſgrediantur violando iura diuina & humana, & non ſeruando ordinem diuinitus diſpoſitum, quod ita diuinæ maieſtati diſplicet, vt percutiat aliquando multos etiam in terra viuentium, id eſt, adhuc in Eccleſia Dei cæcitate vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Certè negare non poſſumus, ſi attentè cõſideremus, violationẽ iuriũ Eccleſiaſticorũ, & impugnationẽ ſeu læſionem poteſtatis & libertatis Eccleſiaſticæ, maximã eſſe diſpoſitionẽ ad hæreſin & præcipuè Caluiniſmũ. In quã ſententiã etiam idem Nauarr. & in tract. de redditibus beneficiorum q. 1. num. 95. vbi poſt multas regias & heroicas virtutes Philippi Secundi Regis Catholici commendat ei tria ad cumulum virtutum, quorum primum eſt, vt

comprimat non nullos qui indirectè laicam poteſtatem ſub ſpe maioris iuſtitiæ, vtilitatiſque publicæ intra Eccleſiaſticæ fines nituntur intrudere, & poſt aliqua ſubiungit, frequentiſsimo exemplo eſſe perſuaſum Eccleſiaſticæ auctoritatis poteſtatiſque cultu, & Eccleſiæ in iuribus ſuis integritate manente regna floreſcere, & contemptu, marceſcere, ac tandem à fide Catholica deficere. Perpendamus Angliæ regnum, An non hunc miſerum eius ſtatũ, qui nunc ad ſumam peruenit malitiã præceſsit cõfuſio iuriũ Eccleſiaſticorũ; vt teſtatus eſt exilio & proprio ſanguine ſanctiſsimus Epiſcopus & martyr Thomas Cantuarienſis, & acta illius regni tradita à pijſsimis, ſanctiſsimis & doctiſsimis viris ſatis, memoriæ hominũ prodiderunt. De Galliæ regno, vbi iuriſdictionẽ Epiſcoporũ ab Aula diſceſsiſſe illius loci Iuriſperiti non infimi libere olim teſtati ſunt, & paſsim fere omnia Eccleſiaſtica negotia ſub exquiſitis titulis ad ſecularium tribunalia diriguntur, & canones parui fiunt, præſentium tẽporum calamitates, quæ illud regnũm florentiſsimum in ſpiritualibus & temporalibus ferè ſupprimunt, ſatis euidenter arguunt. Inferiores Germaniæ & Belgij partes Galliæ adiacentes, quæ mala inuaſerint; poſtquam ſtatus Eccleſiaſticus cum multorum ſcandalo ad diſcretionem, & ſuggeſtionem ſeculariũ mutatus in multis eſt, & propemodũ perturbatus, ſi antiquiſsimus & fœliciſsimus illius

regionis diuinus cultus perpendatur, quis enumerare poteſt? Omnes enim intelligentes, manibus palpant, & præſentia tempora clamant. Sæpè enim DEVS nos punit in his in quibus delinquimus. Dum enim Principes huius ſeculi DEI & Eccleſiæ iuri & poteſtati contendunt ſe immiſcere, ſacerdotium iudicare, & dirigere Eccleſiaſtica; cùm eos Spiritus ſanctus non conſtituerit regere Eccleſiam DEI, iuſto Dei iudicio puniuntur & perturbantur in ſuis dominijs, prouincijs, ciuitatibus, & iuriſdictione; & ſæpius à proprijs rebellibus ſubditis excluduntur, immenſos theſauros exhauriunt, nec tamen tranquillam pacatamque ſuorum poſſeſsionem multis ſumptibus, plurimis periculis ac laboribus, infinitis hominum cædibus, & bellorum calamitatibus conſequi valent. Iuſtiſsimè enim patiuntur in ſuis, qui vſurpata poteſtate quærunt dominari in alienis. Huic propoſito non incongruum eſt reſponſum Hoſij Cordubenſis Epiſcopi ad Conſtantium Imperatorem relatum à B. Athanaſio in Epiſt. ad ſolitariam vitam agentes, Deſine, inquit Epiſcopus Hoſius, quæſo, & memineris te mortalem eſſe, reformida diem iudicij, ſerua te in illum diem purum: ne te miſceas Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe; ſed potius ea à nobis diſce. Tibi DEVS imperium commiſit: nobis quæ ſunt Eccleſiæ, cócredidit; & quémadmodum qui tuum imperiú malignis ocu-

lis carpit, contradicit ordinationi diuinæ: ita & tu caue, ne quæ ſunt Eccleſiæ, ad te trahens, magno crimine obnoxius fias: Et infra latius ſeculares principes Antichriſto comparat, qui Eccleſiaſtica ſibi vſurpant, & iura Eccleſię violant: Grauia ſunt iſta, ait, & pluſquam grauia, ſed tamen iſtiuſmodi quæ congruunt in eum qui Antichriſti imaginem induerit. Quis enim videns eum in decernendo principem ſe facere Epiſcoporum, & præſidere iudicijs Eccleſiaſticis, non merito dicat illum eam ipſam abominationem deſolationis eſſe, quæ à Daniele prædicta eſt? cap. 9. Matth. 24. Nam cùm circumamictus ſit Chriſtianiſmo, & in loca ſancta penetret, & inibi conſiſtens deuaſtet Eccleſias, abrogans canones, vi cogens vt ſua obtineant, quis vnquam audebit dicere, hoc tempus Chriſtianis pacatum eſſe, & non potius perſecutionem eſſe? &c. Hæc ibi. Certiſsimum enim eſt ſummam generare confuſionem, & maximũ inducere ſcandalũ, quando laici quaſi ſuperintendentes nituntur eſſe Eccleſiaſticarum perſonarum, ita vt Epiſcopi & prælati Eccleſiarum in omnibus quaſi dependeant à voluntate & conſenſu magiſtratus Laici: Tunc enim laici obliuiſcentes proprij ordinis (vt verbis Baſilij Imperatoris in oratione ad Synodum generalem vtar) Act. 10. in fine octauæ Synodi generalis; & quod pedes ſint minimè cogitantes, legem ponere volunt oculis (non vt natura ſe habet) ſicut

ipſi cupiunt, tunc diuinum iudicium nõ quieſcit, ſed iuſtam vltionem in opere cunctis oſtendit, vt regna & iura ſecularium principum inuertantur & vndique concutiantur procellis & perturbationibus cum interitu multarum animarum & corporum. Prudentiſsimum imo & ſanctiſsimum fuit dictũ & factum D. Ludouici Regis Francorum, de quo poſt Broymardum prodit Nauarrus in Rubric, cap. Nouit, de iudicijs. numero 70. quod Optimus ille rex hæc Legato ſuo Roma reuerſo dixiſſe narretur. Quod mandata mea diligenter curaueris, rem gratam feciſti, & laudo diligentiam tuam. Quod vero præter mandata diplomata iſta à Pontifice deportaſti, quibus dandorum Eccleſijs Epiſcoporum mihi poteſtas ſit, nec agnoſco, nec poſtulo: Intelligo enim ſatis quanto cum ſalutis diſcrimine, cui tu parum conſulere videris, ego iſta ſuſciperem, eaque diplomata in ignem coniecit. Sic ille. Non eſt dubium tum omnia rectiſsimè in hoc mundo adminiſtrari, quando quis propriam quam diuino munere adeptus eſt, adornat ſpartam nec ſuæ vocationi deeſt, relinquendo ea quæ alienum concernunt officium, & iuriſdictionem. *Tertium dubium. An ſecularis magiſtratus conſuetudine poſſit acquirere ius collectandi Eccleſiaſticos?* Reſpondetur in primis ſecundum cõmunẽ opinionẽ Canoniſtarũ & Iuriſperitorum, quam ſupra inſinuauimus, facilis

cilis eſt reſponſio; Si enim, vt ipſi dicunt bona Eccleſiaſticorum & Eccleſiæ iure diuino exempta ſunt, & hæc libertas eodem iure inducta ſit, conſuetudo non poteſt eam tollere. Quia in ea quæ ſunt iuris diuini conſuetudo ſuam non exercet vim vt communiter Theologi & Iuriſperiti confitentur. Sed ſupra ſignificatum eſt hanc exemptionem non eſſe iuris diuini ſed poſitiui cum communiori Theologorum doctrina, quam etiam recentiores iuriſperiti amplectuntur. Quare aliter reſpondendum. conſuetudinem non valere, & iniuſtã eſſe, qua vſurpatur poteſtas à laicis collectandi & grauandi clericos & Eccleſias: & quo diuturnior eo damnabilior. Nam cõſuetudo cui lex reſiſtit eam improbando, non valet. Felinus in cap. Accedentes de præſcriptionib. poſt col. 4. fallentia 3. qui etiam alios allegat, Panormit. in cap. Cum ex officij. eod. tit. Franciſcus Balbus de præſcription. in 5. par. quintæ principalis q. 9. prope finem. Nec mirum, cum ea conſuetudo dicatur irrationabilis, quam iura improbant, per multa iura allegata à Gloſſa in cap. fin. de conſuetud. & ibidem DD. Sed vtrumque ius improbat conſuetudinem contra libertatem Eccleſiaſticam, & eam non valere vult quę Eccleſijs earumq; miniſtris inducit grauamẽ cap. 1. de conſuetud. argum. cap. Quanquam dę cenſib. in 6. & cap. 1. de iureiur. eod. lib. & cap. Etſi pignorationes de iniurijs ibidẽ & in

Auctent. Caſſa. C. de ſacroſancta Eccleſia. Caſſa, & irrita, ait, eſſe & denunciari per totam Italiam præcipit omnia ſtatuta & conſuetudines contra libertates Eccleſiæ, earumque perſonas inductas aduerſus canonicas & Imperiales ſanctiones, &c. Et de cætero ſimilia attentata ipſo iure nulla eſſe decernit. Hæc ibi. Vnde DD. cõmuniter concludunt ſtatuta & conſuetudines contra libertatem Eccleſiaſticam non valere & nullius eſſe roboris Bartol. Baldus & alij in d. Auctent. Bartol. & Alexand. in L. De quibus ff. de iuſtit. & iure. Panormit. cum Gloſſ. in cap. fin. de conſuetud. Gloſſ. & communis in cap. 1. eod. tit. Dominic. Franc. & alij in d. cap. Quanquam, & contraria conſuetudo verius dicenda corruptela, d. cap. & c. Etſi pignorationes. His accedit, quod Nauarrus in manuali confeſſariorum cap. 27. num. 72. in explicatione illius §. Cæterum à prædictis, in Bulla Cœnæ Domini, declarat, quod illæ cẽſuræ includunt omnes etiam Imperatores, & reges & vniuerſitates, quibus illę ſunt aptæ, & quod nulla cõſuetudo etiam immemorialis, nec præſcriptio quælibet longiſſima, nec priuilegium etiam per viam contractus vel remunerationis conceſſum contra eas prodeſſet. Non ergo ſeculares titulo conſuetudinis poſſunt inducere exactiones & grauamina contra Eccleſias, & clericos, nec colore talis prætextus liberantur à cenſura excõmunicationis, & reſtitutionis debito. Quare mirandum

randum quod aliquando naſuti, & qui gloriantur de aliquali ſcientia velint ſua facta in his excuſare prætextu conſuetudinis quam rectius corruptelam, & abuſum nominarent: Et verendum iure, vt etiam Nauarr. in d. manuali cap. 17. num. 203. dicit ne DEVS omnipotens in dies magis, & magis iratus, conſultores principum, & rerumpub. de prædictis canonibus parum curantes, & principes & reſpublicas nimium illis credentes & exactores ſoli auaritiæ inhiantes grauiſsimè tandem caſtiget. Et paulo poſt idem auctor ſubiungit: Suo tempore, quo Romæ ſacræ pœnitentiariæ interfuit multos populos Italiæ & gubernatores & exactores eorum à ſummo pœnitentiario S.D.N. petijſſe abſolutionē à cēſuris ob hęc incurſis reſtitutione promiſſa, parata & facta, quos vtinā aliorū Regnorum populi & rectores imitarentur. Amen. Sic Nauarrus. Ex dictis iudicium ſumi poteſt: An clerici ligentur ſtatutis & inhibitionibus laicorum. Vt quando cauetur ab eis ne quid vendatur certis perſonis non ſubditis: Aut prohibetur ne quis frumenta euehat extra territorium, & ſic de ſimilibus. Non enim eſt dubium huiuſmodi ſtatuta, præcepta & inhibitiones laicorum non comprehendere clericos & eorum bona Eccleſiaſtica, quæ exempta ſunt, vt ex ſuperioribus conſtat, à iuriſdictione & poteſtate ſeculari. Statuta, & ordinationes laicorū in grauamen Eccleſiarum, & bonorum ad eas

 ſpectan-

ſpectantium tanquam contra Eccleſiaſticam libertatem factę ſunt reprobatæ in iurre cap. 1. de conſtitut. cap. Eccleſia S. Mariæ, de conſtitut. & c. Quanquam, de cenſ. in 6. & Auctent. Caſſa, de ſacroſ. Eccleſ. DD. Vtriuſq; facultátis in iurib. alleg. Sic ſtatutum prohibens vendere certis perſonis puta nõ ſubditis, non includit clericos, & dicitur eſſe contra libertátem Eccleſiaſticam Ioan. Andr. & Geminian. in cap. fin. de immunit. Eccleſ. in 6. Felin. in cap. Eccleſia S. Mariæ. de conſtitut. col. 4. verſic. Nonó quæro, & ſecundum eum communis opinio. Alexand. in conſ. 214. col. 2. vol. 2. Bartol. in L. Filius familias §. Diui. ff. de leg. 1. Marant. in diſput. 8. numero 12. & ſimilis ratio eſt de omnibus ſtatutis præceptis, & inhibitionibus quæ in grauamen & incommodum clericorum tendunt. arg. eorum quæ à fortiori adducunt Bald. in L. Cunctos populos. numero 10. C. de ſum. Trinit. Bartol. in L. 1. ff. de his quæ pœn. nom. Alexand. in conſ. 209. incip. Statutis accuratè. vol. 2. Iaſon. in L. Vt inter diuinum. num. 30. C. de ſacroſ. Eccleſ. Panorm. in repet. d. c. Eccleſia S. Mariæ, Anton. de Butrio in cap. Clerici, à numero 5. de iudic. Petrus Ancharan. in cap. Ea quæ, numero 28. de reg. iuris in 6. & alij alibi. *Quartum dubium. An peccent, & incidant etiam in cenſuras clerici & Eccleſiaſtici ſoluentes & dantes collectas & exactiones laicis exigentibus & extorquentibus?* Videtur quod ſic per

text.

text. expreſſum in cap. Clericis. §. Prælatis. de immunitate Eccleſ. in 6. Prælatis, ait textus, & perſonis Eccleſiaſticis ſupradictis in virtute obedientiæ & ſub depoſitionis pœna diſtrictè mandantes: vt talibus abſque expreſſa licentia dictæ ſedis nullatenus acquieſcant: Quódque prætextu cuiuſcunque obligationis, promiſſionis & confeſsionis factarũ hactenus, vel faciendarum in antea priuſquam huiuſmodi conſtitutio, prohibitio ſeu præceptum ad notitiam ipſorum peruenerint, nihil ſoluant: nec ſupradicti ſeculares quoquo modo recipiant. Etſi ſoluerint, vel prædicti recepérint, in excommunicationis ſententiam incidant ipſo facto. Deinde Pontifex Bonifacius VIII. reſeruat ſibi abſolutionem talis excommunicationis excepto mortis articulo. Hic canon alicui perſuadere poteſt quod Eccleſiaſtici mortaliter peccent, & excommunicati ſint, quando ſoluunt exactiones ad ſecularium petitionem & extorſionem. Sed eo non obſtante, in primis dubium non eſt prædictũ canonẽ non habere nunc locũ in ſoluentibus, quia correctus & pro infecto redditus eſt in Concilio Viennen. à Clemẽte V. cuius cõſtitutio habetur Clementina I. de imũnitate Eccleſ. vnde quantũ ad ſoluentes d. cap. Clericis, non habet locũ. Sicut etiam Benedictus XI. in extrauag. incip. Quod olim eod. tit. exemit, vt etiã ſentiunt Anchar. Franc. Domin. & alij in d. cap. Clericis Sylu. in ſumã

verb. Excommunicatio VII. excom, 10. Nauarr. in manuali cõfeſſariorum cap. 27. num, 96. & lib. 3. conſ, in tit, de cenſibus, conſ. 12, & communiter ita DD. iuxta prædictam extrauag. Deinde Nauarrus in d. conſ. numero 2. addit quod probabiliter dici poteſt eum peccatum ire grauiter, ſi ſciens & credens non teneri ad ſoluendam illam ſoluerit ſponte ſine timore iuſto incurrendi aliquod maius malum: quia videtur tranſgredi illud celebre cap. Aduerſus de immunit, Eccleſ. Quantum ad hoc Nauarri reſponſum, veritatem vt ipſe etiam innuit, habere poteſt in eis, qui ſciunt ſe non eſſe obligatos ad ſoluendum, vtpote quia magiſtratus propria auctoritate & ſine cauſa iuſta imponit non præcedenti Summi in Eccleſia Monarchæ licentia cum cauſæ, ob quam clericorum exactio expetitur, cognitione, quæ licentia à Magiſtratu ſeculari antequam exigat, & Eccleſiaſticorum cõſenſum ad dandum ſoluendumque requirat, clericis, aut ſaltem Eccleſiaſtico magiſtratui, per quem ad aliorũ notitiã deueniat, debet ſufficienter publicari, & manifeſtari, vt intelligant, ſe teneri ad conſentiendum, & ſoluendum, & tunc etiam obligantur pro viribus ad conſentiendum & contribuendum. Et ſi in caſu, quo ſciunt ſe non obligari, conſentiant & ſoluant, peccant, vt etiam Nauarr. fatetur, & videtur colligi ex d. cap. Aduerſus, per illa verba: Propter imprudentiam tamen

quorun-

quorundam (intellige Prælatorum, ſiue capitum Eccleſiæ iuxta mentẽ Panormit. & Ancharani ibidem) Romanus Pontifex prius conſulatur, cuius intereſt cõmunibus vtilitatibus prouidere. Et ita moderanda Nauarri doctrina, quam in d. c. Aduerſus fundat, vt locum habeat in Prælatis & capitibus Cleri, quando Prælati ad petitionem & inſtantiam laicorum conſentiunt in grauamen non præcedente Pontificis cognitione & conſenſu; Tum ex maiorum indebito conſenſu indebitè grauantur minores in clero virtute talis cõſenſus. Qui autem ex communi clero ſunt, nec conſenſum voluntarium dederunt, aut dant in iniuſtam exactionem, ſed tamen ſoluunt ad extorſionem importunam & metu maioris incommodi moti aut ob aliam rationabilem cauſam, non peccant, nec eis aduerſatur c. Aduerſus, ꝙ directè procedit aduerſus ſeculares exigentes, & extorquentes, qui abſq; dubio grauiſsimè peccant, excommunicationemque Papalem incurrunt, & ad reſtitutionem omnium ſic extortorum tenentur cum omnibus conſilium, auxilium, fauoremque ad hoc preſtantibus, ad cõſequendum gratiam DEI inhabitantem in præſenti ſeculo, & gloriam in futuro, licet multi terrenis rebus, & Eccleſiaſticis bonis ineſcati, eiſque veluti harpeiæ inhærentes parum cogitent de reſtitutione & ſalutari pœnitentia cum maxima Eccleſiarũ, Monaſteriorum, & locorum diui-

norum iniuria & ingenti damno; ſed Deus; qui etiam iuſtitias iudicat, non irridetur, nec potentiam vllius creaturæ reſpicit, ſed retribuet vnicuique ſecundùm opera ſua, quando venerit illa dies, vt ſatisfaciendum ſit vſq; ad nouiſsimum quadrantem. Occaſione prædictorum reddo rationem mei facti; quod quidam è quodam ſeculari magiſtratu in exemplū licet non cõmodè ſuperioribus annis, vt mihi tum temporis à fide dignis referebatur, adducebant contra aliquos Eccleſiaſticos: Quod videlicet ego vltro ad petitionem ſoluiſſem taxam exactam: alias non facturus ſi exactionis iuſtitiam non intelligerem: & ſic è contrario Eccleſiaſtici fortaſſe exiſtimare potuerunt me etiam contraueniſſe canonum ſententiæ, vel ſaltem peccaſſe præbendo occaſionem audacius peccandi laicis dando & ſoluendo, quod iniuſtè exigebant. Vtrique parti ſatisfaciendo nunc reſpondeo, & latius adhibeo hanc declarationem, quam tunc paucis quibuſdam Eccleſiaſticis inſinuaui. In primis non diffiteor me eo tempore ſoluiſſe exactiones ſeculari magiſtratui; Cum tamen ſatis ex communi relatione & fama publica cõſtaret, non acceſsiſſe facultatem & licentiam Pontificam: Siquidem hæc nunquam nec maioribus, nec minoribus ex clero fuit oſtenſa: quod tamen de iure fieri debuiſſet, & ſatis etiam apertum redditum eſt ex poſt facto: Quia ſummus Pontifex, cuius eſt officium

Eccleſiæ vtilitati conſulere, eamque defendere arg. d. cap. Aduerſus, §. Propter, ad inſtantiam quorundam Prælatorum & Eccleſiaſticorum in diuerſis Epiſcopatibus reſidentium, tandem certior redditus literas Apoſtolicas contra talem magiſtratum decreuit & emiſit: quarum tamen executio per ſuppreſsionem literarum impedita fuit in partibus à ſuperiori magiſtratu. Quod bene, an male factum fuerit DEVS nouit, & ſummus in Eccleſia moderator iudicare poterit. Quicquid tamen ſit, per hoc nulla ratione excuſantur & liberantur à peccato, cenſuris ac reſtitutione qui auctoritate, opere, auxilio, conſilio, conſenſu, cooperatione, aut quauis executione extiterunt cauſa, aut concauſa exactionis & extorſionis à clero. Deinde quantum ad me, ſine peccato potui ſoluere, quod alij abſq; crimine, non poterant exigere & extorquere. Quia nulla lege prohibebar: Non d. cap. Clericis, qui illud reuocatum & correctũ: Nõ Bulla Cœnæ Domini etiá obſtat facto meo, quia nec prohibet ſolutionem, nec ſoluenti pœnam imponit. Nec cap. Aduerſus, de immunit. Eccleſ. aduerſatur, quia id vt oſtenſum eſt, directè tantum procedit contra ſecularem poteſtatem exigentem, & indirectè tantum arguit Prælatos conſentientes ad petitionem & requiſitioné laicorũ in ſolutioné exactionum non requiſito ſummo Pontifice. At ego non eram de numero

eorum quorum cóſenſus principaliter neceſſarius, ſed extra territorium in numero inferiorum quantum ad illum effectum. Ratio etiam iuſtæ me mouebat ad ſolutionem: Quia in illo territorio habebam ratione mei beneficij fructus neceſſarios ad meam meorumque neceſſariam ſuſtentationem, ac pauperũ v ſum, & illi fructus ab executore erant arreſtati, & ita ceſſante ſolutione fuiſſent cũ maiori meo damno prodigè diſtracti. Et ita in hoc caſu cogitaui, beatius eſſe dare quam accipere, maximè cum exactores animaduerterem obdurato animo in extorſionem varijs vijs, & etiã violentis modis incumbere cum multorum magno damno; & ita non fuit reſpectu mei ſolutio ſimpliciter ſpontanea, ſed ad redimẽdam malam vexationem, & ad euitandum maius damnum. Per hoc tamen meum factum in nullo exactores & executores releuabantur ab iniurijs, peccato & pœnis ſubſecutis de iure: etiamſi ſponte dediſſem: Quia illis præceptum reſiſtit itidem in ſponte dantibus ac concedentibus in d. cap. Clericis, & Bulla Cœnæ Domini in d. §. Et qui collectas, &c. In illis verbis: diuerſis etiam exquiſitis modis exigunt, aut ſic impoſitam etiam à ſponte dãtibus, & concedentibus recipiunt. Certè Chriſtianis magiſtratibus & principibus, qui Catholica in Eccleſia degunt, cõfuſionẽ ingerere deberet exemplum Pharaonis allegatum ad propoſitum à Concilio Generali in cap.

Non

Non minus, de immunit. Eccleſ. & ex Vrbano Pontifice in cap. Tributum. 23. q. 8. Quis, qualis, quam induratus, & quantus fuerit Pharao, omnes ex ſacra hiſtoria nouerunt, & tamen ſacerdotium in honore habuit, nec illud etiam tempore maximæ, imo etiam extremæ neceſsitatis famis voluit grauare; ſed potius ſubuenit neceſſarijs, vt eius libertas ſecura ſaluaque perſiſteret, nec perturbaretur in ſua tranquillitate. Vnde aptiſsimè in d. cap. Non minus, inſeritur infœlicitas ſacerdotij noſtri temporis, & redarguitur malitia ſecularium infeſtantium Eccleſiaſticos in ſuis bonis, iuribus, & libertate varijs & exquiſitis medijs, his verbis: In diuerſis mundi partibus conſules ciuitatum & rectores: nec non & alij qui poteſtatem habere videntur: tot onera frequenter imponunt Eccleſijs: vt deterioris conditionis factum ſub eis ſacerdotium videatur quam ſub Pharaone fuerit: qui legis diuinæ notitiã non habebat. Ille quidem (omnibus alijs ſeruituti ſubactis) ſacerdotes & poſſeſsiones eorum in priſtina libertate dimiſit, & eis alimoniam de publico adminiſtrauit. Iſti vero onera ſua fere vniuerſa imponunt Eccleſijs, & tot angarijs eas affligunt, vt eis quod Hieremias deplorat cõpetere videatur: Princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo: (Treno. 1.) & in d. cap. Tributum. §. Quamuis. Nam cum tempore, ait Vrbanus, famis cunctorum Aegyptiorum terram ſibi emeret

Pharao, atq; ſub eadē fame ſuæ ſeruituti cunctos ſubijceret, ſacerdotibus ita neceſſaria ſubminiſtrauit vt nec poſſeſsionibus, nec libertate nudarentur: Domino ex tunc pronūciante ſacerdotes in omni gēte liberos eſſe oportere. Hæc ibi. In quibus verbis obſeruandum pro principibus noſtris tria. Primum quod decet & conuenit clericis de neceſſarijs prouidere ne egeant. arg. eorum quæ poſt Gloſſam in L. Miles. ff. de re iudicata. DD ibi annotant. Iaſ. poſt alios in L. Commodis. eod. tit. Si enim clerici & Eccleſiaſtici neceſsitate premantur, immiſcent ſe ſecularibus negotijs, & ſordidis lucris, & ita vileſcit ſtatus Eccleſiaſticus, & ſacerdotium contemnitur. Secundum vt nec poſſeſsionibus nudentur. Quod ſæpè contingit, quando immoderatis exactionibus, & grauaminibus exhauriuntur. Tunc vt viuere & cōtribuere poſsint poſſeſsiones & immobilia frequēter coguntur alienare & poteſtati aliorum etiam laicorū ſubmittere contra diſpoſitionē ſacrorum canonū & mentē fundatorum. Væh autē illis, qui aut opere, aut cōſilio, aut auxilio cauſam tali alienationi præbent non cōtenti ſua ſorte, ſed alienis bonis inhiātes. Quēadmodū enim ſancti Martyres Apocal. 6. dicuntur clamare voce magna: Vſq; quo Domine, ſanctus & verus, non iudicas & non vindicas ſanguinē noſtrū de his qui habitant in terra: Ita ſanctiſsimi, & pijſsimi fundatores religioſiſsimi principes, ac etiam ſacri antiſtites,

qui

qui Eccleſias, Monaſteria, & loca pia ex ſuis bonis, patrimonijs, & laboribus proprijs erexerunt, fundarunt, auxerunt, & patrimonio Chriſti pauperumq; ſubſtantiæ adiunxerunt, quando in cœlis vident (videre autem ſanctos in cœlo, quæ in terra geruntur nemo Catholicorum dubitare debet) ſua bona, & ampla patrimonia ſeculariũ aut etiam Eccleſiaſticorũ exactionibus, extorſionibus, & varijs artibus exinaniri, alienari & diſsipari, clamant in cóſpectu Dei voce magna & altis ſuſpirijs: Vſque quo Domine, non vindicas ſanguinẽ noſtrũ, id eſt, bona noſtra, quæ alter ſanguis ſunt, vt alibi declarauimus, labores noſtros quare non vindicas, ab iniuria diripientium, & patrimonium noſtrum tuæ Eccleſiæ relictũ cur non vlciſceris contra inſidiantes, qui habitant in terra, ac noſtræ piæ voluntati, iuſtis deſiderijs, ac munificentiæ ſua malitia, iniuſtis exactionibus, & auaritia ſua cupiditate, quæ omnium malorum radix eſt, aduerſantur. Tertium in d. §. Quamuis, aduertendum in exemplo Pharaonis, noluit ſacerdotes nudari ſua libertate: Libertas enim maximum bonum eſt, quo nemo ſine iniuria priuari poteſt, imo rerum exteriorum præſtantiſsima eſt libertas, nec recipit æſtimationẽ L. Libertas. ff. de reg. iuris. L. fin. ff. de his qui ſunt ſui, vel alieni iuris. Vnde illud: Libertas pro toto non bene venditur auro. Hinc etiam dicitur lumen vitæ L. 1. §. Optamus. C. de offic. præfec.

prætor. Africæ. Et ſeruitus mortis imago lib. 7. Polytic. cap. 17. & per alia multa quæ adducit Lucas de Penna in L. vnica. C. de capitatione ciuium cenſibus eximenda, lib. 11. Et ſic ſemper cauendum, ne oneretur, vel grauetur libertas L. Titio centum. §. 2. ff. de condit. & demonſtrat. & principes iuſti ſunt libertatis amatores vt ait Lucas de Penna loco cit. per Auctent. conſtit. quæ ex aſſcrip. & lib. mul. in principio. *Quintum dubium. An Prælati Eccleſiaſtici: vt Archiepiſcopus & Epiſcopus, incidant in eaſdem cenſuras, ac etiam peccent ſi tallijs, exactionibus, aut alijs inſolitis oneribus clericos & Eccleſiaſticos grauent? In primis reſpondetur.* Si Epiſcopus, vel etiam Archiepiſcopus in loco vtramque habeat iuriſdictionem ſpiritualem, & temporalem: & auctoritatis temporalis titulo clericos & Eccleſiaſticos grauet exactionibus, aut alijs oneribus inſolitis premat contra Eccleſiaſticam libertatem, incidit in eaſdē cenſuras, in quas laici tranſgredientes. Ratio quia canones procedunt contra facientes talia poteſtate laica, vt DD. cum canonibus communiter explicant, & id ſatis indicat Bulla Cœnæ Domini, in d. §. Et qui collectas, decimas, &c. in excommunicatione 18. prope finem ſub illis verbis: (Aut quauis etiam Pontificiali dignitate inſigniti) Ea enim verba ad Eccleſiaſticos pertinent. *Secundo.* Eccleſiaſticis prælatis, vt Archiepiſcopis & Epiſcopis non licet Eccleſiaſticos & clerum tallijs & exactionibus

nibus grauare. Panormit. Anton. & alij in cap. Cum Apoſtolus. §. Prohibemus, de cenſibus. Angel. in verb. Immunitas. num. 50. Aurea Armilla in verbo. Cenſus. Boërius in deciſ. 133. & alij alibi, nec poteſt in ea re eſſe dubium vt infra latius patebit. Concluſio probatur ex d. cap. Cum Apoſtolus. §. Prohibemus. vbi Concilium Lateranenſe ait: Prohibemus etiam ne ſubditos ſuos tallijs & exactionibus Epiſcopi grauare præſumant; & circa illud verbum, prohibemus. Panormit. notat regulam generalem quod nullus prælatus citra Papam poteſt imponere collectam ſubditis. & in cap. Prohibemus. eod. tit. ex eod. Concilio. Prohibemus inſuper ne ab Abbatibus, Epiſcopis, vel alijs prælatis noui cenſus imponantur Eccleſijs: nec veteres augeantur: nec partem redituum ſuis vſibus appropriare præſumant: ſed libertatem quam ſibi maiores cõſeruare deſiderant minoribus ſuis bona voluntate conſeruent. Et Innocent. III. in cap. Conquerente. de officio iudic. ordin. renouat formam Conc. Lateranen. in d. cap. Prohibemus, ſtatuitque quod Epiſcopus contentus eſſe debeat iuribus Epiſcopalibus & non amplius exigere, &c. & in extrauag. communi Benedicti XII. quæ incipit: Vas electionis Paulus, de cenſib. exaction. & procurat. Secundo noſtrum dictum probatur. Epiſcopis in d. Concilio & canonibus eſt prohibitũ exactionibus Eccleſiaſticos grauare, & inſolitis
 oneri-

oneribus premere. Ergo eis non eſt cóceſſum & licitum. Accedit quod Archiepiſcopi & Epiſcopi iurent ſeruare canones, & debeant ſeruare iuxta ea quæ dicit Panormit. in cap. Ego de iureiur. & 25. q. 1. cap. 1. & ſeq. Tertio hæc prohibitio eſt generalis Concilij & Pontificum. Sed in ſtatutis & decretis Conciliorum, & Pontificum, Inferior non poteſt diſpenſare, nec eadem tollere: Cum id inferioris poteſtatem excedat, & conditor legis ſolum in ea diſpẽſare valeat, vt cõmuniter DD. tradunt, niſi expreſsè inferiori à iure concedatur. argum. cap. Cum dilectus, de temporibus ordinand. & DD. ibidẽ & poſt Innocẽt. in eo cap. S. Antonin. in 1. par. tit. 17. cap. Vnico. §. 20. Angel. in verb. Diſpenſatio. num. 5. Syl-ueſt. in eodem verb. numero 8. & alij alibi. Quarto, ex auctoritate Apoſtolica. 2. Corint. 11. quam ad propoſitum allegant Conc. Lateranen. in d. §. Prohibemus, & Benedictus XII. in d. extrauag. nó longè à principio: Nó debent filij theſaurizare parentibus, ſed parẽtes filijs: Ergo Archiepiſcopi & Epiſcopi Eccleſijs & Eccleſiaſticis perſonis potius debent de neceſſarijs prouidere, & theſaurizare pro eis, quam neceſſaria eorum extorquere, & theſauros pro neceſsitate honeſta ſuorum, pauperum & hoſpitũ exhaurire. Etenim, vt prædictũ Concilium inquit: Multũ longe à paterna pietate videtur ſi prępoſiti ſubditis ſuis graues exiſtant, quos in cunctis neceſsitatibus

paſtoris

paſtoris more deberent fouere. Quinto. Talis imunitas ab oneribus & exactionibus eſt bonum vniuerſalis Eccleſiæ, à ſummis pontificibus, & imperatoribus ob meritum Ieſu Chriſti conſentiente populo eidem Eccleſiæ datũ & conceſſum. Ergo nullus Epiſcopus aut etiã Archiepiſcopus poteſt eidẽ derogare ſua propria auctoritate: Cum ad ſummum Eccleſiæ moderatorem ſpectet intendere & prouidere eis quæ ſpectant ad cõmunẽ Eccleſiæ vtilitatẽ, & ſubditorum quietum regimen argum. cap. Aduerſus. §. 1. in fine, de immunit. Eccleſiar. Sexto. Ducitur etiam ratio ex lege naturali: Quod tibi non vis, fieri alteri ne feceris: Cui innititur ratio Concilij Lateranen. in d. cap. Prohibemus, dum ſubijcit: Libertatem quam ſibi maiores conſeruare deſiderant, minoribus ſuis bona voluntate conſeruent, vt rectè animaduerterunt ibidem Panormitanus & Antonius à Butrio. Hinc emanat etiam illa regula, quod maiores minoribus debent ſua iura integra conſeruare; ſicut ſibi à ſuis ſuperioribus conſeruari deſiderant iuxta cap. Ad reprimendam de offic. ordinarij. Gloſſ. & DD. tum ibi, tum in d. cap. Prohibemus. Ex dictis & alijs infra inſerendis colligitur quod prælati Eccleſiaſtici vt Archiepiſcopus, Epiſcopus & alij non poſſunt propria & ordinaria poteſtate collectare Eccleſiaſticos, & alijs inſolitis grauaminibus afficere

& contra ſi faciant peccant. *Nunc tertio reſpondetur pro vlteriori declaratione dubij.* Archiepiſcopi & Epiſcopi de iure poſſunt imponere clericis & Eccleſiaſticis ſibi ſubiectis charitatiuũ ſubſidium, ex d. cap. Conquerente: & d. cap. Cũ Apoſtolus. §. Prohibemus, & cap. Quia plerique, de immunit. Eccleſiar. & Clement. Frequens, de exceſs. prælator. DD. iuris in his locis. S. Antonin. in 3. part. tit. 20. cap. 2. §. 10. prope finem. Angel. in ſumma, verbo. Immunitas, num. 50. copioſè Nicolaus Boerius in deciſ. 133. incip. Et quo ad primam quæſtionem & Barthol. Chaſſanæus in commentarijs ſuper conſuetud. Ducatus Burgundiæ. in Rubric. 1. Des iuſtices & droicts. §. 4. ſuper verba text. Et ſur les hommes ſubiects. à num. 11. & alij plurimi, de quibus in ſequentibus. Quamuis autem Juriſconſultus dicat rerum vocabula eſſe immutabilia. L. Si quis fundi vocabulo ff. de legat. 1. tamen vitio hominũ contingit, vt etiam vitia mentitis nominibus velentur, & alijs coloribus tegantur, vt in propoſita materia licet acerbius ſubindicat Fernandus Vaſquius lib. 1. illuſtr. cõtrouerſ. cap. 8. num. 5. ideo vt iuſtitia charitatiui ſubſidij rectius cognoſcatur maximè cum res potius conſideranda, quam nomina attendenda arg. cap. Humanæ aures. 22. q. 5. & L. Labeo. §. Sed de his. ff. de ſuppell. leg. quædam ad intelligentiam huius rei declaranda ſunt. *Primum.* Charitatiuum ſubſidium vocari ex eo

poteſt,

poteſt, quia ex charitate à ſubditis conſenſus ei præbetur, & datur. Charitas enim dictat vt membra vnius corporis neceſsitate cogente capti ſubueniant; Aut quia neminem contra charitatem & iuſtitiam grauare debet, vt latius patebit. Aut quia cum charitate & beneuolentia petendum, & non minis & aſperis verbis, vt DD. tradunt. per text. in d. §. Prohibemus. *Secundum.* Prælati inferiores Epiſcopis de iure à ſibi ſubiectis non poſſunt exigere charitatiuum ſubſidium contra Gloſſ. in d. c. Cum Apoſtolus, ſuper verbo. Exactiones quam ſequuntur ibidem Rofred. & Goffred. necnon Archid. in cap. Dictum eſt. 94. diſt. ſed communis opinio eſt nobiſcum vt fatentur Chaſſanæus loco cit. num. 16. Boerius in d. deciſ. 133. num. 2. Menochius de arbitr. iudic. qq. caſu. 178. num. 1. & ſic ſentiunt Hoſtienſis, Anton. de Butrio, Ancharan. Abbas antiquus, & alij quidam in d. cap. Cum Apoſtolus. Chaſſan. Boër. Menoch. loc. cit. & alij alibi. Dictum eſt (de iure) quia ex conſuetudine & priuilegio alijs inferioribus etiam poterit competere. *Tertium.* Prælati non poſſunt charitatiuum ſubſidium exigere, quãdo ex proprijs reditibus & prouentibus ſuæ neceſsitati & cauſæ ob quam exigere intendunt, poſſunt ſatisfacere. Cardinal. in Clement. 1. de exceſsib. Prælat. col. 3. verſic. Tertio oppono. Calderin. in conſ. 3. de cenſibus, incip. Prior heremi. Doctores apoſtillæ ad Pa-

normitan. in d. cap. Cũ Apoſtolus in penult. apoſtilla, Boërius in deciſ. 134. incip. Quoad ſecundam quæſtionem, num. 9. vbi vult ſecundum omnes DD. tunc tandem Archiepiſcopis & Epiſcopis cõcedendũ ſubſidium charitatiuũ pro annatis, expeditione bullarum in Curia, & expẽſis in cõſecratione, quando fructus & prouentus nõ ſunt ſufficientes. Andr. Alciat. lib. 3 Reſponſorũ, conſ. 2. incip. Licet ſciam in hac cauſa plures præſtantiſsimos doctores num. 15. concl. 5. vbi conſulit Pontificem nõ potuiſſe ab excellentiſsimo duce Ferrariæ charitatiuũ ſubſidiũ pro bello cõtra Turcas exigere, quia ſine eo ſibi potuiſſet prouidere. Menoch. loc. cit. num. 15. & alij alibi, quibus cõſentiunt S. Thom. in epiſt. ad Duciſſam Brabantiæ, & poſt eum S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 13. §. 1. Facit ad hoc propoſitũ quod DD. tradũt reges & principes in primis debere ſibi imponere iſta ſubſidia, & pręmunire ſe de ſuo marſupio, quod ſi nõ ſufficit, poterunt poſtea ſubditis imponere; alias ſecus. Ita Bald. in d. cap. Cõquerente, de offiic. ordinarij per text. in L. Ab omnib. §. Si à Titio & Dyn. ibid. ff. de Legat. 1. Idẽ Bald. poſt Cynũ in L. Neminẽ. C. de ſacroſ. Eccleſ. Alberic. & Petr. de bella Pertica ibid. Chaſſan. loc. cit. nũ. 12. Guido Papa in deciſ. 551. & in ſingul. 13. Socin. Iunior in cõſ. 98. nũ. 10. vol. 3. Roland. à Valle cõſ. 1. nũ. 67. vol. 2. Andr. Alciat. in d. cõſ. & Menoch. in d. caſ. prope fin. & hęc ſanè cõmuniſsima Doc-

torum

torũ ſententia eſt. Confirmat amplius noſtrũ dictũ declaratio Cócilij generalis in cap. Non minus de imunit. Eccleſ. & cap. Aduerſus ibid. dum volunt ſecularibus principibus non eſſe cócedendũ vt clericos collectent niſi in caſu, quo laicorũ facultates non ſufficiunt. Panor. Anton. & alij cũ text. in d. cap. Non minus, tũc enim in ſubſidiũ cócurrunt clerici ſeruatis tamen ſeruãdis, quę à DD. colliguntur, in d. cap. Non minus. His accedit, quod principes tam ſeculares quam Eccleſiaſtici à ſubditis annuos reditus, taxas, decimas & cẽſus ordinarios percipiunt, vt neceſsitatibus occurrẽtibus ſubueniant abſq; grauamine ſubditorũ, & ſic ſuſſicere eis debet. arg. text. in L. 1. C. Vt ruſticani ad nullum obſequiũ deuocẽtur lib. 11. & cap. Cum ab omni, de vita & honeſt. clericor. & per alia iura allegata latius à Rolando à Valle in d. cóſ. nũ. 53. Cũ enim añui reditus prouẽtus cẽſuſq; aſsignati ſint principibus & prę̃latis ꝓ neceſſaria ſuſtẽtatione ſui ſtatus, & reipub. ornamento, merito cótenti debent eſſe ſtipendijs ſuis, & nihil aliud quęrere, ꝙ ſubiectis omnẽ cómoueat vitam, vt loquitur tex. in §. Illud. 2. verſ. Nos autẽ imperio ſufficientẽ quæſtũ putamus, &c. in Auctẽt. vt iud. ſine quo. ſuffrag. Ex dictis infertur prę̃latũ etiã Eccleſiaſticũ cui de iure cóceditur charitatiuũ ſubſidium, non poſſe à clero & ſubditis illud petere & exigere, quãdo de proprijs ſibi poteſt ꝓuidere, vt cómuniter per DD. & ſenſum naturalẽ Alciatus loç. cit. prope fin. num. 15. approbatũ teſtatur.

Etſi in caſu ſibi ſit ſufficiens, & ſubditos grauet, vt ſuum marſupium ſaluum permaneat, propria torcularia redundét, & horrea abundent, donec exiſtente annonæ caritate carius omnia diuendere, & ſuum ſaccum implere queat, vt interim viuendo alienis laboribus & ſumptibus, qui à ſubdictis ſub colore tituli charitatiui ſubſidij, extorquentur, cum iactura & detrimento aliorum ipſe prouidus paterfamilias dici & haberi videatur dum alij Eccleſiaſtici ſua cellaria, & horrea exhauriunt ad ſubueniendum tam propriæ neceſsitati quam ſui prælati exactioni, non tam charitatiuum ſubſidium quæritur à ſubditis, quam dura exactio extorquetur, & iniuſta rapina exercetur cum bonorum temporalium lucro, ſubditorum grauamine ac ſcandalo, nec non animæ propriæ diſpendio. Neminem enim decet ditefcere cum aliorum dāno. *Quartum.* Charitatiuum ſubſidium Epiſcopus cum conſenſu ſui capituli, & Cleri debet exigere vt DD. communiter volunt. Innocent. Hoſtien. Ioannes Andreas, Ancharan. Cardin. & alij in cap. Cum Apoſtolus, de cenſib. Panormit. & Anton. in cap. Non minus, de immunit. Eccleſ. Calderin. in conſ. 3. ſtatim in princ. de cenſib. Præpoſit. in proœmio feudor. col. 23. Chaſſan. ſuper conſuetud. Burg. Rub. 1. Des iuſtices. §. 4. num. 13. & alij alibi. argum. eorum; quæ dicuntur in tit. De his quæ fiunt à prælato ſine conſenſu capi-

capituli. Et cum tale negotium totum clerum tangat, meritò eorum conſenſus requirendus & habendus, vt fiat deliberatio, an ſit cauſa vrgens petendi tale ſubſidium, & an cōſenſus iure dandus. Conſenſus enim præſupponit cognitionem & conſultationem in re quæ tangit plurimorum commoda, & onera. Hinc colligitur, non iure, ſed propria cupiditate agere quandoque prælatos dum ſubſidium petunt à clero & ſubditis, & vt clerum ad ſubſidij conſenſum perducant, & in collectionem potius minis quam charitate pertrahant in primis ſecularium cōſenſum quoquo modo venantur, quorum iudicio deinde volunt regi Clerum, & taxari. Hoc enim eſt contra ius & æquitatem. arg. eorum quæ dicuntur à text. in c. Non minus. & cap. Aduerſus, de immunit. Eccleſ. & cap. Clericis. in 6. eodem tit. & DD. ibidem. Prælatos enim Eccleſiaſticos canonum præſcripto & iure Eccleſiam & ſubditos regere conuenit, non hominum ſecularium cenſuræ Eccleſiaſticos ſupponere, non pedes loco capitis collocare. *Quintum*. Ad iuſtificandum charitatiuum ſubſidium requiritur cauſa manifeſta & rationabilis nec non magna & vrgens neceſsitas, quam ſine ſua culpa petens incidit, per text. & DD. in d. cap. Cum Apoſtolus §. Prohibemus, & alios in locis cit. Alias ſi ſua culpa incidit, ſibi imputet arg. reg. Damnū, de reg. iuris in 6. Quæ a item rationabilis ſit cauſa, iudicis arbitrio ſtabitur

iuxta

iuxta doctrinam Gloſſæ in d. §. Prohibemus. Cardin. in Clement. 1. §. 1. colum. 1. verſ. Tertio quæro. Marſ. in L. quæſtionis modũ, num. 6. ff. de quæſtion. & poſt alios Menoch. in d. caſ. 178. num. 2. Cauſas autem propter quas Epiſcopus poteſt petere ſubſidium charitatiuum, referunt DD. in d. §. Prohibemus, & in cap. Conquerente. de offic. ordin. & ſimul collegerunt ex alijs Chaſſan. Boër. & Menoch. locis cit. Quando enim Epiſcopus in curia pro ſua cõfirmatione, expeditione bullarum, & cõſecratione magnas expenſas facit, ad quarum ſolutionem prouentus & reditus nõ ſufficiũt, deducta honeſta & neceſſaria ſuſtentatione, tunc ſecundum communem DD. ſententiam poteſt petere charitatiuum ſubſidium, & ſic pro his negotijs Epiſcopi noſtris temporibus in principio aſſumpti regiminis pro iucundo, vt aiunt, aduentu, ſolent exigere huiuſmodi ſubſidia, quem aduentum ſæpè verius triſtem, & clero ſubditiſq; iniucundum appellarent iuxta Gloſſ. pragmaticæ ſanctionis tit. de annat. poſt principium, in verbo, annatarum. Boerium in deciſ. 134. num. 6. Chaſſan. vbi ſupra, numero 36. Eadem eſt ratio, quando Epiſcopus cõuocatur à Pontifice ad Concilium nec habet expenſas ex proprio vt communiter DD. ſentiunt. Idem eſt iudicium, quando vocaretur tanquam membrum Imperij ab Imperatore ad generalem conuentum pro negotijs Eccle-

ſiæ,

ſiæ,& reipubl. Chriſtianæ: Aut etiam ingruit belli neceſsitas, cui ex proprijs ſufficienter non poteſt occurrere. Alias cauſas breuitatis cauſa omitto, quas DD. allegati continuant. Quando autem diſceptandum eſt, an cauſa ſit legitima & rationabilis, tunc ſuperior eſt legitimus iudex cuius arbitrio ſtandum eſt: Vt ſi agatur contra Epiſcopum, Archiepiſcopus: ſi contra Archiepiſcopum Pontifex. *Sextum.* Hoc ſubſidium debet eſſe moderatum, per textum generalis Concilij in d. cap. Cum Apoſtolus. §. Prohibemus. ibi: (Suſtinemus autem pro multis neceſsitatibus quæ aliquoties ſuperueniunt, vt ſi manifeſta ac rationabilis cauſa extiterit cum charitate moderatum ab eis valeant auxilium poſtulare) & in cap. Conquerente. de offic. iudic. ordinar. Honorius III. Epiſcopo Aſsiſinatin. prope finem: Tu autem his iuribus in præfatis Eccleſijs contentus exiſtens non amplius ab eis exigas præter moderatũ auxiliũ quod iuxta formam Lateranen. Cõcilij ſi manifeſta & rationabilis cauſa extiterit cũ charitate poſtulandũ ſicut ab alijs Eccleſijs eiuſdem diœceſis pro neceſsitate temporum ſuſtinemus. Sic communiter DD. in locis prædictis concedunt Prælatis Eccleſiaſticis tantum permiſſum eſſe exigere moderatum auxilium ſiue ſubſidium. Auxilium autem hoc moderatum eſſe debet pluribus modis. In primis quantum ad quantitatem: Non enim

enim tantum eſſe debet, vt notabile grauamẽ inferat ſubditis, vt vnanimi conſenſu DD. approbant. Quod enim in Eccleſiæ conceditur leuamen in eiuſdem non debet tendere grauamen. Gloſſ. & DD. in d. cap. Cum Apoſtolus. §. Sanè, ſuper verb. Poteſtatem. Et ſic vnũ altare eſt tegendum, vt ob illud alia non detegantur cap. Cum cauſa. de præbend. c. Apoſtolicæ, de donation. Bartol. in L. Aſsiduis, notab. 3. per text. ibid. C. Qui potiores in pignore habentur. Quare ſi Epiſcopus, aut Prælatus Eccleſiaſticus talem tantamque ſummam exigeret, quæ Eccleſiarum, Monaſteriorum, Collegiorum, & locorum piorum ſubſtantiam exhauriret ſeu deduceret ad extenuationem, ſiue exinanitionem extremæ virtutis vt cap. Inter cætera. 16. q. 3. loquitur, & Gloſſ. in d. cap. Conquerente, & alibi, iniuſtè ageret. Hoc autem contingit, quoties tantum & toties exigit, vt aut miniſtri Eccleſiæ indigeant propter Prælati immoderatam exactionem; Quod nequaquam fieri debet. Prouidendum enim miniſtris DEI, vt non patiantur neceſsitatem, nec indigeant arg. cap. Non minus, de Immunitate Eccleſ. & arg. text. & Gloſſ. in L. Miles. ff. de re iudic. & text. in L. Sacroſanctæ. C. de Epiſcop. & cler. Iaſ. & alij DD. in L. Commodis. ff. de re iudic. Andreas Gaill. practic. obſeruat. lib. 1. obſeruat. 118. num. 9. Si enim Eccleſiaſtici ad inopiã redigantur, & egeant, Eccleſiæ inſeruire non

poſſunt

poſſunt (Cũ id iure dicamur non poſſe, quod commodè & expeditè non poſſumus) & ſic menti intentionique fundatorum non reſpõdent: Vnde in conſpectu Dei fundatores clamant contra tam duros & iniquos exactores, & maledictionem inducunt iuſto DEI iudicio, vt quo plus exigunt, minus putent ſe habere aut etiam interdum habeant in hac vita, & in futura conſequantur ignem non extinguibilem rectè correſpõdentem inextinguibili & ſemper voraci cupiditati. Eadem eſt ratio, quando Monaſteria & alia pia loca propter tam immoderatam extorſionem ſub titulo charitatiui ſubſidij ita extenuantur, vt aut ære alieno grauentur, aut bona ſua alienare cogantur, aut diminuere numerum Deo famulantium, aut pauperibus ſolitam eleemoſynam ſubtrahere teneantur. Hæc enim ſunt grauiſsima quæ iniuriam maximam inferunt DEO, ſanctis in cœlis, & hominibus in terris, ideoque intolerabilia, & hominibus qui conſcientiæ ac ſalutis animæ curam etiam mediocrem gerunt, multum terribilia: Et tamẽ hiſce temporibus Principes tam Eccleſiaſtici, quã ſeculares ſæpiſsimè dant occaſionẽ, imo quoque cauſam efficacem importunis immoderatiſque exactionibus, petitionibus, minis velatis, atque extorſionibus, vt Monaſteria & loca pia maximis ſumptibus, & munifica pietate à pijs maioribus noſtris, quos ita non inhonorare, ſed potius ab eis ſapientiam diſcere

iuxta ſacram ſcripturam deberemus, extenu-entur,grauentur, interitũ minentur, & ad extremam paupertaté deueniant: quæ loca quódam fuerunt miniſtrorum famularumq; DEI receptacula,peregrinorum hoſpitia,& pauperum Chriſti diuerſoria; nunc ob extenuationem & inopiam ſint quaſi deſolata, aut debitis grauata, vt vix quatuor aut ſex perſonis ſufficiant ad moderatam ſuſtentationem,quæ olim centum, aut pluribus ſeruis Dei erant abundantiſsima, præter quotidianas eaſque largas peregrinorum ac pauperum eleemoſynas. Prudens ſanè erat reſponſum Tyberij, cuius meminit Suetonius lib. 2. & poſt eum Gloſſ. in Clem. 2. de Cenſib. ſuper verbo. Conſumit & Lucas de Penna C. de ſuperindicto. L. 1. pag. 2. lib. 10. Tyberius præſidibus ſuadentibus prouincias onerare tributo reſcripſit: Boni paſtoris eſt tondere pecus non deglutire, vel potius vt Gloſſa legendum putat, deglubire, id eſt, pilos euellere. Vtinam & nunc eius mentis eſſent principes, fœlicius certè omnia ſuccederent in republica tam Eccleſiaſtica quam ciuili. Præſides enim prouinciarum, & alij qui principibus à conſilijs ſanis ſunt, aut certe eſſe deberent, vt reſpublica proſperè & quietè regatur, ſæpè conſulunt, & ſuggerunt principibus contra publicam vtilitatem, propter quam tamen omnis principatus inſtitutus, ſicut Tyrannis inuenta ob propriam commoditatem, vt

ipſi

ipſi conſequantur etiam prædam ex ſubditorum grauamine, marſupia ſua impleant, & vt harpyiæ aliorum ſubſtantiam; quam ardenti animo non raro ſitiunt, deuorent. Peſtes enim ſunt reipublicæ, & inimici communis ſalutis, & ideo ſuſpendio digni, qui ſuggerunt principibus vt ſubditos emungant frequentibus exactionibus, & exquiſitis titulis, quos humana & Diabolica fraus noſtris præſertim temporibus adinuenit. Expedit enim tam principibus, quam communi ſaluti, vt reſpublica diuites & locupletes habeat ſubditos, & iuſtus rex malle debet ſubiectos abundare quam fiſcum & intelligetur diuitijs regni dominum inopem eſſe non poſſe, vt latius Lucas de Penna in d. L. 1. perſequitur. Si quis ergo quærat quanta debeat eſſe ſumma charitatiui ſubſidij? Quidam ſentiunt quod Epiſcopus à qualibet Eccleſia non plus poſſit exigere titulo charitatiui ſubſidij, quam accipere debet, nomine procurationis, quando viſitat Eccleſias, vt determinatum eſt per Extrauag. Benedicti XII. quæ incipit: Vas electionis. de Cenſibus huius ſententiæ ſunt Panormitanus in d. cap. Apoſtolus. Bernardus Landrianus in d. extrauag. Franciſcus Patauinus in tractat. de charitatiuo ſubſidio: Boërius in deciſ. 134. prope finem hanc opinionem ve-

riorem & ſanctiorem reputat ideoque in cauſa Burdegalenſis Archipræſulis, quæ in controuerſia erat, Curiâ petijſſe ſibi exhiberi rotulum pecuniarum quotannis ratione viſitationis perceptarum argum. L. vnicæ, ibi, cum ſcimus eſſe naturæ congruum eas tantummodo pœnas exigi, quæ vel competenti moderamine proferuntur, vel à legibus certo fine cõcluſæ ſtatuuntur. C. de ſentent. quæ pro eo quod intereſt, profer. Boër. etiam pro hac ſententia allegat Lapum in allegatione 37. qui tamen ſecundum librum quo ego vtor, dubitare videtur. Alij volunt dictã Extrauagantẽ non vbique, nec ab omnibus receptam. Sic Cardinalis in d. cap. Cum Apoſtolus. §. Prohibemus. q. 8. & alij quidam. Hinc alij exiſtimant in iudicis eſſe arbitrio, quantũ hoc ſubſidium eſſe debeat. Cardin. loco cit. q. 7. & in cap. 1. §. 1. de exceſsib. prælat. Socin. iunior conſ. 16. numero 3. lib. 3. & poſt alios Menochius in caſu 179. numero 4. Iudicis autem arbitrium in taxatione huius ſubſidij verſabitur circa circunſtantias loci, temporis, neceſsitatis inſtantis, annui reditus, & ſic de ſimilibus, ſemper tamen habenda ratio; vt non inducatur notabile grauamen, & vt tale ſubſidium ſit moderatum, & non exceſsiuum. *Secundo moderatum debet eſſe hoc ſubſidium,* quantum ad continuationem temporis, non enim Epiſcopus, aut quiuis Prælatus continuo & frequenter debet exigere hoc auxilium à

um à ſubditis ne videatur eos velle facere perpetuo tributarios, & nouis onerare cenſibus, & vſque ad cutem emungere: quæ omnia repugnant naturę charitatiui ſubſidij: Nequaquam enim licitum eſt principi inferiori & mero ſubditis augere cenſum antiquum ipſis nolentibus per text. in L. Cùm ſatis. §. Caueant. C. de agricol. & cenſi. lib. 11. & in d. §. Prohibemus. & cap. Grauis. & c. Prohibemus de cenſibus. Iacobus Rebuf. in d. §. Caueant. Lucas de Penna ibid. per text. Specul. in tit. de cenſib. §. Nunc dicendum, verſ. Sæpè quoque Ioann. ab Anania in cap. 2. de Iudæis. Stephanus Bertrand. in conſ. 238. incip. Domini ciuitatum ſeu terrarum. vol. 2. Boërius in deciſ. 132. & poſt plures Vaſquius illuſtr. controuerſ. lib. 1. cap 8. numero 2. Multo ergo minus decet Epiſcopos & Eccleſiaſticos frequentibus & importunis petitionibus & exactionibus ſub titulo charitatiui auxilij inſolita, extraordinaria, & annua onera imponere, ac ſeruitutem inuehere per ea quæ habentur in d. cap. Prohibemus. Si quis quærat, an liceat, Epiſcopo à ſubditis ſuis ſemel duntaxat, an pluries exigere charitatiuum ſubſidium. Panormitanus in d. cap. Cum Apoſtolus, dicit quod non tantum ſemel, ſed etiam pluries, dummodo ſubſit rationabilis cauſa, mouetur hic auctor illis verbis in d. cap. Cum Apoſtolus. §. Prohibemus (Suſtinemus autem pro multis neceſſitatibus quæ

aliquoties ſuperueniunt) aliquoties enim pluralitatem denotat. Cardinalis in d. §. Prohibemus.q.7. dicit obſeruari quod prelati ſaltem ſemel in initio promotionis tantũ exigãt. &c. Puto quod hoc auxilium poſsit peti plus quam ſemel, quando occurrunt vrgentiſsimę neceſsitates, quibus Epiſcopi facultates non ſufficiunt, & tale auxiliũ cõfertur in reipublicæ vtilitatẽ & neceſsitatem, nec ſubditi multũ grauantur: Solent tamẽ Eccleſiaſtici timorati & bonæ conſcientię rariſsimi eſſe in petitionibus talis ſubſidij, imo quidam nunquam exigunt neque etiam in initio ſuæ promotionis, Vnde Chaſſan. loco cit. nũ 36. cõmendat Reuerendum dominũ Iacob. Hurant Heduenſis diœceſis Epiſcopũ qui in initio ſuæ ꝓmotionis pro iucundo aduentu ac charitatiuo ſubſidio nihil vltra exegerit, quam à ſingulis ſacerdotibus ad dictũ iucundũ aduentũ obligatis vnius miſſæ celebrationẽ ad obtinendã ſanitatem Ludouici XII. regis Francorũ, qui tunc grauiter ægrotabat. Optima ratio eſt comparandi beneuolentiã & amorẽ ſubditorum abſtinere ab huiuſmodi oneribus & exactionibus, niſi maxima ſit neceſsitas, tam ex parte recipientis, quã ex publica ſalute, & tum obſeruandũ conſilium Ciceronis lib. 2. offic. quando ſcribit, dandã eſſe operã, ne quod apud maiores noſtros ſæpè fiebat propter ærarij tenuitatem aſſiduitatemque bellorum, tributum ſic conferendum. Sin qua neceſsitas huius muneris

alicui

alicui reipubl. obuenerit, dandam eſſe operam, vt omnes intelligant, ſi ſalui eſſe velint, neceſsitati eſſe parendum. Quantum autem ad illud motiuum Panormitani fundatum in d. verbo (aliquoties) reſpondetur; quicquid ſit de re, parum vrgere, quia huiuſmodi locutiones plurales aliquoties, toties, quoties & ſimiles, quando agitur de grauamine, & præſtatione oneris, quod grauamen ſubditis infert binam tantum præſtationem important, ne grauamen hominibus ſubditis nimium fiat, vt docent Angel. in L. Si finita, non longeà principio. ff. de damno infecto, per L. Fideicommiſſa. §. Si quis decem. de legat. 3. Bald. in conſ. 101. incip. Nobiles viri dominus Henricus. col. 3. vol. 3. vel ſecundum aliqua exemplaria conſ. 299. volum. 1. etiam per d. §. Si quis decem Raphael Cuman. in conſ. 189. incip. Teſtato L. N. & P. hæredibus inſtitutis. Boërius in deciſ. 131. incip. Et videtur quod in tribus caſibus. num. 23. Quibus fauent etiam quæ Bartol. Alberic. & alij dicunt, in d. §. Si quis decé. Quia in his quæ inducunt grauamen alijs dicta verba pluralitaté ſignificantia ita ſunt interpretanda vt excludatur infinitas. Hinc Bald. in d. cóſ. hanc ponit regulá; Quod ſi ex multis pluralibus poteſt reſultare incóueniens, aut magnú grauamen partis, tunc pluralis locutio duorum numero eſt cótenta d. §. Si quis decé. Si vero non reſultat aliquod grauamen, ſed potius eſt iuſtum conueniens

necillud conueniens eſt magnum partis grauamen, tunc intelligitur quoties opus eſt, id eſt, quoties iuſtum eſt. & Bartol. in L. Eum qui certarum. §. Cum purè. numero 6. Quoties, ſi nulla cauſa eſſet, ſed ſolum alterius dānum, tunc bis tantum intelligitur. Tertio moderatum eſſe debet charitatiuum ſubſidium reſpectu facultatum Eccleſiarum & Eccleſiaſticorum ſubditorumque argum. cap. Conquerenté. de officio ordinarij, ibi: (penſatis facultatibus earundem) moderatè poterunt exhibere. Gloſſ. in verb. Facultatibus. Innocent. Cardin. & alij ibidem. text. etiam in d. cap. Cum Apoſtolus. D. Antonin. in 2. part. tit. 1. cap. 13. §. 1. prope finem. Cum enim huiuſmodi onera imponantur ſecundum iuſtitiam diſtributiuam, vt ea ſalua perſiſtat, & non violetur, qui parum habet non eſt multum grauandus, & qui abundat non eſt collectandus in pari pondere cum mediocri. Vnde etiā vt iuriſperiti loquuntur, quādo onera quę imponuntur reſpiciunt patrimoniū, tunc ſecundū vires & facultates patrimonij & per æs & librā, æſtimantur. Per æs & librā, id eſt, pro viribus patrimonij. Bartol. in L. Si ſe non obtulit. §. actor. ff. de re iudic. Bald. in L. Etiam à nū. 14. C. de execut. rei iudic. Idē Bald. & Ioan. de Platea in L. 1. C. de muneribus patrimoniorū, lib. 10. Chaſſan. ſuper conſuet. Burgundiæ Rub. 1. tit. des iuſtices & droicts §. 4. verſ. Et ſur les hommes ſubiects. numer. 45. Andreas
Gaill,

Gaill. pract. obſeruat. lib. 2. obſeruat. 52. numero 16. poſt Nattam in conſ. 215. incip. Materia collectarum. vol. 1. Ex hoc capite contingit, quod etiam illud ſubſidium aut remitti aut moderari debeat, propter grauamina, aut onera, quæ facultatibus, aut ſubſtantiæ adueniunt vt ſi quis ob hoſtium inuaſiones ſuis bonis ſpolietur, aut terra, vnde Eccleſia ſuos reditus percipere ſolet, in poteſtatem hoſtium deueniat, aut temporum iniuria magna & rara ſterilitas incidat; in his & ſimilibus caſibus, aut in totū remittendū, aut certè multū moderandū huiuſmodi ſubſidiū eſt. arg. eorū, quæ DD. tradunt in d. cap. Conquerente. & arg. L. Licet. C. Locati. & L. Si merces. §. Vis maior. ff. eod. tit. & cap. Propter ſterilitatē, de Locato. Ratio etiam clara hoc oſtēdit. Huiuſmodi ſubſidia imponuntur perſonis iuxta vires facultatū. Diminutis ergo & pro parte, aut in totum facultatibus, etiā pro parte, aut toto diminuenda, aut tollenda ſunt ſubſidia: interim tamen ſemper ante oculos habendum, ne Eccleſiaſtici indigeant, aut ſuo officio pro intentione fundatorum nequeant ſatisfacere propter exactionem ſubſidiorum. *Hic dubium eſſe poteſt. An cumulari poſsit hoc ſubſidium?* Exempli gratia vt caſus intelligatur. Eſt vniuerſalis Eccleſiæ neceſsitas, vtpote imminet neceſſarium bellum contra Turcam Chriſtiani nominis hoſtem, ſic Pontifex concedit Imperatori ſubſidium etiam ab Eccleſiaſticis colligé-

dum: An currente hoc ſubſidio Epiſcopus etiam poſsit ab eiſdē Eccleſiaſticis ſibi aliud ſubſidium exigere: ita vt hæc grauamina accumulentur? Huic dubitationi reſpondeo: Cum huiuſmodi grauamina imponãtur perſonis contemplatione & intuitu rerum, haud licitum videtur vt ratione earundem facultatum duplici nomine grauentur, hoc enim bonæ fidei & iuſtitiæ repugnat, vt vnius rei nomine à pluribus diuerſisque aliquid exigatur arg. text. in L. Nauis onuſtæ. §. Cum autē ff. ad leg. Rhod. de iact. ibi: nō debet duplici damno onerari, & in L. Titia. §. Qui inuita. ff. de leg. 2. ibi: duplici præſtatione, & in L. Bona fides. ff. de regul. iuris, & in L. Omnes. C. de metratis. lib. 12. Lucas de Penna ibidem per text. & alia iura. Ioannes de Platea, in L. Indictiones. C. de annon. & tribut. lib. 10. Gloſſ. & Bartol. C. de mulieribus in quo loco munera ſexui, &c. lib. 10. L. 1. Alexand. in conſil. 78. incip. Videretur prima conſideratione dicendum quod dictum commune. num. 10. & ſeq. vol. 6. Federicus de ſenis in conſ. 151. incip. Thema tale eſt Monaſterium S. Galgani ſitum &c. col. 3. Decius in conſ. 275. incip. Et pro tenui mea facultate & temporis anguſtia. num. 4. & ex recentioribus Andreas Gaill poſt alios practic. obſeruat. lib. 2. obſeruat. 53. incip. Sed quid de collectis. num. 3. & 9. Nemo enim dubitare poteſt vno eodēq; tempore ratione earundē facultatū bis grauari quem-

ri quempiā à diuerſis grauiſſimum & duriſſimum eſſe. Quod ita tamen intelligendū, quādo vtrumq; ſubſidium in notabile grauamen ſubditorum tenderet: Secus quando collectiuè aut parum, aut ferè nihil grauaminis inferrent propter exiguitatem quantitatis. Ex hoc fundamento prædicti Doctores & alij inferunt, quod quando quis in loco domicilij ratione bonorum etiā ſitorum extra territoriū collecta grauatur, omnino cauendū ne iterū in territorio vbi bona ſita ſunt, pro iiſdē bonis collectetur, cum hoc iniquū contra bonā fidē, & ſubditis grauiſsimū foret, per iura allegata, vt rectè Gaill colligit. *Quarto & poſtremo* moderatū debet eſſe charitatiuū ſubſidium quantum ad cōmenſurationē cauſæ propter quam petitur: Ne plus à ſubditis poſtuletur, quā rei neceſsitas poſtulat. Iniquū enim & cōtra charitatē foret, ſi Epiſcopus cauſa adeundi cōuētum Imperij indigeret tantum ſex milibus, & à ſubditis exigeret nouē milia. Solet nonnunquam cōtingere vt quādo huiuſmodi auxilia ſunt ꝓponēda & petēda à ſubditis conniuentibus prælatis, qui aliquando de alieno corio ſunt liberales, Cācellarij aut primarij cōſiliarij addant ſatis magnā ſumā pro ſuis proprijs vſibus, vt ſubſtantiā de alienis & malè perceptis augeant in pręſenti, & altiorē ſcalā adornēt ꝓ deſcenſu ad infernum poſt finē huius vitę, hoc quartum moderamen ſatis cōprobatur arg. cap. Quia de immunit Eccleſ. Quia plerique,

ait text. Prælati, vt procurationem, aut ſeruitium aliquod impendant Legato: vel alij plus extorquent à ſubditis quam ſoluant: & in eorum damnis lucra ſectantes quærunt prædam potius quam ſubſidium in ſubiectis: id de cætero fieri prohibemus. Quod ſi quis forte preſumpſerit, & ſic extorta reſtituat, & tantundem cogatur pauperibus elargiri. In hoc cap. quod eſt Concilij Lateran. communiter DD. annotant, quod ſic indebitè extortum, & exactum iure omni reſtituendum ſit, & quod in pœnam tantundem pauperibus dandum. Si quis quærat, quid remedij, ſi Epiſcopus aut alius prælatus Eccleſiaſticus clerum & Eccleſiaſticos immoderato & exceſsiuo ſubſidio, aut nimijs importunis exactionibus contra libertatem eorum, & ius conſuetaque onera Epiſcopalia grauet? Reſpondetur iuſtè clericos & Eccleſiaſticos poſſe ei denegare quod iniuſtè petitur, nec in hoc contrauenire obedientiæ per textum & DD. in cap. Sanè & cap. Cum ad quorum, de exceſsib. prælatorum, facit etiam text. in L. Nec magiſtratibus. ff. de iniurijs. Inferior enim poteſt reſiſtere ſuperiori, ſi eum contra iura grauet, nec ei parendum eſt. Anton. à Butrio. Ancharan. & alij in d. cap. Sanè. Lucas de Penna in L. vnica. de ſuperindicto, col. 4. lib. 10. Salycetus in L. 1. q. fin. C. Vnde vi. Iacob. Rebuf. in ca. Sanè, de eo qui furtiuè ordines ſuſcepit, & Addit. ad Petrum Anchar. in d. cap. Sanè.

Imo

Imo contra principem licitum eſt ſuam defendere libertatem. Paris de Puteo in tract. de ſyndicat. in verbo. Reſiſtentia. fol. 92. & 93. vt eum allegat & ſequitur Chaſſanæus ſuper conſuetudinib. Burgundiæ, Rub. 1. tit. Des iuſtices. §. 7. verſ. De ſimple reſcouſſe. num. 4. Hoſtien in cap. Significauit, de pœnitent. & remiſsion. Bald. in cap. 1. §. 1. de pace iuramēt. firmanda. Anton. à Butrio in d. cap. Sane. nū. 2. & alij alibi. Si autē Epiſcopus importunius inſtet; velitque cenſuris cogere ad contributionem Eccleſiaſticos contra iura & libertatem poteſt per modum querelæ clerus ad ſuperiorem recurrere, aut tanquam ab abuſu appellationem interponere vt Hoſtienſis, Ioannes Andreas, Abbas & alij communiter volunt in d. cap. Cum Apoſtolus. §. Prohibemus. Non eſt autem in hoc caſu recurrendum ad ſeculares, aut iudicium regū, vt rectè Boerius in deciſ. 136. incip. Quarta & quinta quæſtio, tradit, quoniam ſeculares non ſunt eorū ſuperiores, ſed ad immediatos in Eccleſiaſtica dignitate cōſtitutos, prout de iure appellatio ſolet interponi, vt ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum, ab Archiepiſcopo ad Pontificem & ſedem Apoſtolicam. Hoſtien. in d. cap. cum Apoſtolus, & in ſumma tit. de cenſib. §. Ex quibus cauſis. verſ. Quid ſi ſubſiſtens dicat. Alij itidem in d. §. Prohibemus. Cardin. & alij in Clement. 1. de exceſſ. prælatorum. Boerius in loco cit. nec eſt in hac re dubium.

Sed his omiſsis nũc redeũdũ ad principalẽ materiã, & cõnectẽdus filus interruptus. Sit ergo.

Decimatertia Concluſio. *Iudex ſecularis quicunque nullo modo poteſt occaſione delicti & criminis procedere, & iudicium ferre contra clericum, aut Eccleſiaſticam perſonam.* Hæc concluſio eſt cõmunis omnium DD. tam Theologorũ, quam Iuriſperitorum qui iura tractarunt & vniuerſali Eccleſiæ adhęrent, ex Theologis docẽt Franc. Victoria in relect. 1. de poteſtate Eccleſiæ. Sot. Bellarmin. & alij in loc. ſupra allegatis. Canoniſtæ cum text. in cap. Cum non ab homine de iudicijs, & cap. At ſi clerici. eod. tit. Decius, Ioan. Imolen. & alij ibid. & cap. Si diligenti, de foro cõpetenti. Bartol. in L. Si quis in ſeruitute. num. 2. ff. de furtis. & latè Apoſtilla ibidẽ. Bald. in Auctẽt. Cleric. C. de Epiſcop. & cleric. Iul. Clar. lib. 5. ſentent. §. fin. practic. criminal. q. 36. Didac. practic. qq. cap. 31. & alij alibi. Ratio etiam eſt euidens pro hac concluſione ex ſuperioribus. Clerici & Eccleſiaſtici non ſubſunt quantum ad eorum perſonas iuriſdictioni laicorum. Ergo non poſſunt iudicium aut ſententiã in eos ferre. Quia illud eſt vſurpatum iudicium, quod fertur in non ſubditum, ideoque inualidum, irritum & nullũ, & ſic vſurpãtes iudicium grauiſsimè peccant, vt multis doctè oſtendit Martinus Nauarr. in Rub. cap. Nouit. de iudic. à num. 68. Pro huius concluſionis veritatis confeſsione Innocent. III. in d. cap. Si diligenti, adducit Concilia

cilla Mileuitanum & Carthaginenſe(intelligit auté tertiũ Carthaginen.) Mileuitani Cõcilij verba inſeruntur à Gratiano 11. q. 1. cap. Inolita. & Carthag. ibid. c. Placuit & cap. De diuerſis. Ad eandem materiã ibidé vide c. De perſona. c. Sacerdotib. & ſeq. in ead. q. Cóclu- ſio tantæ eſt veritatis, vt etiã non valeat cõſuetudo vt clerici in criminalib. cõueniãtur corã iudice laico, aut ꝓceſſus inſtituatur. per text. Gloſſ. Panor. Antó. & alios in cap. Clerici de iudic. Rota in antiquis 840 deciſ. in tit. de cõſuetud. & hęc eſt cõmunis DD. opinio: Cui etiam cõuenit determinatio Pontificũ in Bulla Cœnæ Domini in 19. excõ. per hunc §. Excõmunicamus omnes, & quoſcunq; magiſtratus, ſenatores, pręſidentes, auditores & alios iudices quocunq; nomine vocẽtur, ac Cãcellarios, vicecancellarios, notarios, ſcribas, ac executores & ſubexecutores, & alios quoquomodo ſe interponẽtes in cauſis capitalib. ſeu criminalibus cõtra ꝑſonas Eccleſiaſticas, illas banniendo, capiendo, ꝓceſſando, ſeu ſententias cõtra illas ꝓferendo, vel exequendo etiã prætextu quorumcunq; priuilegiorũ, à ſede Apoſtolica ex quibuſuis cauſis, aut ſub quibuſcunque tenorib. & formis in genere, & ſpecie quibuſcunq; Regib. Ducib. Principib. Rebuſpublicis, Monarchis, Ciuitatib. & alijs quibuſcũq; potentatib. quocunq; nomine cẽſeantur, quæ nolumus illis in aliquo ſuffragari illa omnia ex nũc in irritũ reuocãdo. Hinc merito à Rotę

iudicibus

iudicibus in d. decif. 840. Couarr. in d. cap. 31. num. 5. practic. qq. & alijs improbatur cõſuetudo Anglorum, apud quos paſsim clerici etiã in ſacris conſtituti coram iudicibus laicis litigare coguntur ſuper actionibus realibus; mixtis & perſonalibus tantum. Per dictam Bullam Cœnæ DOMINI videntur etiam ſublati caſus Regni Galliarum, quos priuilegiatos appellant, in quibus iudices ſeculares in illo regno ſe intromittunt etiam pro criminibus aliquibus contra clericos. Hos caſus priuilegiatos ponit Chaſſan. ſuper conſuetud. Burgundiæ. Rub. 1. tit. des iuſtices & droicts. §. 5. verſ. S'. il, à grace. à num. 48. Extenditur etiam concluſio quod clericus corã iudice ſeculari pro crimine non poſsit neque ciuiliter, neque criminaliter reconueniri iuxta Gloſſam, Ioannem Immolenſem, Panormitanum & alios in cap. At ſi clerici, de iudic. & hæc eſt communis opinio, vt poſt alios atteſtatur Iulius Clarus in d. q. 36. numero 6. Nec etiam ratione criminis clericus vllo modo tacitè, aut expreſsè poteſt conſentire in iuriſdictionem iudicis ſecularis aut tali priuilegio fori renunciare per text. in d. cap. Si diligenti. Vbi ſic Innocentius III. Piſano Archiepiſcopo ſcribit: Aſſeruiſti te vſque ad hæc tempora tenuiſſe quod licitum ſit clerico renunciare ſaltem in temporalibus cauſis iuri ſuo: & ſibi laicum iudicem conſtituere: præſertim vbi aduerſarij voluntas accedit, ac tenere

here iuramentum ſuper hoc interpoſitum reſpondiſti. Immemor conſtitutionis qua cauetur pacto priuatorum iuri publico minimè derogari. Cum ergo ius hoc in Mileuitano & Carthaginenſi concilijs ſit ſpecialiter promulgatum ne clerici clericos relicto ſuo Pontifice ad iudicia publica pertrahant, &c. & infra ſubiungitur his verbis: Manifeſtè patet quod non ſolum inuiti, ſed etiam voluntarij paciſci non poſſunt, vt ſecularia iudicia ſubeant, cum non ſit beneficium hoc perſonale, cui renunciari valeat: ſed potius toti collegio Eccleſiaſtico ſit publicè indultum: cui priuatorum pacto derogari non poteſt. Nec iuramentum licitè ſeruari potuit quod contra canonnica ſtatuta illicitis pactionibus informatur. Gloſſ. ibidem in verb. Manifeſtè patet. Hoſtien. Panormit. ibidem num. 25. & alij. Didacus practic. qq. cap. 33. num. 2. & hæc eſt communis ſententia, vt poſt Boërium ſuper conſuet. Bituricen. fol. 26. col. 3. ait Iulius Clarus in d. q. 36. num. 4. Et ſi clericus, ratione delicti à iudice laico citetur, non tenetur nec per ſe, nec per procuratorem in iudicio comparere coram eo, vt communis opinio eſt, teſtantibus Felino in cap. Veniens, prope finem, de accuſat. & Claro. loc. cit. numero 5. Ratio clara eſt pro hoc dicto, quoniam in his caſibus ſecularis iudex nullam habet in clericum iuriſdictionem, vnde clericus vocatus ab eo in iudicium non tenetur pa-

rere, nec iudex ſecularis poteſt vltra procedere, aut aliquid attentare. Si autem procedat, & vlteriora attentet, omnia ſunt nulla. Verũ eſt dubiũ hîc. *An ſi clericus non alleget exceptionẽ clericatus coram laico iudice, ſed maneat contumax in caſibus quibus non tenetur coram eo ſtare, vſq; ad ſententiam, vel eius executionẽ poſsit per iudicem ſecularẽ in expenſas condẽnari, cauſatas ob nõ interpoſitã exceptionẽ & declarationẽ fori?* Præſupponunt & rectè quidem DD. talem in expenſas cõdemnandũ ob moroſam dilationẽ exceptionis, quæ cauſam expenſis dedit, per ea quæ adducunt Felin. & alij in cap. Exceptioné, de exceptionib. Decius in cõſil. 241. incip. Scripſi alias breuiter cõcludendo. Boer. in conſuetud. Bituricen. tit. de iuríſdictione §. 21. Couarr. in d. cap. 33. nũ. 2. & alij alibi. Deinde dubiũ locum habet, quãdo iudicibus laicis non cõſtat de clericatu. At ſi appareat ex citatione, vel aliunde, ꝙ perſpectũ ſit eis de ſtatu eius Eccleſiaſtico, contra quẽ actioné intentant, tunc nõ opus eſt exceptioné opponere per doctrinã Bartol. in L. Nõ videtur 1. ff. de iudic. & ea quæ cõgerit Stephanus Auffrer. ad deciſioné 165. incip. Ité fuit quæſitum. Capellæ Tholoſ. Tunc enim non cẽſetur cõtumax, cum nõ teneatur cõparere: Vnde nullã iniuſtã dat cauſam expenſarũ ob quã cõdemnari poſsit; cum ſuo iure vtatur: Qui autẽ ſuo iure vtitur nemini iniuriã facit. L. Nullus videtur. ff. de reg. iuris, & cap. Cũ Eccleſia, de elect. L. Iniuriarũ. §. 1. ff. de iniur. cum ſimilib.

quæ colligit Gloſſ.in d.c.Cũ Eccleſia in verb. Iniuriam. Nunc ad dubium reſpondetur huiuſmodi condẽnationẽ expẽſarum eſſe faciendã per iudicẽ Eccleſiaſticũ,& nõ ſecularẽ. Sic Decius in d. cõſil. Ioã. Andr.in regula iuris. Scienti.in mercurialib.Didac. in d. cap.33. nũ. 2. verſ. Clericus vero qui accuſatus apud iudicẽ ſecularẽ. Iul. Clar. in d.q.36. num.5.& refert poſt Gramatic.voto 18. ita in facti contingentia fuiſſe iudicatum in curia Neapolitana. Decius rectè probat hãc ſentẽtiã. Primo Iudex ſecularis in talibus expenſis nullã habet poteſtatẽ, quia nec etiã in his quæ incidenter veniunt cõtra perſonã clerici habet poteſtatẽ vt eſt text. in cap. Si iudex laicus, de ſentẽt. excom. in 6. vbi patet quod licet alias iudex qui non habet poteſtatem in principali, poteſt tamen de iſto incidẽti cognoſcere an ipſe ſit iudex cap. Super literis, de reſcript. Hoc tamen non habet locum in ipſo ſeculari cõtra clericũ d. c. Si iudex: quia tali caſu agitur de cõdẽnatione perſonæ clerici, & ſic de re Eccleſiaſtica & ſpirituali vt ibi dicitur, & ideo ſecundum Dominic.ibidẽ iudex ſecularis non eſt etiã iudex incidienter per viam exceptionis & notat Abbas poſt Gloſſ. in cap. Etiã de ordin. cogn. & cap. Lator. Qui filij ſint legit. & in cap. Si diligenti, de foro competenti, vbi cõcludit quod ſecularis iudex nullo modo poſsit eſſe iudex contra clericum nec principaliter, nec incidenter, & propter hoc ratione

contumaciæ non poteſt clericus à iudice ſeculari mulctari iuxta L. Si quis ex aliena. ff. de iudicijs, quia illa non habet locum in clerico: quia illa L. intelligitur de illo qui poteſt eſſe iudex licet non ſit, ſed iudex ſecularis nec eſt, nec eſſe poteſt iudex contra clericum, & pari ratione infertur quod Abbas dicit de mulcta idem de expenſis. Idem vult Bald. in d. L. Si quis ex aliena. col. 1. verſic. Et per hoc videtur, vbi inquit, quod laicus iudex eſt inhabilis & incapax iuriſdictionis contra clericum, vnde citatus non tenetur comparere, nec ratione contumaciæ poteſt puniri. Idem Baldus in L. Generaliter. col. 2. C. de Epiſcop. & cleric. Quæ in contrarium facere videntur ſoluuntur à Decio. Et quod clericus etiam ratione contumaciæ quando non docuit de clericatu non poſsit mulctari à ſeculari magiſtratu præter Panormit. & Decium loco cit. etiam docent Guido Papa in deciſione 450. & ait, in contingentia facti ita fuiſſe deciſum in curia Delphinat. & Iulius Clarus in d. q. 36. num. 5. in fine, & ſubiungit: Apud nos clericus contumax in caſibus, in quibus non tenetur comparere, non mulctatur, & ſi mulctatus fuerit, quandocunq; doceat ſe clericũ, ſolet talis mulcta reuocari & añullari. Et ita puto ſeruari debere à iudicibus Deum timentibus. Sic Clarus qui atteſtatur ita communiter canoniſtas tenere. Verum tamen eſt quod in Gallia aliud ſit in praxi, quæ tamen ſatis iure

non

non ſtabilitur. In multis enim receditur in illo regno à recta canonum obſeruatione contra Eccleſiæ poteſtatem & libertatem, & ideo mirum non eſt quod hiſce temporibus in ſpiritualibus & temporalibus multa mala Gallos inuadant. *Ex dictis ſolui poteſt dubium, an ſecularis magiſtratus ſalua conſcientia, & ſine iniuria poſsit procedere contra clericos & Eccleſiaſticos concubinarios, & eos mulctare?* Memini ante non multos annos à quodam ſeculari ſenatu proceſſus inſtitutos, & ſententias emanatas, mulctas executioni demandatas; Nam proprijs oculis vidi quitantias ſubſcriptas ab executoribus, & datas presbyteris & paſtoribus animarum ſuper ſolutione mulctæ: & ſic ſatis notabilem pecuniæ ſummam exactam recordor. Nunc pro clariori reſolutione dubij reſpõdetur huiuſmodi proceſſus à ſeculari magiſtratu contra Eccleſiaſticas perſonas ob concubinatum inſtitutos eſſe nullos, ſententias emanatas nullius roboris, iudicium fuiſſe vſurpatum propria auctoritate, & ex conſequenti mulctam extortam non iure ſed iniuria acceptam, ideoque reſtitutioni obnoxiam permanere faciendam in re in hoc ſeculo, vel perſoluendam vſque ad nouiſsimum quadrantem in futuro igne purgatorij ſi digna pœnitentia præceſſerit: aut in inferno, ſi nulla conſcientia ſceleris ſuperſit, quod contritione ac dolore ſalutari ſecundum Deum & Eccleſiam deleri neceſſe erat. Pro hac reſponſione, facit quod omnis

proceſſus emanatus à iudice non cõpetenti, & non habenti iuriſdictioné in eum, qué iudicare intendit eſt nullius roboris & firmitatis, & ſic omnia ſecuta irrita & nulla per totum titulum, de foro cõpetenti, & arg. L. 1. & 5. ff. de iuriſdict. omnium iudic. & C. Si à non cõpeten. iudic. per tot. nec in hac re dubium eſſe poteſt, & ſic tale iudicium vſurpatum iuxta doctrinã S. Thomæ 2.2. q. 60. art. 6. & Cómẽtat. ibidem. Soti lib. 3. de iuſtitia & iure. q. 4. art. 2. Nauarri in comment. cap. Nouit. de iudicijs in Rubric. notab. 16. num. 68. Angeli in verb. Iudicium. num. 17. Sylueſt. & aliorum in eodem verb. & arg. text. in L. Eum qui & L. fin. & eorum quæ communiter ibidem Iuriſtæ adferunt. ff. de iuriſd. omn. iudic. Sed ſeculares non habent in hoc caſu vllam iuriſdictionem in clericos vt abundè ex ſuperioribus conſtat, quibus probatum iudicem ſecularem non poſſe cognoſcere ſuper criminibus clericorum. Deinde quantum ad concubinarios clericos etiam ſatis probant tit. de cohabitat. clericorum & mulier. Concilium Baſileen. in ſeſ. 20. receptum etiam à pragmatica ſanctione in tit. de Cõcubinarijs. Tridentinũ ſeſſ. 25. in decreto de reformatione, cap. 14. & alibi. Nec eſt vllus canoniſtarum, aut juriſperitorum, qui dubitet Clericum ab alio quam Eccleſiaſtico iudice ob concubinatum puniendum, vt à fortiori conſtabit in dubio ſequenti. Deinde ſecularis magiſtratus puniens cle-

ens clericum ob cócubinatus crimen, aut ſententiá nullá exequens eſt excómunicatus excómunicatione maiori Pontifici reſeruata in Bulla Cœnæ Domini per §. incip. Excómunicamus omnes & quoſcunq; magiſtratus, &c. & non poſſunt ſic excedétes abſolui niſi ſatisfactione pręmiſſa vt alibi latius ſignificatum. Hic dubium occurrit pro lectoris recreatione latius tractádú. *An iudex ſecularis ſua auctoritate & poteſtate poſsit concubinas clericorú ab eorum domibus expellere, aút punire pœna fuſtium, aut virgarum?* Pro parte negante ſequentia adduco non cóténenda argumenta in gratiam illarum mulierum quæ nec famæ, nec corporis, nec animæ quæ omnibus rebus præſtat, rationé habent, ideóque miſerabilis earum ſtatus & merito deflendus. Videtur ergo quod concubinarum correctio ſpectet ad forum Eccleſiaſticum & nó ſeculare iudicium. Primo per text. in cap. eos qui poſt diaconatum. 32. d. & Gloſſ. ibidem, & per text. in cap. Si cócubinæ de ſentent. excóm. quem Panormit. ibid. Turrecré. Dominic. à. S. Geminiano in d. cap. Eos qui obſeruant. text. Optimus etiá eſt in d. Conc. Baſileé. in decreto de concubinarijs incip. Quicunq; clericus cuiuſcunq; conditionis, ſtatus, &c. §. Ipſas autem concubinas, vbi Conc. ſic loquitur: Ipſas auté concubinas, aut mulieres ſuſpectas prælati omnibus modis curent à ſuis ſubditis per auxilium etiam brachij ſecularis inuocationem ſi opus fuerit, penitus arcere.

Et Conc. Trident. ſeſs. 24. in decreto de reform. matrimonij cap. 8. etiam eſt pro hac ſententia. Secundo laicus ſi cum clerico crimen committat, ratione dignioris ſortitur forum Eccleſiaſticum, nec iudicandus, aut puniendus eſt à ſeculari iudice vt poſt Antonium à Prato in L. 1. in fine. ff. Quæ ſentent. ſine appellat. reſcind. ſentiunt Felinus in cap. 1. col. 4. de præſcript. & in cap. Ex literis. notab. 3. de conſtitut. Marianus Socinus in cap. 2. col. 4. de mutuis petit. Bartol. Socinus in L. Cum ſenatus, in fine ff. de rebus dub. Marſil. in ſingul. 180. & in conſil. 67. incip. Domine Deus cœli rex & terræ num. 62. Thom. Ferrarien. in ſuis cautelis decima cautela. Petrus Rebuffus in arbore exceptionum num. 16. Neuizan. in Sylua nupt. lib. 6. num. 38. in fine. Chaſſan. ſuper conſuetud. Burgund. Rub. 1. §. 5. ſuper verſ. text. S' il n'. à grace nũ. 70. qui plura pro hac opinione adducit, & dicit ſe vidiſſe hanc deciſioné obſeruari in ducatu Mediolanen. in caſu emergenti. Boërius in deciſ. 300. incip. Et videtur dicendum. numero 2. Robertus Maranta in aurea praxi iudiciorum. part. 4. d. 11. num. 22. & alij alibi: & hæc communis eſt opinio, & magis recepta vt vult Menochius de arbitr. iudic. qq. lib. 2. caſu. 371. num. 17. & Boſs. in tit. de foro compet. num. 116. in fine, vt eum allegat Iulius Clarus lib. 5. §. fin. pract. crim. q. 36. num. 46. Ergo etiam in noſtro caſu concubina debet

ſequi

ſequi forum clerici ſcilicet Eccleſiaſticum: cũ magis dignum ſemper ad ſe trahere debeat minus dignum per text. in cap. Quod in dubijs, de conſecrat. Eccleſ. & altar. & in cap. Sacris de ſepult. & in cap. Per tuas. de arbitris. & in L. Quę religioſis. ff. de rei vendicat. & in L. Eum qui ædes. ff. de vſucap. Tertio. Tales perſonæ ſunt de familia clericorum. Qui autem ſunt de familia clericorum ſunt de foro Eccleſiæ argum. cap. Iudicatum. d. 89. & 12. q. 2. c. Eccleſiarum Seruos. & cap. 2. de foro cõpet. hoc argumento vtuntur Decretiſtæ. in d. cap. Eos qui. d. 32. Quarto. Pro hac ſententia eſt auctoritas magna DD. Sic enim ſentiunt Gloſſa. Archid. Cardinalis Alexand. Turrecrem. Præpoſitus, Geminian. & communis in d. cap. Eos qui. Panormitan. in cap. Cum ſit generale. num. 25. de foro competenti, & in d. cap. Si concubinæ Anton. in d. cap. Cũ ſit generale. Iaſon. in L. Cum quædam puella. col. 2. verſ. Secundo limita. num. 17. ff. de iuriſdict. omnium iudic. Ludouicus Roman. in ſing. incip. Licet vxor ſequatur forum in antiquis exemplaribus fol. 18. col. 4. Ioannes de Platea in L. 1. C. de mulierib. & in quo loco munera ſexui congruentia & honores agnoſcãt. lib. 10. Felin. in cap. Eccleſia S. Mariæ, col. 38. q. 16. Bertachin. in prima parte repertorij in verb. Cõcubina. Coſmas in Gloſſ. pragmaticæ ſanctionis in tit. de concubinarijs in decreto. §. Ipſas autem concubinas, ſuper

 verbo.

verbo arcere. & ibidem §. Et cum omne for-nicationis crimen,ſuper verb. Pertinet,& hęc certè eſt communior opinio. Petrus Ancharanus in conſ. 196. incip. Magnifice & illuſtris Princeps,& domine mi ſingulariſsime. Super ſecundo dubio, & in regula iuris. Ea quæ. q. 23. à num.27.diſtinguit inter fornicationē occultā & publicā ſiue notoriā,& tunc reſpōdet, ꝙ iudex ſecularis punit publicā ſiue notoriā concubinā clerici, non autē occultā,ſed huius cognitio & punitio ſpectat ad Eccleſiaſticū. Subiungit autem ꝙ iudex ſecularis nō dębet de facili in iſto caſu ad corporalē pœnā proſilire,quia etiā adulteria hodie non puniuntur perſonaliter. Hāc doctrinā Anchar. ſequūtur Ioan. de Anania in Rubr. de adulterio & ſtupro. col. fin. & Andr.Barbat.in c.Per tuas. nū. 4. de probationibus, & hanc opinionē cōmūnem exiſtimat Bermondus Choueronius in tract. de publicis concubinarijs. fol.305. vt eū allegat Iul.Clar. lib. 5. ſentent.§. fin.pract.crimin. q.37. num. 4. ſed certè puto quod ille auctor erret. Pauci enim ſunt pro illa ſententia, vt facile ad hominem argui poteſt; Concubinatus in genere ſiue fornicatio,ſine ordine ad Eccleſiaſticā perſonā eſt crimē merè Eccleſiaſticum,de quo ſolum Eccleſiaſticus cognoſcit vt tenuit Gofred. relatus à Panormit. in d. cap. Cum ſit generale, & hanc opinionē idem Bermondus loco cit.fol. 304.etiam atteſtatur communem. Ergo neceſſe eſt, vt cohærentia

rentia

ſentia cōſtet inter auctores etiam communē eſſe illam,& certè cōmuniorē vt aſſeruimus & ſatis allegationibus oſtendimus concubinatū cum clerico cōmiſſum à fortiori ſpectare ad Eccleſiaſticum, propter argumenta ſupra facta. Si vna ergo cōmunis ſit, & alterā cōmunē eſſe neceſſe eſt. Deinde fornicatio ſiue concubinatus non eſt de iure ciuili prohibitus vt eſt cōmunis opinio teſte Alexādro in L. Ex facto, §. Si quis rogatus. num. 13. ff. ad Trebell. quamuis ſibi in hoc cōtrarius videatur in cōſil. 59. lib. 4. alijq; exiſtiment contrariam ſententiā communē. Iulius Clarus tamen in d. lib. in verb. Fornicatio num. 7. putat in puncto iuris veriorem eſſe primam ſententiā, quod cōcubinatus non ſit de iure ciuili prohibitus, & certè qui contrarium tenent infirmis innituntur fundamentis. Atq; ita videmus, ait Clarus ibidem in fine num. 7. ſeruari de conſuetudine, quæ eſt optima legum interprês, quia iudices ſeculares regulariter hoc crimen nō puniunt, niſi quatenus requiſiti ab Eccleſiaſticis brachiū ſuum impertiuntur. Sic Clarus. Quātum autem ad diſtinctionē illā in primis à Petro Ancharan. in d. cōſ. inuentam, de fornicatione occulta & notoria puto eam ad propoſitam quæſtionē parum facere, vt rectè eam etiam improbat Felinus in d. cap. Eccleſia ſanctæ Mariæ in d. q. 16. verſ. Ex quibus in effectu dubito de eo. Quia non propter notorium efficitur competens iudex

ille

ille qui alias eſt incōpetens ſecundum Angel. in L. Magiſtratibus. ff. de iuriſdict. omnium iudic. & Baldus in L. Magiſterij. C. eod. tit. per L. Militaribus, de Decurionib. lib. 10. & cap. At ſi clerici de iudic. & Innocent. in cap. Per inquiſitionem. de elect. Licet aliquando iudex competens cui tamen eſt interdicta iuriſdictio certis caſibus poſſit in illis procedere ratione notorij vt patet in cap. Romana. §. notoria. de cenſib. in 6. & cap. 1. De pœnis, eod. per Bald. & alios in L. 1. C. Ne quis in ſua cauſa, & per Anton. & Abbat. in cap. Cū veniſſent, de iudic. Deinde iura & DD. ſimpliciter dicunt, quod concubina eſt de foro clerici & Eccleſiæ. His argumentis Felin. impugnat Ancharan. qui in d. conſilio, vt atteſtatur in d. reg. Ea quæ. num. 27. ſic conſilium dederat ad conſultationem Clariſsimi & Illuſtriſsimi Principis Caroli de Maleteſtis DEVM timentis, iuſtitiam colentis, & clericorū etiam priuilegia & libertatem cuſtodientis, qui propter abuſum frequentem concubinarum & clericorum cupiebat procedere & ſtatuta edere contra huiuſmodi cócubinas & ſic de iure conſilium ab Ancharano petijt, qui allegatis in vtramque partem quibuſdam, tandem per dictam diſtinctionem reſoluit, & ad iura reſponſum dedit. Præterea illa diſtinctio occulti & notorij magis inſeruit pro foro interiori ſiue conſcientiæ, & exteriori ſiue foro fori, nec diſtinguit inter iudicium Eccleſiaſticum

ſticum & ſeculare externum: Sicuti nec Iudicium ſeculare procedit ſuper ſecretis: Ita Eccleſia etiam nō iudicat de occultis: Quia in vtroque foro exteriori de non apparentibus & nō exiſtentibus idem eſt iudicium per text. & notata in cap. Si ſacerdos, de offic. ordinar. & in L. Duo ſunt Titij. ff. de teſtamentaria tutela. Pro reſolutione huius dubij. Dico in primis, Eccleſiaſticos iudices poſſe procedere cenſuris Eccleſiaſticis contra concubinas clericorum: Et ſi has pœnas negligant, nec abſtineant in eorum poteſtate eſſe vt quando Eccleſia amplius quod adhibeat non habet, inuocare brachium ſeculare ad amouendum publica ſcandala: Et hoc probant iura & Cōcilia primo loco pro parte negante adducta. Secundo reſpondeo quod ſi concubinæ clericorum peccent, cum clericis, & ſcandala inde oriantur, nec Eccleſiaſticus iudex manum apponat, ſeculares iudices poſse propria auctoritate apprehendere, ac contra eas procedere, ac pœnis virgarum & ſimilibus afficere pro modo culpæ, & in hoc caſu eſſe locum præuentioni; nec ſemper expectandum fore donec inuocentur ab Eccleſiaſticis, & ſane dolendum quod tardius rariuſque ab vtroque iudice contra hoc infœlix hominum genus procedatur. Et ſic Auftrerius in repetit. Clement. 1. de officio ordinarij in 2. reg. & fallentia 33. & in tract. de poteſt. ſeculari ſuper Eccleſiaſticas perſonas reg. 2. numero 34. & poſt eum

eum Boërius in deciſ.72.incip. Prima facie videretur quod non, atteſtantur in præſenti in regno Franciæ obſeruari, quod iudex laicus accipiat cognitionem, & puniat cõcubinas licet etiã puniri poſſint per iudicẽ Eccleſiaſticũ. Fundamentũ eorũ eſt. Cõcubina clerici in ſacris conſtituti cõmittit ſacrilegij crimen cap. Qui Chriſto.& cap. Virginibus. 17.q.1. Sed ſacrilegium eſt cõmunis fori. cap. Cum ſit generale, de foro cõpetenti. Hoc fundamentũ iſtorũ DD. eſt ſatis infirmũ, quia cõmuniter DD. ſentiunt mulierẽ cõcumbentẽ cum presbytero ſimplicẽ fornicationẽ cõmittere vt aſſerũt poſt alios Iul. Clar. lib. 5. §. Fornicatio. num. 18. & ibid. §. Inceſtus. num. 1. in fine, & Fernã. Vaſquius lib. 3. de teſtament. §. 22. num. 50. Ratio autem firma prædicti reſponſi eſt quæ innuitur à Petro Ancharano, & Ioan. de Anania locis cit. Concubina clerici nõ eſt exempta à iuriſdictione ſecularis iudicis; cũ nullo canone talis exemptio probetur, nec per hoc offenditur Eccleſiaſtica libertas, nec honeſtas clericorum violatur, ſed potius iuuatur, & ſacri canones cuſtodiuntur. Hinc etſi concedatur fornicationem de iure ciuili non eſſe prohibitam, nihilominus conſtitutione, lege, aut conſuetudine induci poteſt, modus puniendi concubinas clericorum. Talis enim conſtitutio, aut conſuetudo non eſt contra libertatem clericorum, nec inducit grauamen Eccleſiæ, nec ſacris canonibus improbatur.

tur. Ergo propter criminis punitioné ad amotioné ſcandalorũ à laico ſenatu poſsit lex, aut ſtatutum fieri de puniendis clericorũ concubinis prout conſuluit loco cit. Ancharan. de concubina notoria. Nunc ad argumenta in cõtrariũ. Ad primũ Canones citati, & Cõcilia allegata decernunt Eccleſiaſticos debere procedere cõtra cõcubinas clericorũ ꝑ cẽſuras Eccleſiaſticas, & pœnas cõuenientes; etſi concubinæ nõ his emẽdentur, nec euitent cõſortiũ clericorũ, ſi Eccleſia vlterius non habeat remediũ, procedendum eſſe ad inuocationẽ brachij ſecularis: non ſit tamen in canonibus & concilijs inhibitio ſecularibus de non procedendo contra tales mulieres: aut de non puniendo, nec vlla exemptio adſertur: Vnde pro ſua authoritate laici etiam poſſunt coërcere & in corpore iuxta menſurã delicti, & circumſtantias concubinas pœnis afficere, niſi alibi alia ſit cõſuetudo longo tẽpore præſcripta quæ iuriſdictionẽ ſolũ Eccleſiaſtico iudici tribuat in cõcubinarũ crimine. Certum enim eſt conſuetudinẽ longam & antiquã iuriſdictionẽ tribuere cap. Cum contingat, prope finem, de foro compet. & cap. Dilecti, de arbitr. Gloſſ. ibidem, in verb. Conſuetudinem, & L. 2. C. Quæ ſit longa conſuet. Innocent. in cap. Cum ab Eccleſiarum de offic. iudic. ordinarij. Bald. in L. Etiam. num. 13. C. de execut. rei iudicat. & alij alibi, & ſic conſuetudine forum quæritur per iura allegat. & ſimilia. Ad ſecundum

dum licet plurium DD. ea ſit opinio quod propter continentiam cauſæ laicus cum Eccleſiaſtico crimen cõmittens etiam ſit ad Eccleſiaſticum iudicem remittendus plurimi tamen etiam ab ea opinione recedunt. Petrus Rebuffus in auctent. Habita. C. Ne filius prò patre. Priuilegio. 106. Hanc opinionem paſſim receptam in praxi aſſerit, & Nicolaus Boërius ſuper conſuetud. Bituricen. in tit. de iuriſdictione. §.9. atteſtatur priorem opinionem nuſquam in praxi ſeruatam fuiſſe. Hanc etiam poſteriorem ſequntur Crauet.conſ. 232. col. 1. Antonius Gomezius tomo 3. variar. reſolut. cap. 10. num. 6. Didac. Couarr. pract. qq. cap. 34. num. 1. & poſt alios plures Iulius Clarus lib. 5. §. fin. pract. crimin. in d. q. 36. num. 43. vbi oſtendit in varijs locis ſic in practica obſeruari, & ſic concludit: Et ideo ab hac communi obſeruantia non recedas in practica. Argumenta pro priori ſententia ſoluuntur ex his quæ Couarruuias & Gomezius congerunt. Præterea nunc reſpondetur priorem opinionem verã eſſe in indiuiduis, quando cauſæ diuidi nequeunt, tunc tota cauſa tractari debet coram iudice illius qui fori priuilegio gaudet. At in noſtro caſu cauſa eſt diuidua, diſtincta ſunt enim peccata clerici & concubinæ, & cauſæ commodè diuidi poſſunt; ita quod Eccleſiaſticus procedat contra Eccleſiaſticum; & ſecularis contra ſecularem perſonam ſcilicet concubinam, prout

etiam

etiam contingit, quando laicus cum clerico crimen committit. Atque ſic vterque iudex fungitur ſua iuriſdictione abſque diminutione auctoritatis mutuæ. Ad tertium etiam reſpõdet Ancharanus in d. conſ. quod vbi eximunt iura clericos & eorum familiam; vt in cap. Nullus iudicum, de foro compet. nomine familiæ non continetur nepharia concubina, nec mirum, quia nec iniuſta vxor vt ff. ad municipales & de incolis. L. De iure. §. fin. Deinde reſpondeo, quicquid dicat Laurentius Calcaneus in conſ. 70. incipienti. Pro dicto Nicolai familiari D. Epiſcopi famuli clericorum laici quantum ad fori declinationem nõ gaudent priuilegio ipſorum clericorum, vt bene notat Panormit. in cap. Nullus iudicum, quod eſt ſecundum de foro competenti. num. 6. & ſic communis opinio ſentit vt poſt alios docet Iulius Clarus in d. §. fin. q. 37. num. 18. Verum quod Panormit. Anton. Cardin. & communiter alij per text. & Gloſſ. in d. cap. 2. tradunt omnes familiares Clericorum Eccleſiæ & eius ſeruitio deputatos gaudere priuilegio fori. Familiares autem Epiſcoporum etiam laici gaudent priuilegio clericorum cap. fin. de offic. Archid. & ita communiter tenent DD. vt teſtatur Panorm. in d. cap. 2. num. 6. Non eſt tamen vllus canon, qui faueat in hac parte Ancillis & concubinis Eccleſiaſticorum, quæ turpibus & inhoneſtis actibus occupantur. Quare mirandum

Gg quod

hac concluſione Bulla Cœnæ Domini in excommunicatione 19.§.incip. Excommunicamus omnes & quoſcunque magiſtratus, ſenatores, &c. ibi: contra Eccleſiaſticas perſonas, illas banniendo, capiendo, proceſſando, ſeu ſententias cōtra illas proferendo vel exequēdo, &c. Sed de his ſatis. Nunc breuibus agendum de iniurijs quæ ſolent præcipuè irrogari locis ſacris.

SECVNDA QVAESTIO.

An & quomodo iniuria locis ſacris inferatur?

PRIMA CONCLVSIO. *Non eſt negandum violatione templorum & locorum ſacrorũ per vim & violentiã iniuriam inferri.* Hæc concluſio conſtat ex vtroque iure 17. q. 4. can. Miror. c. Reum. c. Conſtituit. c. Definiuit. & alijs multis ſeq. ibidem. cap. penult. & fin. de immunit. Eccleſ. L. Fideli. & L. Præſenti. C. De his, qui ad Eccleſias confugiunt. In vtroque iure ſtatuuntur pœnę contra violantes locorum ſacrorum immunitatem & iniurias inferētes Eccleſijs, vt infra clarius patebit. Vt autem hæc materia penitius intelligatur, aliqua paulo latius ſunt reſoluenda, & in medium adferenda de Eccleſiarum immunitate, quæ quando læditur, iniuria fit loco & Eccleſiæ. *Primum.* Competit enim de iure Eccleſiæ quædã immunitas, vt homines ſcele-

rati ad loca ſacra confugientes vincti non poſſint extrahi, ſed defendantur ſub protectione Eccleſiæ, à poteſtate ſeculari. *Secundũ.* Etſi hæc immunitas fundamentum & originem habere valeat ex ſcriptura veteris teſtamenti, nunc tamen tempore Euangelij talis immunitas nõ eſt iure diuino præcepta. Prima pars huius notabilis patet ex Exod. cap. 21. Qui percuſſerit hominem volens occidere: morte moriatur. Qui autem non eſt inſidiatus: ſed DEVS illum tradidit in manus eius: conſtituam tibi locum in quo fugere debeat. Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum & per inſidias: ab altari meo euelles eum vt moriatur. 3. Regum. 2. Fugit Ioab in tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris. Hinc erant cõſtituti paſsim ciuitates refugij in præſidium homicidarum & fugitiuorum Deuteron. 10. Numer. 35. Ioſue 20. & alibi. Secunda pars ſatis aperta eſt, cum lex vetus in aduentu Chriſti expirauerit, cap. Tranſlato, de conſtitutionibus. Ad Hæbr. Tranſlato ſacerdotio, neceſſe eſt legis quoq; tranſlatio fiat. De hac re plurima dicta ſunt in cap. 1. ſupra q. 1. Nec lex Euangelica quicquam ſtatuit de immunitate hac, vt ex Euangelicis ſcriptis ſatis conſtat. Confirmat idem propoſitum ratio Theologica fundata in S. Thoma. 1. 2. q. 108. art. 1. & 2. atque explicat Dominic. à Soto. lib. 2. de iuſtitia & iure. q. 9. art. 1. & 2. & diſtinctius idem S. Thomas quodlibeto 4. art. 13.

licet

licet breuius. A Chriſto Domino nulla lex inſtituta fuit præter naturalis iuris præcepta, niſi de his, quæ omnino ad ſacramenta & articulos fidei ſpectant. Immunitas autem Eccleſiaſtica iuris naturalis non eſt, cum nec ſit de principijs iuris naturalis, nec ex his neceſſaria conſequentia inferatur: Nec etiam ad ſacramenta, vel fidei noſtræ articulos pertinet. Vnde rectè colligitur qud immunitas ſacrorum locorum non eſt de præcepto diuino tépore Euangelij. Eſt ergo iure poſitiuo de nouo ſub Euangelio conſtituta immunitas Eccſiarum & iuſtè ſanctéque ſane id factum eſt ad Chriſtianæ religionis vtilitatem, & in honoré locorum ſacrorum, vt clarum eſt ex teſtimonijs veteris ſcripturæ ſupra allatis. Imo etiam Ethnici ſuis locis, in quibus cultum falſorum Deorum exercebant, hanc etiam attribuebant immunitatem, quam nefas violare ſentiebant, vt ſatis apertum eſt ex Iuſtino lib. 38. dum in hunc modum ſcribit: Laodamia autem cum in aram Dianæ confugiſſet, concurſu populi interficitur. Quod facinus Dij immortales aſsiduis cladibus gentis, & prope interitu totius populi vindicauerunt, nam ſterilitatem famemq; paſsi, & inteſtina diſcordia vexati externis ad poſtremû bellis penè conſumpti ſunt. Miloque Laodamiæ percuſſor in furorem verſus, nunc ferro, nunc ſaxo, in ſummo dentibus laceratis viſceribus, duodecimo die interijt. Sic Iuſtinus. Panſa-

nias etiam ſcribit lib. 1. vt referunt Tiraquell. in annotationib. ad Alexand. ab Alex. Genial. dier. lib. 3. cap. 2. & poſt eum Couarr. lib. 2. variarum reſol. cap. 20. num. 2. Syllam, quia Ariſtioné qui in Mineruæ templũ aufugerat, vi extractum interimi iuſsiſſet, in illius teterrimi morbi genus, quem Phthiriaſim græci, pediculaŕe latini nominant, incidiſſe. Vtinā qui nunc Chriſtiano nomine gaudent, hanc etiam imbibiſſent Chriſtinā ſententiā Deum verum ſumũm & omnipotenté ſæpe vindicare iniurias eorũ qui libertatē Eccleſiarum, Eccleſiaſticarumq; perſonarum ſine vlla cõſciẽtia lædunt, & loca ſacra cædibus, ſacrilegis manibus, impijs horrendiſq́ue ſceleribus contaminant, abſq; vllo reſpectu, quod in talibus locis verus Deus qui omnia intuetur, nihilq; culpabile impunitum relinquit colatur, adoreturq;, eiq; verũ, incruentũ, ac propitiatoriũ ſacrificiũ immolatur, in quo nõ ſanguis hircorũ vitulorũ ſed Chriſti filij Dei, & agni immaculati offertur. Quærimus ſæpe cauſas humanarũ calamitatũ & aſsiduorũ bellorũ quæ intus & foras graſſantur, non tamen iniurias, & peccata quibus Deus iuſtè iraſcitur vt vindictam inferat, amouemus. Aſylorum etiam frequẽs eſt apud antiquos memoria, quę erant loca religioſa atq; ſacra eorũ opinione, vnde fas nõ erat quenquã rapere. Primum enim Aſylum Cadmus, dum Thebas cõderet, dicitur erexiſſe, ad q̃ cõfugientes ſine diſcrimine ſerui & liberi,

beri, ab omni pœna tuti erant, vt poſt alios tradidit Alexander ab Alexandro Genialiũ dierum lib. 3. cap. 20 Romulus etiã poſtea ſecutus aliorũ exemplũ & cõſtituit aſylum, vt meminerunt Vergil. lib. 8. AEneidos, dum ait:

Hunc locum ingentē, quem Romulus acer
Aſylum
Rettulit, & gelida monſtrant ſub rupe (*lupercal.*

Ouidius lib. 3. Faſtorum.

Romulus vt ſaxo lucum circumdedit alto:
Quilibet huc, inquit, cõfuge tutus eris.

Titus Liuius lib. 1. qui & lib. 36. ab vrbe cód. teſtis eſt templum Apollinis Deluim aſylum fuiſſe. Sed & D. Auguſtin. lib. 1. de Ciuitate Dei, cap. 34. Romulũ & Remum Aſylum cõſtituiſſe teſtimonium perhibet, & Lactan. lib. 2. cap. 7. etiá meminit Romulũ aſylũ erexiſſe, Sicut etiã Plutarch. in vita eiuſdẽ. In Aphrodiſio & Papho Veneris, apud Stratonicẽ. Iouis & Triuię tẽpla, Siculis Paliſci ara, in Peloponneſo Hermionę phanũ ſacrũ Cereri & Proſerpinę, in Epheſo Artemiſiũ, Pergami ędes Aeſculapij, in Gręcia Calidonię Palladis tẽplum, tantæ dignationis fuere, vt capitalẽ fraudẽ autſi, aut pecunia iudicati, qui ad illa confugiſſent, noxa pecuniaq; exoluerẽtur, vt Alexan. in d. cap. 20. poſt antiquiorum hyſtorias colligit. Plura etiã de hac materia exẽpla profert Cornelius Tacitus lib. 3. fol. 3. ante finem libri. Qui veterum ſcriptorum loca vide-

videre cupit, vnde Alexand. ſua deſumpſit, qui plura alia recenſet, legat Andream Tyraquellum in annotationibus ad Alexandrum loco cit. Athenis aſylum videtur etiam dictũ templũ miſericordiæ, vt ex Seruio in lib. 8. Aeneidos & Statio Poëta lib. 12. vbi ſic cecinit;

Vrbe fuit media nulli conceſſa potentum,
Ara Deûm, mitis poſuit clementia ſedẽ,
Et miſeri fecere ſacram, &c.

Annotarunt Ludouicus Viues in Auguſtinum de Ciuitate lib. 1. cap. 34. & Tyraquell. loco cit. Nec immerita Aſyla poſſent dici templa miſericordiæ, quia facinoroſi liberabantur à pœnis debitis, & miſericordiam conſequebantur. Aſyli etiam meminit iuriſconſultus in L. Quis ſit fugitiuus. §. Apud Labeonem ff. de ædilit. edicto. Gloſſ. ibidem exponit, & trahit ad libertatem & immunitatem Eccleſiarũ. Verum Tiberius Cæſar, cum ꝓpter aſylorũ impunitates plurima facinora admitterentur ne impunita manerẽt crimina in perniciem reipublicæ immunitates aſylorum abrogauit, vt velle videtur Suetonius in Tiberio, vel potius reformauit, & modum præſcripſit, vt colligi poteſt ex Cornelio Tacito loco cit. & lib. 4. idem Tacitus ſcribit Samiæ Iunoni, & AEſculapij delubro, ius veteris immunitatis ob religionem Tyberium reſtituiſſe, vt etiam Alexand. loco cit. narrat. Sed his omiſsis & alijs quæ docent omnium etiam

etiam Ethnicorum conſenſu ſemper templis & aris honorem delatum,& immunitatem attributam ad propoſitum reuertamur. *Tertium*. Per loca ſacra in hac materia intelliguntur Eccleſiæ, capellæ, ſacella, & templa pro miſſarum celebratione auctoritate Epiſcopali conſtructa text. in cap. Eccleſiæ, de immunitate Eccleſiar, DD. ibidem. Angel. Syluest. & alij in verb. Immunitas. Nauarr. in manuali confeſſar. cap. 25. num. 17. Cæmiterium etiam conſecratum pro ſepultura mortuorum ſuæ contiguum Eccleſiæ ſit, ſiue ſeparatum ab ea comprehenditur ſub immunitate. cap. Quiſquis. 17. q. 4. & DD. locis cit. Eadem eſt ratio de hoſpitalibus, ędificatis auctoritate Epiſcopi. Panormitanus in cap. penult. de immunitate Eccleſiarum. Felinus. in cap. De quarta de præſcript. col. 3. Archidiac. in cap. Definiuit. 17. q. 4. Angel. Syluest. & Nauarr. locis cit. Bald. in L. Si quis ad declinandam. C. de Epiſcop. & Cleric. & cōmuniter alij alibi, niſi cōſuetudine rationabili aliud ſit obtentū, quę etiá valet ad illū effectum iuxta doctrinā Panormit. in d. cap. Eccleſiæ, quam approbat Didacus Couarruuias lib. 2. variarum reſolut. cap. 20. vbi doctè tractat de immunitate Eccleſiarum. Domus etiam Eccleſiæ ad habitationem paſtoris & clericorum conſtructa intra triginta, aut quadraginta paſſus prope Eccleſiam. Extenditur de iure hæc immunitas ad ſpacium quadraginta paſſuum in circui-

tu Eccleſiæ maioris & matricis. cap. Sicut antiquitus, & cap. Quiſquis 17. q. 4. vel 30. paſſuū circa alias Eccleſias. d. cap. Quiſquis & in d. cap. Sicut antiquitus, inquit canon Nicolai Papæ ad omnes Epiſcopos, à ſanctis patribus ſtatutum eſt: ſtatuimus vt maior Eccleſia per circúitum quadraginta paſſus habeat. Capellæ vero vel minores Eccleſiæ 30. Qui autē confinia eorum cōſringere tentauerit: aut perſonā hominis vel bona eius inde ſubtraxerit, niſi publicus latro erit, quouſq; emendet, & niſi quod rapuerit reddat: excomunicetur. Verū in quibuſdā locis hoc vſu receptum nō eſt, vt auctores atteſtantur. In alijs aliter obſeruatur prout iure ſtatutum eſt; Vnde Iul. Clar. lib. 5. ſentent. §. fin. practic. crimin. q. 30. num. 2. ait quod ſenatus, ſcilicet Mediolanen. vltimo Octobr. Anno 1559. iuſſerit prætori Papiæ, vt reſtitueret quendam Pitium imputatum de vxoricidio, captum in cubiculo cuiuſdā domus ſitæ intra 16. paſſus ab Eccleſia maiori, dummodo ipſa domus cohęreret Eccleſiæ, & eſſet ipſius Eccleſiæ. Solet tamen obſeruari, vt immunitas ſemper obſeruetur vſque ad fines cæmiterij; forium ſiue ianuarum, clauſtrorum, atrij, & circuitus terminis circumſcripti. Hinc reſoluitur dubium, quid dicendum de reo, qui poſt crimen commiſſum cónfugit ad Eccleſiam, eamq; clauſam reperit, nec intrare poteſt, ſed manu portam, eiuſq; anſam, aut vectes apprehēdit, an poſſit à ſatellitibus ſecularis

ris magiſtratus inde rapi abſque violatione & iniuria Eccleſiæ. Immunitatē in hoc caſu violari rectè ſentit Couarr. loco cit. num.17. poſt Ioann. Igneum in L. 1. ff. ad Syllanian. num. 57. qui Rhotomagi ita ſæpiſsime iudicatum fuiſſe dicit. Satis enim hæc reſponſio fundata eſt in ratione ſacrorum canonum. Eadem eſt ratio, ſi quis exiſtentem in porta Eccleſiæ aut Eccleſia, aut alio loco ſacro per veſtem extenſam arriperet, & ab Eccleſia abduceret, ſic abducens, aut vi rapiens reus eſſet læſæ immunitatis Eccleſiaſticæ Ioan. Andr. in c. fin. de immunit. Eccleſ. Igneus & Couarruuias loc. cit. De iure etiam domus Epiſcopi habet immunitatem maximè ſi ſita ſit intra quadraginta paſſus maioris & matricis Eccleſiæ. cap. Id conſtituimus. 17. q. 4. Innocentius, Hoſtienſis, & alij communiter cap. Inter alia, de immunitate Eccleſ. Sunt tamen qui velint non cōpetere hanc immunitatem domui Epiſcopali, ſi diſtet ab Eccleſia, & non comprehendatur infra quadraginta paſſus: Paſſus autem prout huic rei inſeruit, eſt quinque pedum menſura. Gloſſa in cap. Sicut antiquitus. 17. q. 4. ex Iſidoro Gloſſ. in L. 3. ff. de verbor. ſignific. Andreas Alciatus in lib. de quinque pedum præſcript. & in L. Mille paſſus. ff. de verbor. ſignific. Iſidorus lib.15. Etymol. cap.15. & alij communiter alibi. Hoc tamen obſeruandum ꝙ ei qui ad Eccleſiæ im̄unitatē confugit, licitū eſt ad requiſitæ naturæ neceſſarios vſus exire

debitis

debitis locis, dummodo terminos non tranſeat, & in extraneas domos ſe non recipiat per text. Concilij Toletani XII. can. 10. inſertum à Gratiano 17. q. 4. cap. Diffiniuit ſanctum Concilum. *Quartum* in examine & conſideratione immunitatis Eccleſiarum etiam apud ſeculare tribunal, magis inſiſtendum canonum decretis & deciſionibus, quam ciuilis iuris legibus & ſanctionibus Raphael Fulgoſius in L. Fideli. C. de his qui ad Eccleſiam confugiunt. Ioann. Fabri. Inſtit. De his qui ſunt ſui, vel alieni iuris, & his allegatis. Alexand. in conſ. 145. incip. Viſo themate & his quæ eleganter & copiosè conſulendo. num. 4. lib. 7. Oldrad. in conſ. 154. incip. Quidam deliquit vſque ad mutilationem. Alberic. in Rubr. C. de ijs qui ad Eccleſ. confug. Panormitanus in d. cap. Inter alia. num. 24. Immolen. in Clem. 1. in fine de pœnit. & remiſsionibus. Cardinal. ibid. Chaſſan. ſuper conſuet. Burgund. Rubr. 1. §. 5. verſ. S'iln'. à grace. num. 111. in fine. Couarruuias loco cit. num. 3. & alij alibi, atque hæc communis opinio eſt vt atteſtatur Couarr. Ratio eſt, Immunitas hæc concernit honorem reuerentiamque locorum ſacrorum, quorum cura Pontifices ac prælatos Eccleſiæ attingit. Ergo merito canones, qui ex præſcripto Pontificum & Eccleſiæ prodierunt præferuntur legibus in deciſione cauſarum circa immunitatē locorum ſacrorum, non ſunt tamen canones nimis hic extenden-

tendendi vltra intentionẽ cõditorũ, & ſanum ſenſum. Hinc merito reijcienda ſentẽtia Salyceti in Auctent. 2. Qui C. de adulter. in fine & Angeli ab Aretio in tractatu malefic. in verb. Fama publica. verſ. Quarto quæro, quos ſequuntur, Andr. Alciat. de præſumptionibus. regula 3. præſumpt. 33. Petrus de Ferrarijs in ſua practica. tit. in forma inquiſitionis. Carolus Molinæus in addit. conſil. 145. Alexandri qui exiſtimant à canonibus recedendum in deciſione huius materiæ ſed malè ex cauſa relata. Et ſic valde temerariè nec ſine errore loquitur practica Ferrarien. loco cit. etiam allegata à Boërio in deciſ. 109. Damhauderio in rerum criminalium praxi, cap. 106. num. 21. & alijs alibi non tamen improbata quod tamẽ fieri debuit: quãdo ibidẽ verſic. Ex ijs poteſt non improbabiliter quæri, dicit iura canonica fuiſſe ad placitum & ſine ratione facta, imò contra ius diuinum; quo cautum eſt: Domus mea, domus orationis vocabitur. Vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum. cap. Decet. de immunit. Eccleſ. in 6. Quæ omnia falſa ſunt. Canones enim quos leges non dedignãtur imitari cap. 1. de noui oper. nunciatione. d. 10. cap. 1. & in auctent. vt clerici apud proprios Epiſcopos ſunt approbati ab Eccleſia quæ errare nequit in eis quæ ad fidẽ & mores ſpectant, fundantur aut in iure diuino, aut in firmamẽto rationis, aut patrũ & cõciliorũ decretis. Vnde impudens & temerarius eſt, qui

ita

ita laxè & effrenatè de eorum auctoritate loquitur. Contingit quandoq; ex abſurda canonum interpretatione, & ignorantia quorundã hominũ qui non rectè ſanũ rectumq; ſenſum canonũ aſſequuntur, abſurdas etiam ſequi ſententias: Non tamen ideo canones ſunt reijciendi, & damnandi, ſed cum intelligentia ſaniorum & doctiorum auctorum amplectendi. Nunc vlterius procedendum per concluſiones ad deciſionem. Sit igitur.

Prima Concluſio. *Regulariter omnis reus ob crimen etiam graue commiſſum ad Eccleſiam ſiue loca ſacra confugiens gaudet immunitate Eccleſiaſtica, nec poteſt violenter, aut vi extrahi.* Hæc probatur ex vtroq; iure canonico & ciuili. 17. q. 4. cap. Si quis cõtumax. c. Reum. cap. Frater. cap. Quiſquis. c. Diffiniuit. cap. Id cõſtituimus & alijs ibidem, cap. Inter alia. & c. penult. de immunit. Eccleſ. L. Fideli. & L. præſenti. C. de ijs qui ad Eccleſ. confug. DD. in his locis Summiſtæ in verb. Immunitas, & alij alibi vt ex ſequentibus latius patebit.

Secunda Concluſio. *Quando quis poſt crimen commiſſum loci ſacri immunitate gaudet, iudex ſecularis etiam non poteſt ſine maxima iniuria inhibere ne exiſtenti inibi alimenta, veſtimenta, aliaue neceſſaria adminiſtrentur.* Per text. in d. L. præſenti. Panormit. Hoſtien. & cõmunis in d. cap. Inter cætera. Summiſtæ in verb. Immunitas. Couarr. loc. cit. nũ. 17. Anton. Gomez. tom. 3. variar. reſolut. cap. 11. nũ. 1. & alij cõmuniter in hac

materia

materia ſcribẽtes. Neceſſaria autẽ adminiſtrabuntur de ſuo proprio ſi habet, aut de bonis Eccleſiæ, ſi non ſufficiat ad ꝓuiſionẽ vt DD. cõmuniter volunt. Hinc ianuæ Eccleſiæ non poſſunt obſideri à cuſtodibus ad ꝓhibendũ ne neceſſaria deferantur ad im̃unitatẽ hoc enim eſſet contra ius im̃unitatis. Nec etiam ſic in loco ſacro exiſtens poteſt compedibus, catenis, aut vinculis ligari, ne fugere quò voluerit, nõ põſsit, aut liceat. Guid. Pap. in deciſ. 121. Couarr. loc. cit. & alij. Tradũt tamẽ moribus & cõſuetudine receptũ eſſe, vt quãdo dubium eſt, an reus q̃ ad Eccleſiã iam cõfugit, gaũdere debeat im̃unitate Eccleſiaſtica, interim ponatur in cõpedib. aut cuſtodia muniatur, donec cognitũ fuerit, an gaudere priũilegio loci ſacri debeat, necne?

Tertia Concl. *Reus qui de iure gaudet priuilegio immunitatis, ſiue vi abſtractus fuerit, ſiue ſp̃ote ab Eccleſiaſticis dimiſſus, nõ poteſt ãplius ex delicto condẽnari ad mortẽ, mutilationẽ, aut aliã pœnã corporis afflictiuã.* Text. probat. 17. q. 4. cap. Reum, ait, ad Eccleſiam fugientem nemo abſtrahere audeat: neq; inde donare ad pœnã, vel ad mortẽ, vt honor Eccleſiarũ conſeruetur, ſed rectores Eccleſiæ pacẽ eius & vitã & mẽbra obtinere ſtudeant: tamẽ legitimè cõponat ꝙ iniquè fecit, & ibid. in cap. Id conſtituimus ex Concilio Aurelianenſi. Id conſtituimus obſeruandũ quod Eccleſiaſtici canones decreuerũt, & lex Romana conſtituit: vt ab Eccleſiæ atrijs, vel domo Epiſcopi

dum licet plurium DD. ea ſit opinio quod propter continentiam cauſæ laicus cum Eccleſiaſtico crimen cōmittens etiam ſit ad Eccleſiaſticum iudicem remittendus plurimi tamen etiam ab ea opinione recedunt. Petrus Rebuffus in auctent. Habita. C. Ne filius pro patre. Priuilegio. 106. Hanc opinionem paſſim receptam in praxi aſſerit, & Nicolaus Boërius ſuper conſuetud. Bituricen. in tit. de iuriſdictione. §. 9. atteſtatur priorem opinionem nuſquam in praxi ſeruatam fuiſſe. Hanc etiam poſteriorem ſequntur Crauet. conſ. 232. col. 1. Antonius Gomezius tomo 3. variar. reſolut. cap. 10. num. 6. Didac. Couarr. pract. qq. cap. 34. num. 1. & poſt alios plures Iulius Clarus lib. 5. §. fin. pract. crimin. in d. q. 36. num. 43. vbi oſtendit in varijs locis ſic in practica obſeruari, & ſic concludit: Et ideo ab hac communi obſeruantia non recedas in practica. Argumenta pro priori ſententia ſoluuntur ex his quæ Couarruuias & Gomezius congerunt. Præterea nunc reſpondetur priorem opinionem verā eſſe in indiuiduis, quando cauſæ diuidi nequeunt, tunc tota cauſa tractari debet coram iudice illius qui fori priuilegio gaudet. At in noſtro caſu cauſa eſt diuidua, diſtincta ſunt enim peccata clerici & concubinæ, & cauſæ commodè diuidi poſſunt; ita quod Eccleſiaſticus procedat contra Eccleſiaſticum; & ſecularis contra ſecularem perſonam ſcilicet concubinam, prout

etiam contingit, quando laicus cum clerico crimen committit. Atque ſic vterque iudex fungitur ſua iuriſdictione abſque diminutione auctoritatis mutuæ. Ad tertium etiam reſpōdet Ancharanus in d. conſ. quod vbi eximunt iura clericos & eorum familiam, vt in cap. Nullus iudicum, de foro compet. nomine familiæ non continetur nepharia concubina, nec mirum, quia nec iniuſta vxor vt ff. ad municipales & de incolis. L. De iure. §. fin. Deinde reſpondeo, quicquid dicat Laurentius Calcaneus in conſ. 70. incipienti. Pro dicto Nicolai familiari D. Epiſcopi famuli clericorum laici quantum ad fori declinationem nō gaudent priuilegio ipſorum clericorum, vt bene notat Panormit. in cap. Nullus iudicum, quod eſt ſecundum de foro competenti. num. 6. & ſic communis opinio ſentit vt poſt alios docet Iulius Clarus in d. §. fin. q. 37. num. 18. Verum quod Panormit. Anton. Cardin. & communiter alij per text. & Gloſſ. in d. cap. 2. tradunt omnes familiares Clericorum Eccleſiæ & eius ſeruitio deputatos gaudere priuilegio fori. Familiares autem Epiſcoporum etiam laici gaudent priuilegio clericorum cap. fin. de offic. Archid. & ita communiter tenent DD. vt teſtatur Panorm. in d. cap. 2. num. 6. Non eſt tamen vllus canon, qui faueat in hac parte Ancillis & concubinis Eccleſiaſticorum, quæ turpibus & inhoneſtis actibus occupantur. Quare mirandum

hac concluſione Bulla Cœnæ Domini in excommunicatione 19.§.incip.Excommunicamus omnes & quoſcunque magiſtratus, ſenatores, &c. ibi: contra Eccleſiaſticas perſonas, illas banniendo, capiendo, proceſſando, ſeu ſententias cōtra illas proferendo vel exequẽdo, &c. Sed de his ſatis. Nunc breuibus agendum de iniurijs quæ ſolent præcipuè irrogari locis ſacris.

SECVNDA QVAESTIO.

An & quomodo iniuria locis ſacris inferatur?

PRIMA CONCLVSIO. *Non eſt negandum violatione templorum & locorum ſacrorũ per vim & violentiã iniuriam inferri.* Hæc concluſio conſtat ex vtroque iure 17. q. 4. can. Miror. c. Reum. c. Conſtituit. c. Definiuit. & alijs multis ſeq. ibidem. cap. penult. & fin. de immunit. Eccleſ. L. Fideli. & L. Præſenti. C. De his, qui ad Eccleſias confugiunt. In vtroque iure ſtatuuntur pœnę contra violantes locorum ſacrorum immunitatem & iniurias inferẽtes Eccleſijs, vt infra clarius patebit. Vt autem hæc materia penitius intelligatur, aliqua paulo latius ſunt reſoluenda, & in medium adferenda de Eccleſiarum immunitate, quæ quando læditur, iniuria fit loco & Eccleſiæ. *Primum.* Competit enim de iure Eccleſiæ quædã immunitas, vt homines ſcele-

rati ad loca ſacra confugientes vincti non poſſint extrahi, ſed defendantur ſub protectione Eccleſiæ, à poteſtate ſeculari. *Secundū.* Etſi hæc immunitas fundamentum & originem habere valeat ex ſcriptura veteris teſtamenti, nunc tamen tempore Euangelij talis immunitas nō eſt iure diuino præcepta. Prima pars huius notabilis patet ex Exod. cap. 21. Qui percuſſerit hominem volens occidere: morte moriatur. Qui autem non eſt inſidiatus: ſed DEVS illum tradidit in manus eius: conſtituam tibi locum in quo fugere debeat. Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum & per inſidias: ab altari meo euelles eum vt moriatur. 3. Regum. 2. Fugit Ioab in tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris. Hinc erant cōſtituti paſſim ciuitates refugij in præſidium homicidarum & fugitiuorum Deuteron. 10. Numer. 35. Ioſue 20. & alibi. Secunda pars ſatis aperta eſt, cum lex vetus in aduentu Chriſti expirauerit, cap. Tranſlato, de conſtitutionibus. Ad Hæbr. Tranſlato ſacerdotio, neceſſe eſt legis quoq; tranſlatio fiat. De hac re plurima dicta ſunt in cap. 1. ſupra q. 1. Nec lex Euangelica quicquam ſtatuit de immunitate hac, vt ex Euangelicis ſcriptis ſatis conſtat. Confirmat idem propoſitum ratio Theologica fundata in S. Thoma. 1. 2. q. 108. art. 1. & 2. atque explicat Dominic. à Soto. lib. 2. de iuſtitia & iure. q. 9. art. 1. & 2. & diſtinctius idem S. Thomas quodlibeto 4. art. 13.

licet

licet breuius. A Chriſto Domino nulla lex inſtituta fuit præter naturalis iuris præcepta, niſi de his, quæ omnino ad ſacramenta & articulos fidei ſpectant. Immunitas autem Eccleſiaſtica iuris naturalis non eſt, cum nec ſit de principijs iuris naturalis, nec ex his neceſſaria conſequentia inferatur: Nec etiam ad ſacramenta, vel fidei noſtræ articulos pertinet. Vnde rectè colligitur qud immunitas ſacrorum locorum non eſt de præcepto diuino tépore Euangelij. Eſt ergo iure poſitiuo de nouo ſub Euangelio conſtituta immunitas Eccſiarum & iuſtè ſanctéque ſane id factum eſt ad Chriſtianæ religionis vtilitatem, & in honorē locorum ſacrorum, vt clarum eſt ex teſtimonijs veteris ſcripturæ ſupra allatis. Imo etiam Ethnici ſuis locis, in quibus cultum falſorum Deorum exercebant, hanc etiam attribuebant immunitatem, quam nefas violare ſentiebant, vt ſatis apertum eſt ex Iuſtino lib. 38. dum in hunc modum ſcribit: Laodamia autem cum in aram Dianæ confugiſſet, concurſu populi interficitur. Quod facinus Dij immortales aſsiduis cladibus gentis, & prope interitu totius populi vindicauerunt, nam ſterilitatem famemq; paſsi, & inteſtina diſcordia vexati externis ad poſtremū bellis penè conſumpti ſunt. Miloque Laodamiæ percuſſor in furorem verſus, nunc ferro, nunc ſaxo, in ſummo dentibus laceratis viſceribus, duodecimo die interijt. Sic Iuſtinus. Panſa-

nias etiam ſcribit lib. 1. vt referunt Tiraquell. in annotationib. ad Alexand. ab Alex. Genial. dier. lib. 3. cap. 2. & poſt eum Couarr. lib. 2. variarum reſol. cap. 20. num. 2. Syllam, quia Ariſtioné qui in Mineruæ templũ aufugerat, vi extractum interimi iuſsiſſet, in illius teterrimi morbi genus, quem Phthiriaſim græci, pediculaŕé latini nominant, incidiſſe. Vtinã qui nunc Chriſtiano nomine gaudent, hanc etiam imbibiſſent Chriſtinã ſententiã Deum verum ſum̃um & omnipotenté ſæpe vindicare iniurias eorũ qui libertaté Eccleſiarum, Eccleſiaſticarumq; perſonarum ſine vlla cõſciétia lædunt, & loca ſacra cædibus, ſacrilegis manibus, impijs horrendiſque ſceleribus contaminant, abſq; vllo reſpectu, quod in talibus locis verus Deus qui omnia intuetur, nihilq; culpabile impunitum relinquit colatur, adoreturq;, eiq; verũ, incruentũ, ac propitiatoriũ ſacrificiũ im̃olatur, in quo nõ ſanguis hircorũ vitulorũ ſed Chriſti filij Dei, & agni immaculati offertur. Quærimus ſæpe cauſas humanarũ calamitatũ & aſsiduorũ bellorũ quæ intus & foras graſſantur, non tamen iniurias, & peccata quibus Deus iuſtè iraſcitur vt vindictam inferat, amouemus. Aſylorum etiam frequés eſt apud antiquos memoria, quę erant loca religioſa atq; ſacra eorũ opinione, vnde fas nõ erat quenquã rapere. Primum enim Aſylum Cadmus, dum Thebas cõderet, dicitur erexiſſe, ad q̃ cõfugientes ſine diſcrimine ſerui & liberi,

beri, ab omni pœna tuti erant, vt poſt alios tradidit Alexander ab Alexandro Genialiũ dierum lib. 3. cap. 20 Romulus etiã poſtea ſecutus aliorũ exemplũ & cõſtituit aſylum, vt meminerunt Vergil. lib. 8. AEneidos, dum ait:

Hunc locum ingentẽ, quem Romulus acer
Aſylum *(lupercal.*
Rettulit, & gelida monſtrant ſub rupe

Ouidius lib. 3. Faſtorum.

Romulus vt ſaxo lucum circumdedit alto:
Quilibet huc, inquit, cõfuge tutus eris.

Titus Liuius lib. 1. qui & lib. 36. ab vrbe cõd. teſtis eſt templum Apollinis Deluim aſylum fuiſſe. Sed & D. Auguſtin. lib. 1. de Ciuitate Dei, cap. 34. Romulũ & Remum Aſylum cõſtituiſſe teſtimonium perhibet, & Lactan. lib. 2. cap. 7. etiã meminit Romulũ aſylũ erexiſſe, Sicut etiã Plutarch. in vita eiuſdẽ. In Aphrodiſio & Papho Veneris, apud Stratonicẽ. Iouis & Triuię tẽpla, Siculis Paliſci ara, in Peloponneſo Hermionę phanũ ſacrũ Cereri & Proſerpinę, in Epheſo Artemiſiũ, Pergami ędes Aeſculapij, in Grçcia Calidonię Palladis tẽplum, tantæ dignationis fuere, vt capitalẽ fraudẽ auſi, aut pecunia iudicati, qui ad illa confugiſſent, noxa pecuniaq; exoluerẽtur, vt Alexan. in d. cap. 20. poſt antiquiorum hyſtorias colligit. Plura etiã de hac materia exẽpla profert Cornelius Tacitus lib. 3. fol. 3. ante finem libri. Qui veterum ſcriptorum loca

videre cupit, vnde Alexand. ſua deſumpſit, qui plura alia recenſet, legat Andream Tyraquellum in annotationibus ad Alexandrum loco cit. Athenis aſylum videtur etiam dictũ templũ miſericordiæ, vt ex Seruio in lib. 8. Aeneidos & Statio Poëta lib. 12. vbi ſic cecinit;

Vrbe fuit media nulli conceſſa potentum,
Ara Deûm, mitis poſuit clementia ſedẽ,
Et miſeri fecere ſacram, &c.

Annotarunt Ludouicus Viues in Auguſtinum de Ciuitate lib. 1. cap. 34. & Tyraquell. loco cit. Nec immerita Aſyla poſſent dici templa miſericordiæ, quia facinoroſi liberabantur à pœnis debitis, & miſericordiam conſequebantur. Aſyli etiam meminit iuriſconſultus in L. Quis ſit fugitiuus. §. Apud Labeonem ff. de ædilit. edicto. Gloſſ. ibidem exponit, & trahit ad libertatem & immunitatem Eccleſiarũ. Verum Tiberius Cæſar, cum ꝓpter aſylorũ impunitates plurima facinora admitterentur ne impunita manerẽt crimina in perniciem reipublicæ immunitates aſylorum abrogauit, vt velle videtur Suetonius in Tiberio, vel potius reformauit, & modum præſcripſit, vt colligi poteſt ex Cornelio Tacito loco cit. & lib. 4. idem Tacitus ſcribit Samiæ Iunoni, & AEſculapij delubro, ius veteris immunitatis ob religionem Tyberium reſtituiſſe, vt etiam Alexand. loco cit. narrat. Sed his omiſsis & alijs quæ docent omnium

etiam

etiam Ethnicorum conſenſu ſemper templis & aris honorem delatum, & immunitatem attributam ad propoſitum reuertamur. *Tertium.* Per loca ſacra in hac materia intelliguntur Eccleſiæ, capellæ, ſacella, & templa pro miſſarum celebratione auctoritate Epiſcopali conſtructa text. in cap. Eccleſiæ, de immunitate Eccleſiar. DD. ibidem. Angel. Sylueſt. & alij in verb. Immunitas. Nauarr. in manuali confeſſar. cap. 25. num. 17. Cæmiterium etiam conſecratum pro ſepultura mortuorum ſuæ contiguum Eccleſiæ ſit, ſiue ſeparatum ab ea comprehenditur ſub immunitate. cap. Quiſquis. 17. q. 4. & DD. locis cit. Eadem eſt ratio de hoſpitalibus, ędificatis auctoritate Epiſcopi. Panormitanus in cap. penult. de immunitate Eccleſiarum. Felinus. in cap. De quarta de præſcript. col. 3. Archidiac. in cap. Definiuit. 17. q. 4. Angel. Sylueſt. & Nauarr. locis cit. Bald. in L. Si quis ad declinandam. C. de Epiſcop. & Cleric. & cõmuniter alij alibi, niſi cõſuetudine rationabili aliud ſit obtentũ, quę etiã valet ad illũ effectum iuxta doctrinã Panormit. in d. cap. Eccleſiæ, quam approbat Didacus Couarruuias lib. 2. variarum reſolut. cap. 20. vbi doctè tractat de immunitate Eccleſiarum. Domus etiam Eccleſiæ ad habitationem paſtoris & clericorum conſtructa intra triginta, aut quadraginta paſſus prope Eccleſiam. Extenditur de iure hæc immunitas ad ſpacium quadraginta paſſuum in circuitu Ec-

tu Eccleſiæ maioris & matricis. cap. Sicut antiquitus, & cap. Quiſquis 17. q. 4. vel 30. paſſuũ circa alias Eccleſias. d. cap. Quiſquis & in d. cap. Sicut antiquitus, inquit canon Nicolai Papæ ad omnes Epiſcopos, à ſanctis patribus ſtatutum eſt: ſtatuimus vt maior Eccleſia per circúitum quadraginta paſſus habeat. Capellæ vero vel minores Eccleſiæ 30. Qui autẽ confinia eorum cõfringere tentauerit: aut perſonã hominis vel bona eius inde ſubtraxerit, niſi publicus latro erit, quouſq; emendet, & niſi quod rapuerit reddat: excomunicetur. Verũ in quibuſdã locis hoc vſu receptum nõ eſt, vt auctores atteſtantur. In alijs aliter obſeruatur prout iure ſtatutum eſt; Vnde Iul. Clar. lib. 5. ſentent. §. fin. practic. crimin. q. 30. num. 2. ait quod ſenatus, ſcilicet Mediolanen. vltimo Octobr. Anno 1559. iuſſerit prætori Papiæ, vt reſtitueret quendam Pitium imputatum de vxoricidio, captum in cubiculo cuiuſdã domus ſitæ intra 16. paſſus ab Eccleſia maiori, dummodo ipſa domus cohęreret Eccleſiæ, & eſſet ipſius Eccleſiæ. Solet tamen obſeruari, vt immunitas ſemper obſeruetur vſque ad fines cæmiterij; forium ſiue ianuarum, clauſtrorum, atrij, & circuitus terminis circumſcripti. Hinc reſoluitur dubium, quid dicendum de reo, qui poſt crimen commiſſum cónfugit ad Eccleſiam, eamq; clauſam reperit, nec intrare poteſt, ſed manu portam, eiuſq; anſam, aut vectes apprehẽdit, an poſsit à ſatellitibus ſecularis

ris magiſtratus inde rapi abſque violatione & iniuria Eccleſiæ. Immunitatē in hoc caſu violari rectè ſentit Couarr. loco cit. num.17. poſt Ioann. Igneum in L. 1. ff. ad Syllanian. num. 57. qui Rhotomagi ita ſæpiſsime iudicatum fuiſſe dicit. Satis enim hæc reſponſio fundata eſt in ratione ſacrorum canonum. Eadem eſt ratio, ſi quis exiſtentem in porta Eccleſiæ aut Eccleſia, aut alio loco ſacro per veſtem extenſam arriperet, & ab Eccleſia abduceret, ſic abducens, aut vi rapiens reus eſſet læſæ immunitatis Eccleſiaſticæ Ioan. Andr. in c. fin. de immunit. Eccleſ. Igneus & Couarruuias loc. cit. De iure etiam domus Epiſcopi habet immunitatem maximè ſi ſita ſit intra quadraginta paſſus maioris & matricis Eccleſiæ. cap. Id conſtituimus. 17. q. 4. Innocentius, Hoſtienſis, & alij communiter cap. Inter alia, de immunitate Eccleſ. Sunt tamen qui velint non cōpetere hanc immunitatem domui Epiſcopali, ſi diſtet ab Eccleſia, & non comprehendatur infra quadraginta paſſus: Paſſus autem prout huic rei inſeruit, eſt quinque pedum menſura. Gloſſa in cap. Sicut antiquitus. 17. q. 4. ex Iſidoro Gloſſ. in L. 3. ff. de verbor. ſignific. Andreas Alciatus in lib. de quinque pedum præſcript. & in L. Mille paſſus. ff. de verbor. ſignific. Iſidorus lib. 15. Etymol. cap. 15. & alij communiter alibi. Hoc tamen obſeruandum ꝙ ei qui ad Eccleſiæ im̄unitatē confugit, licitū eſt ad requiſitæ naturæ neceſſarios vſus exire

debitis

debitis locis, dummodo terminos non tranſeat, & in extraneas domos ſe non recipiat per text. Concilij Toletani XII. can. 10. inſertum à Gratiano 17. q. 4. cap. Diffiniuit ſanctum Concilum. *Quartum* in examine & conſideratione immunitatis Eccleſiarum etiam apud ſeculare tribunal, magis inſiſtendum canonum decretis & deciſionibus, quam ciuilis iuris legibus & ſanctionibus Raphael Fulgoſius in L. Fideli. C. de his qui ad Eccleſiam confugiunt. Ioann. Fabri. Inſtit. De his qui ſunt ſui, vel alieni iuris, & his allegatis. Alexand. in conſ. 145. incip. Viſo themate & his quæ eleganter & copiosè conſulendo. num. 4. lib. 7. Oldrad. in conſ. 154. incip. Quidam deliquit vſque ad mutilationem. Alberic. in Rubr. C. de ijs qui ad Eccleſ. confug. Panormitanus in d. cap. Inter alia. num. 24. Immolen. in Clem. 1. in fine de pœnit. & remiſsionibus. Cardinal. ibid. Chaſſan. ſuper conſuet. Burgund. Rubr. 1. §. 5. verſ. S'iln'. à grace. num. 111. in fine. Couarruuias loco cit. num. 3. & alij alibi, atque hæc communis opinio eſt vt atteſtatur Couarr. Ratio eſt, Immunitas hæc concernit honorem reuerentiamque locorum ſacrorum, quorum cura Pontifices ac prælatos Eccleſiæ attingit, Ergo merito canones, qui ex præſcripto Pontificum & Eccleſiæ prodierunt præferuntur legibus in deciſione cauſarum circa immunitaté locorum ſacrorum, non ſunt tamen canones nimis hic exten-

tenden-

tendendi vltra intentionē cōditorū, & ſanum ſenſum. Hinc merito reijcienda ſentētia Salyceti in Auctent. 2. Qui C. de adulter. in fine & Angeli ab Aretio in tractatu malefic. in verb. Fama publica. verſ. Quarto quæro, quos ſequuntur, Andr. Alciat. de præſumptionibus. regula 3. præſumpt. 33. Petrus de Ferrarijs in ſua practica. tit. in forma inquiſitionis. Carolus Molinæus in addit. conſil. 145. Alexandri qui exiſtimant à canonibus recedendum in deciſione huius materiæ ſed malè ex cauſa relata. Et ſic valde temerariè nec ſine errore loquitur practica Ferrarien. loco cit. etiam allegata à Boërio in deciſ. 109. Damhauderio in rerum criminalium praxi, cap. 106. num. 21. & alijs alibi non tamen improbata quod tamē fieri debuit: quādo ibidē verſic. Ex ijs poteſt non improbabiliter quæri, dicit iura canonica fuiſſe ad placitum & ſine ratione facta, imò contra ius diuinum; quo cautum eſt: Domus mea, domus orationis vocabitur. Vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum. cap. Decet. de immunit. Eccleſ. in 6. Quæ omnia falſa ſunt. Canones enim quos leges non dedignātur imitari cap. 1. de noui oper. nunciatione. d. 10. cap. 1. & in auctent. vt clerici apud proprios Epiſcopos ſunt approbati ab Eccleſia quæ errare nequit in eis quæ ad fidē & mores ſpectant, fundantur aut in iure diuino, aut in firmamēto rationis, aut patrū & cōciliorū decretis. Vnde impudens & temerarius eſt, qui

ita

materia ſcribẽtes. Neceſſaria autẽ adminiſtrabuntur de ſuo proprio ſi habet, aut de bonis Eccleſiæ, ſi non ſufficiat ad ꝓuiſionẽ vt DD. cõmuniter volunt. Hinc ianuæ Eccleſiæ non poſſunt obſideri à cuſtodibus ad ꝓhibendũ ne neceſſaria deferantur ad imunitatẽ hoc enim eſſet contra ius imunitatis. Nec etiam ſic in loco ſacro exiſtens poteſt compedibus, catenis, aut vinculis ligari, ne fugere quò voluerit, nõ põſsit, aut liceat. Guid. Pap. in deciſ. 121. Couarr. loc. cit. & alij. Tradũt tamẽ moribus & cõſuetudine receptũ eſſe, vt quãdo dubium eſt, an reus q ad Eccleſiã iam cõfugit, gaũdere debeat imunitate Eccleſiaſtica, interim ponatur in cõpedib. aut cuſtodia muniatur, donec cognitũ fuerit, an gaudere priuilegio loci ſacri debeat, necne?

Tertia Concl. *Reus qui de iure gaudet privilegio immunitatis, ſiue vi abſtractus fuerit, ſiue ſpõte ab Eccleſiaſticis dimiſſus, nõ poteſt ãplius ex delicto condẽnari ad mortẽ, mutilationẽ, aut aliã pœnã corporis afflictiuã.* Text. probat. 17. q. 4. cap. Reum, ait, ad Eccleſiam fugientem nemo abſtrahere audeat: neq; inde donare ad pœnã, vel ad mortẽ, vt honor Eccleſiarũ conſeruetur, ſed rectores Eccleſiæ pacẽ eius & vitã & mẽbra obtinere ſtudeant: tamẽ legitimè cõponat ꝙ iniquè fecit, & ibid. in cap. Id conſtituimus ex Concilio Aurelianenſi. Id conſtituimus obſeruandũ quod Eccleſiaſtici canones decreuerũt, & lex Romana conſtituit: vt ab Eccleſiæ atrijs, vel domo

Epiſcopi

Epiſcopi eos abſtrahere omnino non liceat: ſed nec alteri conſignare niſi ad Euangelia datis Sacramentis de morte & debilitate, & omni pœnarum genere ſint ſecuri: ita vt ei cui reus fuerit criminoſus de ſatisfactione conueniat, &c. & in d. cap. Inter alia, de immunitate Eccleſ. ibi: Nec inde debet damnari ad mortem, vel pœnam, ſed rectores Eccleſiæ ſibi obtinere debent membra & vitam. Concluſionem tenent Gloſſ. Hugo, Turrecrem. Archidiac. & alij decretiſtæ in d. cap. 3. Reum S. Antoninus in 3. partte tit. 12. cap. §. 1. Angel. in ſumma verb. Immunitas. num. 16. Syluest. eod. verb. 3. q. 4. Panormit. Hoſtienſis, Ioannes Andreas, Antonius, Cardin. & alij communiter in d. cap. Inter alia. Alexand. & Oldrad. in conſil. alleg. & hæc eſt communis opinio expreſsè in canonibus: Poteſt autem talis puniri pro delicto pœna pecuniaria; aut alia præter mortem, aut mutilationem; aut ſanguinis effuſionem. Alia autem ratio eſt de eo qui ad Eccleſiam confugit, in caſu quo non gaudet immunitate ſed licitè poteſt extrahi, tunc enim ſiue licitè extractus fuerit, ſiue ſponte exierit, & deinde captus fuerit perinde punitur pro merito ac quantitate criminis, ac ſi nunquam ad Eccleſiam confugiſſet vt poſt Ioann. Gallum in ſuis quæſtionibus per areſtum. q. 172. & Guidonem Papæ in d. deciſ. 121. Panormit. in d. cap. inter alia in 4. notab. colligit Chaſſan. loco cit. numero

114. & Nicolaus Boerius in deciſ. 109. incip: Et circa hanc quæſtionem ſunt canoniſtæ, in fine dicit quod de cõſuetudine & ſtylo Franciæ, talis punitur ac ſi nunquam ad ædem ſacram confugiſſet, poſtquam immunitate gaudere non debet, & Iulius Clarus libro 5. §. fin. practic. crimin. q. 30. num. 23.

Quarta Concluſio. *Sunt quædam crimina excepta, quæ qui committit etiamſi confugiat ad Eccleſiam, non gaudet immunitate ſed poteſt violenter inde extrahi; & condemnari ad pœnam promeritam mortis, aut aliam corporalem pro qualitate delicti.* Hæc concluſio eſt communis omnium DD. & probatur ex can. Sicut antiquitus. 17. q. 4. & cap. Inter alia, de immunit. Eccleſ. & cap. fin. ibidem. In primis nõ gaudet huiuſmodi immunitate etiam ſi ad Eccleſiam confugiat, Publicus & famoſus latro. per text. in d. can. Sicut antiquitus, & d. cap. Inter alia; & communis ibidem, nec eſt controuerſia ob text. clarũ. Publicus latro hoc loco dicitur ille, qui in itinere publico ſiue via regia, vel mari commiſit furtum, argũm. text. in L. Capitalium. §. graſſatores; & §. famoſos. ff. de pœnis. Quia enim huiuſmodi furtum rariſsimè ſine homicidio perpetratur, ideo grauius crimen cenſetur ex adiuncto. Huic adiungitur nocturnus depopulator agrorum; qui ſegetes, vel frumenta deuaſtat & conculcat; talis excipitur in d. cap. Inter alia, ſecundum omnes DD. Quandoquidem enim tale crimen in

maximũ reipubl. damnũ tendit, dum frumẽta ad hominum ſuſtentationem ordinata perduntur, merito talis non gaudet beneficio Eccleſiaſticæ immunitatis. Huic accedit quod cum hic malefactor nocte damnũ inferat periculoſius agit, & ei difficilius reſiſti poteſt, vnde & crimen grauius efficitur argum. eorum quæ de fure nocturno adducuntur in cap. 2. & 3. de homicid. & L. Itaque. ff. ad leg. Aquiliá, & in L. Furem. ff. ad leg. Cornel. de ſicar. Tertio non gaudet immunitate reus committens crimen in Eccleſia, aut loco ſacro, vnde extrahi poteſt, & puniri pœna crimine digna, per text. cap. fin. de immunitate Eccleſ. Nonnulli, ait Gregorius IX. impunitatem ſuorum exceſſuum per defenſionem Eccleſiæ obtinere ſperantes, homicidia & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſijs, vel earum cimiterijs committere non verentur: quæ (niſi per Eccleſiam ad quam fugerint crederent ſe defendi) nullatenus fuerant commiſſuri, &c. Cum autem in eo in quo delinquit, puniri quis debeat, & fruſtra auxilium legis inuocat, qui committit in legem: mandamus quatenus publicè nuncietis tales non debere gaudere immunitatis priuilegio quo faciunt ſe indignos, & in Auctent. Vt liceat matri & auiæ. §. Quia vero ita. collat. 8. inquit text. Non enim debent huiuſmodi perſonæ in venerabili loco munimen habere, quę ipſi per ſcelus proprium deſpexe-

runt,

ſunt, atq; in hoc caſu cõmuniter DD. conueniunt in d. cap. fin. Sumiſtæ in verb. Im̃unitas & alij alibi. Videtur tamẽ Ludouicus Romanus diſsidere ab omniũ ſenteñtia in cõſil. 234. incip. Aduertendũ quia dico hoc falſiſsimũ; ductus auctoritate Gloſſ. in cap. Frater. 17. q. 4. Hęc Gloſſ. vt obſeruat Couarr. loco cit. nũ. 15. verſic. Viceſimoprimo ex canonũ cõſtitutionibus, quæ vt vulgo in omnibus fere codicibus legitur expreſsè aſſerit, delinquentẽ in Eccleſia ab ea euelli non poſſe, eiuſq; im̃unitate gaudere, at ſi tollatur à Gloſſa dictio, non, quæ expungẽda eſt, attenta ipſius Gloſſæ intẽtione, potius ꝓbat deciſionẽ, text. in. d. c. vlt. Sic Couarr. Sed in quibuſdã exẽplaribus etiã ſatis antiquis, nullã, nõ apparet. Sed & hoc obſeruandũ Angel. in verb. Im̃unitas. nũ. 17. poſt alios diſtinguere eũ nõ gaudere im̃unitate, qui peccat in Eccleſia ſub ſpe cõſequẽdi im̃unitatẽ: alias peccantẽ ſine tali ſpè habere priuilegium loci ſacri per rationẽ text. in d. c. vlt. Alij verò indifferenter volunt peccantẽ in Eccleſia non gaudere, ſiue crimẽ cõmitat ſub ſpe impunitatis & im̃unitatis, ſiue non, quia cũ duę rationes aſsignentur in d. c. fin. deficiẽte vna, altera ꝑſiſtit & obtinet: Ita ſentiunt Panorm. in d. cap. fin. col. 2. Auffrer. ad deciſ. Capellę Tholoſſ. 422. Nauarr. in manuali cõfeſſ. cap. 25. num. 20. in fine. Didac. Couarr. loco cit. verſic. Viceſimo ſecundo deducitur. Iul. Clar. in d. q. 30. num. 15. §. fin. & hæc opinio in praxi recepta

ſecundum hos DD. licet alia in Theorica ſit communis. Limitanda ſunt ſuperiora vt non habeant locum quando crimen in Eccleſiâ commiſſum eſt leue. Panormit. Hoſtien. & alij in d. cap. vlt. Aufrer. loco cit. Sylueſt. in verb. Immunitas. 3. §. 1. Couarr. loco cit. Verſ. Vigeſimoquinto & hæc eſt communis opinio. *Dubium vero eſſe poteſt. An ſi quis in vna Eccleſia crimen committat, & deinde pro conſequenda immunitate ad aliud templum, vel locum ſacratum confugiat, inibi gaudeat immunitate.* Reſpondetur negatiuè, Henricus poſt alios in cap. Eccleſiæ, de immunit. Eccleſiarum: Couarr. loc. d. verſic. Viceſimotertio delictum committens, &c. Iulius Clarus vbi ſupra num. 15. & atteſtatur communem eſſe opinionem. Ratio redditur. Quandoquidem vna eſt per totum orbem terrarum vniuerſalis Eccleſiâ qui iniuriam facit vni particulari Eccleſiæ; omnes offendiſſe videtur. Syluester tamē in verb. Immunitas 3. q. 2. dicit contrarium de conſuetudine ſeruari apud aliquos forte putātes, quod ſicut minor vtitur ſuo priuilegio contra alium minorem; ita vna Eccleſia contra aliam.

Quarto non habet beneficium immunitatis Eccleſiaſticæ; qui proditoriè & per inſidias alium interfecit. text. in cap. 1. de homicidio: cuius verba ſunt ex Exodo 21. cap. & hæc ſunt: Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias; ab altari euellet eum vt moriatur; & ſuper verſic. Si quis per induſtriam

duſtriam, ait Nicolaus de Lyra, quod Eccleſia non debet tueri eum. & in d. cap. 1. ſic ſentiunt Gloſſa. Felinus. Ioannes ab Anania & Ancharanus. Alexand. in d. conſ. 154. libro 7. Nicolaus Boerius in d. deciſ. 109. Andreas Alciat. lib. 7. parergon. cap. 6. Martinus Nauarrus. Chaſſan. Couarruuias. Gomez. & Iulius Clarus locis allegat. & hæc eſt communis opinio vt atteſtantur Gomez. Couarr. & Iulius Clarus, & Chriſtiani orbis conſuetudine recepta, & dicit Guido Papæ in deciſione 121. quod in quæſtione de facto ita fuit cóſultũ & deciſum per omnes auditores Parlaměti. Exemplum eitam habemus 3. Reg. cap. 2. Ioab qui per inſidias interfecerat Abner & Amaſan principes cum ad altare confugiſſet, ad imperium Salomonis ibidem interfectus eſt. Verũ Panormit. in d. cap. 1. de homic. & alij quidá ſunt in contrarium exiſtimantes homicidam proditorium etiam gaudere immunitate Eccleſiaſtica, quia inter caſus exceptos in d. cap. Inter alia tale homicidium minimè continetur. Sed hæc ratio non conuincit cum & alij caſus excipiantur ob paritatem rationis, & maiorem grauitatem criminum: Iuridicum enim eſt quod propter enormitatem & immanitatem criminum iura & ſtatuta liceat tranſgredi vt late docent Bald. in Auctent. Sed nouo iure C. de ſeruis fugit. & DD. in addit. ibidem. Marſil. in L. Vnius. §. Cogniturum. ff. de quæſtion. & in ſing. 601. & latiſsimè

Andr. Barbat. in cap. 1. de cõſtitut. à num. 155. & nos breuius in tract. de confeſsionib. malefic. part. 2. concluſ. 6. probatione ſeptima. *Dubium hic moueri poteſt: An idem ſit iudicium de homicida, qui animo præmeditato, & deliberatione præcedenti homicidium commiſit ſine tamen inſidijs an talis ſine violatione iuris Eccleſiaſtici, & iniuria poſsit euelli ab Eccleſia & condemnari ad mortem?* Affirmantem partem ſecuti ſunt Guido Papæ, in d. deciſ. Iacob de Bellouiſ. in tract. de criminibus in tit. de fuga reorum & immunit. Eccleſiæ. Practica Ferrarienſis in tit. de forma inquiſitionis. Boerius in d. deciſ. 109. Alciat. de præſumpt. regula 3. præſumpt 35. Iulius Clarus libro 5. §. fin. practicæ crimin. q. 30. num. 12. & plures ab eo allegati. Negantem tenent ſine dubio Panormitan. in d. cap. 1. de homicid. Ioannes Andreas, Marian. Socin. & alij ibidem, & hanc ſententiam iure veriorem exiſtimant, Didac. loco cit. num. 7. verſic. In his profecto caſibus, & Antonius Gomez. vbi ſupra num. 2. prope finem: Quamuis vt Couarr. ait propter DD. auctoritatem & eorum communem opinionem contrarium ſæpiſsimè fiat, & ſic Iul. Clarus teſtatur ſe ſæpius vidiſſe iudicare ſecundũ magis cõmunẽ opinionẽ & à conſuetudine approbatã, quod videlicet homicida ex propoſito & animo deliberato non gaudeat immunitate, & in ſpecie ita fuit obſeruatum cõtra quendam Franciſcum Cazuſinum, qui licet captus fuiſſet in Eccleſia, intelle-

intellecto tamen per ſenatum quod homicidium animo deliberato patratũ fuit, affectus eſt vltimo ſupplicio. 8. Auguſti. 1562. & alias etiam contra quendã Petr. Anton. del. Conte, qui homicidium animo deliberato cõmiſerat, & captus fuerat in camera cuiuſdam Monachi in monaſterio S. Sigiſmundi Cremonę, & fuit iuſſu ſenatus illi caput amputatum. 26. Aprilis. 1554. Neque puto ab ea in practica eſſe recedendum, ne ſpes immunitatis præbeat ſceleſtis hominibus occaſionem delinquendi. Sic Clarus. Hoc tamen addiderim, cum iure verior videatur negans opinio grauesq; etiam habeat auctores, ac alibi obſeruetur ex teſtimonio Blanci in pract. crimin. fol. 4. nũ. 6. vt eum allegat Clarus, ſi non fuiſſet in cõtrarium obſeruantia in loco, & circũſtantiæ aliud ſuaderent, non putarẽ recedendum à negante ſententia. Ex his patere poteſt quid dicendum de ijs qui veneno aut veneficijs, ſiue maleficijs occidunt, quod plus eſt & grauius quam gladio L. 1. C. de malefic. & mathemat. vt nos latiſsimè oſtendimus in commentario illius L. Tales enim cum ex propoſito deliberatione præuia, dolo, & inſidijs occidant non gaudent im̃unitate. Venenatio cum ſit crimen occultum ſapit ꝓditionẽ, & ille qui veneno inficit, dicitur proditoriè occidere. Bald. in L. Nemo. C. de ſum̃a Trinit. & in L. Cum fratrẽ. C. de quibus vt indign. Salycet. ibid. Alexan. in d. conſ. 145. numero 6. Petrus Ancharanus.

Felin. & Ioan. de Anania in cap. 1. de homic. Boer. in d. deciſ. Didac. Couarr. in 2. part. relect. Clement. Si furioſus, de homicid. in initio. nū. 11. Dambau. in rer. crim. praxi cap. 74. & alij alibi. Nunc quia intelligentia eorū quæ hic dicta ſunt, & nunc dicenda ſunt, pendet ex ſenſu terminorum paucis ad propoſitū, aperiendi termini. Ex inſidijs. Ex propoſito & deliberato animo. Ex rixa, calore iracundiæ, vel iuſto dolore occidere. Ex inſidijs homicidium committitur, quando aliquis aliquem in loco occulto, in quo præuideri non poteſt expectat ad occidendum, & ex improuiſo adoritur, atque interficit. Proditoriè autē quando quis nulla præcedente inimicitia alium interficit, vt tanquam amicus adiungit ſe alteri in itinere poſtea habita oportunitate à tergo percutiendo occidit, vel qui veneno clanculum interficit, vt nunc oſtenſum eſt. Ex ꝓpoſito autē occidit qui aggreditur aliū præuia animi deliberatione ex interuallo præcedenti. Animo autem deliberato dicitur occidere, qui ſine calore iræ, aut perturbatione, aut iuſto dolore præmeditato animo, & deliberatione ex interuallo aliū aggreditur, vt quādo iam diu rixas aliquis cū alio habuit, ſigna inimicitiæ dedit, & tandē aliquando inuadendi oportunitatē quærit & interficit. Et ita quidā nominant homicidium, deliberato animo factum, quod animo ſedato, ſiue vt vulgariter Itali loquuntur animo ripoſato, vel à ſangue freddo,

freddo, id eſt, ſanguine frigido perficitur. Pēdet autem à iudicis arbitrio, vt poſt alios Menochius lib. 2. de arbitrarijs iudic. qq. caſu 361. ſtatim à principio oſtendit, quando delictū animo deliberato & ſedato factum dicatur. Multæ autē ſunt coniecturæ, quibus præſumitur & probatur animus deliberatus, quas colligunt Menoch. loco cit. & latius Ioſeph. Maſcardus de probationibus vol. 1. concluſ. 98. Rectè autē ait Cicero lib. 1. officior. In omni iniuſtitia per multum intereſt, vtrum perturbatione animi, quæ plerunque breuis eſt, & ad tempus, an cōſultè & cogitatè fiat iniuria: Leuiora enim ſunt ea, quæ repentino aliquo motu accidunt, quam ea quæ meditata & præparata inferuntur. Calore iracundiæ, aut in rixa, vel iuſto dolore, aliauè animi affectione quis dicitur homicidium committere, quando ſine cogitatione ſiue deliberatione, impetu quodam in factum prorumpit. Calore iracundiæ & in rixa e. g. duo nunquam fuerunt inimici, concurrunt tempore bachinaliū in chorea vnus cum vna vult choreas ducere, & alter cum eadem, exoriuntur rixæ, gladios educunt, & ſtatim vnus alteri mortem infert: aut ſine vlla cauſa præcedenti in ebrietate naſcuntur contentiones, & proceditur ad arma, & vnus alteri vitam adimit, tunc dicitur impetu, & non propoſito & deliberatione factum homicidium per text. clarum in L. Reſpiciendum §. Delinquunt. ff. de Pœnis. Iuſto

dolore commotus occidit e. g. pater cum filia adulterum deprehendit, eumq; occidit L. Si adulterium cum inceſtu. §. Imperatores. ff. de adulter. Durum enim eſt iuſtum téperare doloré. Affectione & amore e. g. Pater videt filium vulnerari, vel è cótra filius patrem maxima iniuria cernit affici amore & ſanguine concitatus gladium rapit, & aduerſariũ inuadendo occidit, non deliberatè ſed impetu occidiſſe dicitur: Quia pater filium, & è contra filius patrem defendere tenetur. Bald. Decius & alij in L. Vt vim. ff. de iuſtit. & iure. Boer. in deciſ. 83. num. 6. poſt alios plures. Paſsiones animæ cum iudicium diminuant, etiam pro parte voluntarium tollunt & ſic peccata quę ſequuntur, minus habent de ratione culpæ, & cum pœna commenſuretur culpæ, mitius talia delicta puniuntur. Deliberatio autem præcedens delictum auget voluntarium & conſequenter peccatum : Ex quo capite contingit quod grauiora ſint peccata quæ deliberato animo fiunt alijs quæ ex paſsionibus, aut animi impetu procedunt. His annotatis materia noſtra penitius intelligitur, & diſtinctio de homicida quando gaudeat immunitate loci ſacri vel non, clariùs percipitur, vt etiam ſatis animaduertit Iulius Clarus libro 5. ſentent. in §. Homicidium. numero 9. & 10. & ideo admonet vtile eſſe ſcire. De horum terminorum explicatione & diſtinctione latius etiam Menoch. loco cit. plura congerit.

Sic

Sic ergo gradus accipiantur in homicidio. Quod fit ex inſidijs ſiue etiam proditoriè includit deliberatum animum & propoſitum, & addit qualitatem proditionis. Quod autem ex propoſito & deliberato animo ſolum procedit, cum excludat qualitatem proditionis minus crimen eſt eo, quod per inſidias & proditionem committitur. Quod autem repente calore iracundiæ in rixa, impetu & paſſione perpetratur omnibus prioribus leuius eſt, & ſic DD. conueniunt omnes vt Couarruuias in d. cap. 20. numero 7. prope finem, & poſt eum Iulius Clarus in d. q. 30. numero 11. atteſtantur homicidam ſimplicem etſi ex culpa, ira, paſſione, aut animi impetu occiderit, modo nulla animi deliberatio ex interuallo præceſſerit gaudere immunitate, & hoc colligitur ex d. cap. Inter alia, & cap. fin. de immunitate Eccleſ. & cap. 1. de homic. & communi DD. ſententia in eiſdem locis, & multis quæ ſupra relata ſunt. Nullum enim inter DD. dubium eſt in omnibus locis alleg. niſi de homicidio proditorio, & ex inſidijs, & alio quod ex ſedato deliberatoque animo procedit de alio ſimplici homicidio & voluntario præſupponunt, tanquam indubitatum; non enim hic agimus de homicidio merè caſuali: Obſtat huic poſtremæ reſolutioni de homicidio ſimplici textus in Auctent. de mandatis principum. §. Quod ſi delinquentes, vbi excipiuntur raptores virginum,

ginum, homicidæ & adulteri, qui omnes non debent gaudere Eccleſiaſtica immunitate. Reſpondetur communiter, quod hæc auctent. ſit correcta & ſublata iure canonico, cui magis inſiſtendum quam iuri Cæſareo circa immunitatem locorum ſacrorũ, vt ſupra oſtenſum eſt. Ex dictis etiam ſolui poteſt dubium motũ à Chaſſan. loco cit. num. 111. in addit. an incẽdiarij debeant gaudere, & reſpõdet quod nõ, cum cõmuniter incendium cõmittatur ex ꝓpoſito, & cum deliberatione, & per inſidias, ad quod videtur text. in cap. Peſsimã. 23. q. 8. in fine, & ſubiungit ille auctor ſic: Hoc anno 1531. in menſe Februarij me exiſtente in ciuitate Rothomag. fuit dictum per curiam Parlamentalem, quod quædam mulier incendiaria etiam ex ꝓpoſito & per inſidias gauderet immunitate, quod aliquibus videbatur eſſe contra text. in d. c. Peſsimam, in fine, & etiam eo quod incendium eſt graue & enorme delictum, & ſanè quando incendium ex dolo, propoſito, deliberato, & ex inſidijs fit, etiam reſponderem cum Chaſſan. maximè habita conſideratione text. in d. cap. Inter alia. Non minus pernicioſus reipublicæ eſt incẽdiarius talis quàm nocturnus depopulator agrorum, imo plus damni, adferre frequenter ſolet, quare ob identitatem rationis & alia quæ in illo cap. habentur, crimen incendiariorum per dolum ex propoſito & inſidijs præſertim noctu commiſſum includerem in d. cap. Inter cæ-

ter cætera ſub alijs nominatim ibi expreſsis: *Dubium etiam eſt de raptore virginum, an gaudeat immunitate.* De iure Cæſareo d. auctent: non gaudet. Sed quia vt doctores volunt hæc auctent. ſublata canonum decretis, ideo non cõuincit, & ſic in contrarium, quod talis gaudeat priuilegio communiter dicunt magiſtri vt ait Henricus Bouhic in cap. Eccleſiæ. & hanc ſequuntur DD. in d. cap. Inter alia per text: expreſſum ex Concilio Aurelianen. in cap. De raptoribus. 36. q. 1. vbi expreſſum eſt raptorẽ gaudere immunitate, & ſic etiam ibidem ſentiunt. Hugo, Archidiac. Turrecrem. & alij. Angel. in verb. Immunitas, num. 17. Syluest: in eod. verb. 3. q. 2. Iulius Clarus in d. q. 30. num. 10. verſus finem, & ſic teſtatur ſe vidiſſe in facti contingentia reſtitui Eccleſiæ quendã condemnatum pro violentia illata cuidam mulieri 17. Maij. 1567. ab hac communi opinione diſſentiunt, ſed ſine vrgenti ratione Hypol. Marſil. in L. vnica. num. 109. C. de raptu virg. & poſt eum Couarr. in d. cap. 20. num. 8. Cum enim ius canonicum iuxta cõmunem DD interpretationem clarè in d. cap. de raptorib. raptorem velit gaudere, non debemus eum defraudare hoc beneficio, cum maximè libertati fauendum ſit, vt in ſuperioribus traditum eſt. Hæreticus etiam non gaudet immunitate Eccleſiæ Marſilius in L. Senatuſconſulto ad finem. ff. de ſicarijs. Martinus Nauarr. in manuali confeſſariorum. cap.

27. 25. num.

25. num. 20. Boërius in deciſ. 110. incip. Dic quod non, d. cap. fin. Couarruu. in d. cap. 20. num. 11. ad finem, & alij alibi. Ratio firma redditur. Quia non eſt dignus, vt ab Eccleſia defendatur, qui eius gremio & fidei committere ſeipſum recuſat. Boër. idē putat eſſe iudiciū de blaſphemis; idque multis confirmare contendit, & tandem pro hac ſententia apud eos in curia pronunciatum die prima menſis Iunij Anno Domini M. D. XXIII. atteſtatur cōtra Petrum Pomare, qui à carceribus ad Eccleſiam conuentus S. Mariæ de monte Carmelæ aufugerat. Boërij tamen ſententia Nauarro loco cit. non probatur: Cum blaſphemus quatenus talis eſt, non ſit hæreticus iuxta doctrinam S. Thomæ. q. 13. 2. 2. art. 1. & Caietan. ibidem, & ſi vna cum blaſphemia hæreſis concurrat, non qua parte blaſphemus eſt, ſed quatenus hæreſi infectus eſt priuatur immunitate Eccleſiaſtica, & per hæc facile ſoluuntur argumenta Boërij, quæ congerit ad fundandam ſuam intentionem. Non gaudent etiam immunitate Eccleſiæ Iudæi, Pagani, aut alij infideles, ſi ob aliquod delictū cōmiſſum ad Eccleſiā confugiant. Gloſſ. in L. 1. C. de ijs qui ad Eccleſ. confugiunt per text. ibid. Boërius in d. deciſ. 110. Panormit. in d. cap. Inter alia. Salycet. in d. L. 1. Cynus in L. Præſenti. eod. tit. Ioannes ab Anania in cap. Iudæi 1. de Iudæis. Oldrad. in conſ. 54. Angel. in verb. Immunitas. numero 13. Nauarrus loco cit.

Couarr.

Couarr. numero 11. Iulius Clarus in d. q. 30. numero 17. & hanc opinionem Marſilius in d. L. Senatuſconſulto, numero 7. communem exiſtimat. Infideles & alieni ab Eccleſia, quam matrem non recognoſcunt, ſua infidelitate indignos ſe reddunt beneficio Eccleſiæ. Sunt tamen in contrarium etiam non pauci Doctores volentes tales etiam gaudere immunitate, vt Hoſtienſis, Ioannes Andreas Cardinal. cum Gloſſa in d. cap. Inter alia. Felinus in d. cap. Iudæi. Syluester in verb. Immunitas, 3. q. 2. & alij alibi. Prior tamen opinio potius amplectenda & in praxi tenenda. Non enim debemus, inquit Iulius Clarus erga Iudæos perfidiſsimos Chriſtiani nominis hoſtes aliqua humanitate vti. Angelus, Nauarrus, & alij limitant Iudæos & infideles tunc gaudere immunitate, quando ad Eccleſiam confugiunt, vt Chriſtiani & vere fideles efficiantur. Chriſtiani autem excommunicati, aut interdicti etiam proteguntur beneficio immunitatis, ſi ob delicta ad Eccleſiam confugiant in caſu licito. Imolen. & communis in Clement. 1. de pœnitent. & remiſs. Hoſtienſis in ſumma de immunitate Eccleſiarum. Henricus in cap. fin. eod. tit. Boerius in d. deciſ. 110. num. 7. & dicit quod hæc cõmunis. Nauarr. loc. cit. num. 19. Iul. Cl. r. & Didac. loc. cit. Angel. in verb. Immunitas, num. 11. Aurea Armilla eod. verb. num. 7. Syluest. eod. verb. 3. q. 3. & hæc ſine

dubio

dubio eſt communis opinio. Rationem reddit Boë. Quia delictum excommunicati non attenditur, ſed potius amor Dei, cui competit ille honor. Contrarium tamen quod excõmunicatis non conueniat immunitas Eccleſię volunt Summa confeſſorum in tit. de immunitate Eccleſ. q. 5. & Felin. in cap. 2. col. 2. de except. *Aliud occurrit dubium. An gaudeat immunitate, qui ob crimen in carcerem coniectus rupta carceris ianua, aut feneſtra fracta, dilabitur, & deinde confugit ad Eccleſiam?* Reſpondetur quod gaudeat. Sic Boer. in d. deciſ. 10. num. 7. Chaſſan. ſuper conſuetud. Burgund. in d. §. 5. num. 116. dicit tamen quod curia contrarium obſeruauerit; & pro hoc ſint lata areſta, non tamen putat in iure fundatũ. Nauarr. in manuali confeſſariorum, cap. 25. num. 19. Couarr. in d. c. 20. numero 13. verſ. Decimooctauo ex his conſtat. Iulius Clarus in d. q. 30. numero 19. & ſic cum ſemel Papiæ carcerati detinerentur, & è carcere aufugiſſent, atque ſe in Eccleſiam recepiſſent; & iuſſu illuſtriſsimi ducis ab ipſa Eccleſia ad quam confugerant, extracti fuiſſent, Sẽnatus iuſsit ipſos tanquam malè extractos Eccleſiæ reſtitui, 28. Decemb. 1557. Boerius etiam atteſtatur pro hac ſententia in quodam caſu occurrenti concluſum, & lata arreſta. Eadem eſt ratio de exiſtente in carceribus, qui impetrata cuſtodis licentia, & præſtito iuramento de redeundo, & tandem ad Eccleſiam confugerit, non poteſt inuitus extrahi. Exempli

empli cauſa, detinetur in carceribus quidam; qui impetrat dato iuramento de redeundo ad carceres licentiam, vt ire valeat ad templum pro audiendo ſacro, finito miſſæ ſacrificio, vult in Eccleſia manere, & gaudere immunitate. Dicunt DD. quod inuitus nō poteſt extrahi. Sic præpoſitus in d.10.c. Ius gentium. Alberic. in L. Fideli. C. de his qui ad Eccleſ. conf. Henric. in cap. Eccleſiæ. prope finem. de immunit Eccleſ. allegantes Bartol. Brixien. in q. Dominicali. q.37. Nauarr. & Couarr. loc. cit. Angel. in verbo. Immunitas. numero 19. Syluest. eod. verb. 3. q. 3. Auffrer. ad deciſ. 422. Capellæ Tholoſſ. & alij alibi. Dicunt tamen plerique DD. quod ſi iuſte fuit captus, & ſic dimiſſus, non eſt dimittendus, niſi præſtetur à ſecularibus Eccleſiæ fides de ſeruanda vita, & non inferenda pœna corporis. Et dicit Magiſter Ioannes de gradibus in annotat. ad præpoſitum in d. c. Ius gentium, quod ſic fuit iudicatum in ciuitate Lugdunen. de duobus Florentinis captis in bello tēpore Caroli VIII. regis Franciæ, qui Florentini venerunt ad Eccleſiam S. Pauli Lugdun. ad audiendum miſſam ex permiſſione cuſtodum ſuorum, & poſtea noluerunt reuerti, ad domum vbi prius tenebantur; ſed remanſerunt in dicta Eccleſia. Et ordinatum fuit per conſilium domini Archiepiſcopi Lugdunen. quod deberent gaudere immunitate Eccleſiaſtica. Sic dictus auctor. Similis eſt ratio de eo, qui cap-

tus à miniſtris iuſtitiæ, tandem eorum manus euadit, & ita liber ad Eccleſiam fugit, nõ enim iuſtè talis poteſt extrahi ab Eccleſia Boer. in d. deciſ. 110. Couarr. in d. cap. 20. numero 13. verſ. Decimoſeptimo perpenſis primis. Nauarr. poſt alios loco cit. Idem iudicium eſt ſeruãdum in eo, qui confugit ad Eccleſiam è conſpectu iudicis perſequentis, non poteſt talis rapi à iudice, aut eius familia, & abduci à templo. Bald. Alexand. & Iaſ. in L. plerique ff. de in ius vocand. Henricus in cap. fin. de immunit. Eccleſ. Chaſſan. loco cit. Ioannes Igneus in L. 1. col. 2. & 3. ff. ad Syllan. Couarr. loc. cit. num. 12. Nauarr. vbi ſupra, & alij alibi, quicquid in contrarium velint Cynus in Auctent. Si quis ei. C. de adult. Marſil. in L. vnica C. de rapt. virg. num. 111. & Alexand. in conſ. 24. num. 26. lib. 2. Quem tamen Molinæus in addit. ibidem locutum fuiſſe argumentando, non affirmando autumat.

Quinta Concluſio. *Si reus iam captus, aut ante vel poſt ſententiam forte ducitur ad carcerem, aut locum ſupplicij, aut ob aliquam cauſam ad aliquem locum per locum ſacrum, vt cœmiterium, aut circuitum Eccleſiæ, dum in loco ſacro iam eſt, non poteſt ſe tueri immunitate Eccleſiæ, ſed poteſt inuitus abduci.* Hanc docent Archidiac. in cap. Sicut antiquitus. 17. q. 4. & poſt eum Marſil. in d. L. Vnica nũ. 115. Ioann. Igneus in d. col. 3. Oldrad. in conſ. 54. incip. An fugiens pro debito in fine. Petrus de Bellapertica in Rub. C. de ædific. priuat.

uat. Boër. in deciſ. 178. num. 13. Bertach. in repertorio in verbo. Captus. Antonius Gomez. tom. 3. variar. reſol. cap. 10. numero 2. Couarr. in d. num. 13. & alij. Ratio huius concluſionis, quoniam qui ſic captus per Eccleſiam vel locum ſacrum ducitur, non liber ad locum ſacrum confugit pro immunitate ſed iam captus per eum ducitur, vnde etiam non verè violenter abſtrahitur, cum non fuerit in ſua libertate, ſed detentus à iuſtitiæ miniſtris, & ita tranſitus ille per locum ſacrum nõ eſt in conſideratione, argũ. text. in L. Si quis poſt hanc C. de ædific. priuatis, vbi decernitur, quod illud quod non poteſt tolli, nec extrahi de aliquo certo loco, poteſt aliunde portari liceat tranſeat per illum locum prohibitum, quem text. vt ſingularem notant ibidem Gloſſ. ordin. Cynus, Bald. Angel. Salycet. & communiter DD. Bartol. in L. Cætera. §. Sed & ſi quis in fine. ff. de legat. 1. Boër. in d. deciſ. 178. Facit dictus text. in L. Si quis poſt hanc, contra eos qui faciunt ſæpè edicta & prohibitiones ne frumenta de ſua prouincia, aut terra educantur ſine ſua ſpeciali licentia, & deinde virtute talium edictorum contendunt etiam non permittere, vt ex alia terra per ſuum territorium tranſeant frumenta, & vehantur ad alios: Hoc enim iniuſtum eſt. Vt euidenter ex d. L. colligitur & communi DD. interpretatione ibidem. Vnde rectè Andreas de

Iſernia in Rubric. Quæ ſint regalia. col. fin. infert: Si quis veniret per mare cum equis & armis, & tranſiret per regnum Siciliæ, ex quo arma & equi non poſſunt extrahi ſine regis mandato, liberè ſine pœna poterit ipſos extra regnum ſine licentia regis ad locum domicilij deducere. Nauarr. vero in manuali. d. cap. 25. numero 19. allegato ad propoſitum Remigio à Gogni Pampilonen. in lib. de immunit. Eccleſiar. exiſtimat communem opinionem eſſe in contrarium. ſed certè rem non ſatis perſpexit, nec allegationibus oſtendit, cum ſolum alleget Boërium in d. deciſ. 110. Vbi tamen pro noſtra concluſione aperte facit iuxta exemplar libri quo ego vtor, & in d. deciſ. 178. num. 13. approbat etiam doctrinam Archid. in d. cap. Sicut antiquitus.

Sexta Concluſio. *Reus criminis ſi confugiat ad ſacerdotem deferentem per viam Euchariſtiam, ſiue corpus Domini noſtri* IESV CHRISTI, *etiam gaudet immunitate Eccleſiæ.* Hæc eſt communiſſima DD. opinio, quam tenent Hoſtienſis, Panormit. & communiter DD. in cap. Sanè de celebrat. miſſarum. Hoſtienſis in ſumma, de immunit. Eccleſ. Archidiac. & Turrecrem. in cap. Quæſitũ. 13. q. 2. Sum̃a Angelica, in verb. Im̃unitas nũ. 28. Sylu. eod. verb. 3. q. 1. S. Antonin. in 3. part. tit. 12. cap. 3. §. 1. Ioã. Faber. in §. fin. Inſtit. de his qui ſunt ſui vel alieni iur. Imolẽ. in Clem. 1. de pœnit. & remiſs. 2. colum. Ioan. Thierus in tract. de fuga. num. 8. Hic tractatus ha-

tus habetur vol. 8. Oceani iuris in fine. Nauarr. in d. cap. 28. num. 18. Anton. Gomez. loc cit. num. 1. & poſt alios multos Iulius Clarus in d. q. 30. num. 24. & alij alibi, & licet vt DD. atteſtantur hoc iure expreſſum non inueniatur, tamen ratio id perſuadet. Primò quia eſt longè dignius corpus Chriſti quam Eccleſia materialis. Secundo quia Eccleſia habet hoc priuilegiũ propter ipſum Chriſtum & Matth. 9. Mulier quæ patiebatur fluxum ſanguinis tangens fimbriam veſtis Saluatoris ſalua facta eſt. Et dicit S. Antonin. quod quãuis hoc iure cautum non ſit, tamen quilibet Catholicus debet hoc fouere vt talis ſit tutus. Refert etiam Plutarchus in vita Numæ Pompilij, paulo ante medium, inter honores magnos qui Veſtalibus deferebantur, quod cum in publicum prodijſſent faſcibus deducerentur. Et ſi, inquit, caſu in quenquam inciderint, cum ad letum agitur (id eſt, ad mortem deducitur) necari eum non licet: Verum deierare virginem oportet, ſe non vltro, ſed forte, non autem dedita opera & de induſtria obuiam factam. Hoſtienſis in d. cap. Sanè, exiſtimat hanc concluſionem & ſententiam ad ſanguinem defendendam, licet etiam ſuo tempore, vt ipſe atteſtatur Magiſtri contrarium tenuerint, ſicuti etiam Gloſſa eſt in oppoſitum in d. cap. Quæſitum Couarr. in d. cap. 20. num. 6. lib. 2. variar. reſolut. dubius eſt, an vera ſit interpretum frequentiſſima ſententia:

tia: Cum hæc immunitas à canonibus ſtatuta ſit, & nullibi Euchariſtiæ extra ipſas Eccleſias hocius conceſſum legamus. Ad hoc ex doctrina Hoſtienſis & aliorum reſpondetur, licet textus iuris apertè non exprimat, ſatis tamen ratio in iure fundata id oſtendit. Maxima enim philoſophica: Propter quod vnúquodque tale, illud eſt maximè tale. Sed locis ſacris immunitas conuenit ob honorem DEI, qui in templis honoratur, colitur & adoratur, Ergo maximè conuenit corpori CHRISTI, in quo honoratur, colitur & adoratur in præſentia CHRISTVS verus DEVS & homo. Non eſt tamen eadem ratio quando reus captus, damnandus ad mortem in carcere, vel extra in loco ad hoc deputato recipit corpus CHRISTI, aut ad id pro adoratione in itinére ducitur, quando eſt in via ad ſupplicij locum, vt DD. obſeruarunt. Quia in priori caſu corpus CHRISTI confugientem ad ſe in libertate reperit, ideoque ipſum ſaluat. In hoc autem ſeruum pœnæ & captiuum, & ſic talem etiam dimittit et relinquit, ne videatur omnino damnare iuſtitiam; cum iuxta Pſalmiſtam, iuſtus ſit DOMINVS, & iuſtitias dilexerit, & ſummum bonum ſit iuſtitiam colere, 12. q. 2. cap. Cum deuotiſsimam. Addit vnum notabile Iulius Clarus loco cit. videlicet quod ſicut non licet delinquentes ab Eccleſia extrahere, ita neque etiam licet ſcholares

lares pro aliquo delicto è Scholis eripere & ita de conſuetudine ſeruari atteſtatur Rebuff. de priuilegijs ſcholarium vbi refert ob id quoſdam fuiſſe ſuſpenſos, & illum refert Horatius de priuilegijs ſchola. capite 5. Sic Clarus.

Septima Concluſio. *De iure ciuili, qui violat Eccleſiæ & loci ſacri immunitatem, committit crimen læſæ maieſtatis diuinæ, & ſic puniendus eſt vltimo ſupplicio.* L. Fideli. C. de his qui ad Eccleſias cõfugiunt: hæc ſunt verba: Fideli deuotaque præceptione ſancimus nemini licere ad ſacroſanctas Eccleſias confugientes abducere ſub hac videlicet diffinitione, vt ſi quiſquam contra hanc legem venire tentauerit ſciat ſe maieſtatis crimine eſſe retinendum, & ibidem in L. Denunciamus, & fin. vltimum ſupplicium tranſgreſſoribus pro pœna decernitur, & Doctores in locis cit.

Octaua Concluſio. *De iure canonico, violans immunitatem loci ſacri excommunicandus eſt, & compellendus ad reſtitutionem perſonæ auulſæ, atq; etiam ad reparationem omnium damnorum quæ ſequuntur.* Sic communiter DD. per cap. Sicut antiquitus cap. Miror. c. Frater. c. Ad Epiſcopos. c. Quiſquis, iunctis alijs. 17. q. 4. Sed & in cap. Si quis contumax in ead. q. ſtatuitur huiuſmodi immunitatis violatores puniẽdos pœna nongentorũ ſolidorum argenti, his verbis: Si quis contumax, vel ſuperbus timoré Dei, vel reuerentiã ſanctarum Eccleſiarũ non ha-

buerit,& fugientem ſeruum : vel quem ipſe perſecutus fuerit de atrio Eccleſię,vel de porticibus Eccesiæ quolibet modo adherentibus per vim abſtraxerit; pro emunitate nongentos ſolidos Epiſcopo cóponat: & ipſe publica pœnitentia iuſto iudicio Epiſcopi mulctetur. Verum hæc pœna pecuniaria contenta in hoc cap. non eſt amplius in vſu, vt inſinuat Gloſſa in cap. Cum multæ in verbo, Connubio. 15.q.vltima, quam referunt & ſequuntur Angelus de Caſtro inter conſilia Pauli de Caſtr. eius patris. conſ. 458. circa finem lib. 2. & Iulius Clarus in d. q.30. num. 1.

Nona Concluſio. *Qui loca* DEO *ſacrata, & Eccleſias effringunt ſiue tempore belli vt ibi depoſita, vel alia quælibet per vim, violentiam, aut rapinam extrahant, & rapiant, grauiſsimam Eccleſiæ iniuriam inferunt & ſacrilegium committunt.* Angelus in verb. Immunitas. num. 10. Sylueſt. in eod. verb. 3. q. 3. Damhauder. in rerum crminal. praxi. cap. 106. num. 18. Archidiac. Turrecremat. & alij cum Gloſſ. & text. in d.c. Sicut antiquitus vbi text. dicit. Perſonam hominis, vel bona eius inde ſubtraxerit, & text. clarus ibidem in d. cap. Quiſquis inuentus. §. fin. Idem. Si qui Monaſteria & loca DEO dedicata & Eccleſias infringunt: & depoſita vel alia quælibet exinde abſtrahunt: damnum nouies cóponant: & emunitatem tripliciter, & velut ſacrilegi canonicæ ſententiæ ſubigantur, & in eod. cap. paulo ſuperius. §. Sacrilegium.

um. in fine. & in d. cap. Si quis contumax. Sacrilegium eſt quoties quis ſacrum violat: vel auferendum ſacrum de ſacro, vel ſacrum de non ſacro, vel non ſacrum de ſacro. Exemplum certè aptiſsimum ad propoſitum quod omnibus ſacrilegis, & templorum ſpoliatoribus horrorem incutere deberet. Habemus libro ſecundo Machabæorum capite tertio, vbi bona depoſita in templo etiam victualia viduarum & pupillorum diuinitus defenſa ſunt angelorum miniſterio; & Heliodorus qui templum & eius ærarium inuadere contendebat ab Angelis flagellatus, multis plagis verberatus in terram proſtratus eſt. Damhauder, autem ponit limitationem niſi bona ſint debitorum Fiſci; Principis, aut reipubl. quę non gaudent immunitate. Princeps enim ex iure ſuo poteſt huiuſmodi bona è locis ſacris citra templorum violationē eripere arg. L. Diuus ff. ad leg. Iul. pecul.

QVAESTIO TERTIA.

An Epiſcopus poſſit & teneatur remittere iniuriam factam Eccleſiæ.

QVONIAM plura capita inuoluuntur in hac quæſtione per concluſiones breuibus verbis reſolutio adhibenda,

Prima Concluſio. *Non eſt dubium Eccleſiam*

non raro iniuria affici, & iniuſtè lædi tum in perſonis ſuis, tum in rebus. Concluſio eſt recepta ab omnibus, & ſatis probatur ex canonibus 17. q. 4. cap. Frater. & ſeq. & cap. Si quis ſuadēte, ibidem, & 23. q. 4. cap. Si is qui, & argum. cap. Præſentis. & cap. Cū deſideres. §. fin. & c. Cōtingit. de ſentent. excōmunic. & alibi DD. in locis alleg.

Secunda Concluſio. *Epiſcopus tenetur odium & rancorem ſi quem concepit ob iniuriam Eccleſiæ, aut clericis illatam, deponere & remittere.* Hanc communiter tenent DD. in hoc cap. Gloſſ. & Decretiſtæ, in cap. Si is qui prælatus. 23. q. 4. Ratio etiam in-prōptu eſt. Quilibet enim Chriſtianus tenetur dimittere rancorē & odium. cap. Si quis cōtriſtatus. 90. diſt. & id multis probatum ſupra, cap. 1. q. 9. concl. 5. Ergo multo magis Epiſcopus tenetur dimittere iniuriantibus, cum is maioris virtutis & abundantioris charitatis eſſe debeat.

Tertia Concluſio. *Epiſcopus poteſt remittere iniuriam ſiue iniuriæ actionem, & ſatiſfactionem quatenus iniuria ipſum, vt priuatam perſonam concernit.* Hanc tenent communiter DD. Gloſſa & alij in d. cap. Si is qui. Panormit. Cardinal. Ancharan. & alij in hoc cap. Gloſſ. & DD. in cap. Cōtingit. de ſentent. excōmunic. Alber. & alij in L. Si quis in hoc genus. C. De Epiſc. & cler. per text. ibi. Nec expectet vt Epiſcopus iniuriæ propriæ vltionem depoſcat cui ſanctitas ignoſcendi gloriam dereliquit; & in

hac

hacre non eſt dubium. Pro huius concluſionis & aliarum clariori intelligentia annotandum, quod quando iniuria Epiſcopo & clerico infertur, non ſolum læditur Epiſcopus, aut clericus, vt priuata perſona, ſed etiam Eccleſiæ cuius miniſter Eccleſiaſtica perſona eſt, fit iniuria, vt Hoſtienſis, Panormitanus, Antoninus & alij annotant partim in d. cap. Contingit, & ibi Innocentius, & fere omnes in cap. Cum deſideres, de ſentent. excommunic. Vnde in tali caſu duæ naſcuntur actiones, vt expreſſe Panormitanus in d. cap. Cum deſideres. numero 5. deducit. Vna competit ipſi clerico quatenus iniuria tangit perſonam ſuam: alia competit Eccleſiæ, cui iniuria infertur ex perſona clerici, & remiſſio ſeu compoſitio facta cum clerico non tollit actionem competentem Eccleſiæ. Hæc diſtinctio fundatur in canonibus in d. cap. Cum deſideres. §. fin. ibi: Super quo tibi breuiter reſpondemus quod licet ille qui violentas manus iniecit ei quem læſit ſatisfeciſſe taliter videatur: Eccleſiæ tamen quam offendit ex hoc non ſatisfeciſſe dinoſcitur, & cap. Contingit. alleg. & c. Si diligenti, de foro competenti. Cum autem Epiſcopus ſit ſponſus Ecclaſiarum ſibi ſubiectarum, iniuria irrogata Epiſcopo, videtur illata omnibus Eccleſijs ſubiectis vt in hoc noſtro capite obſeruauit Panormitanus notab. 2.

Quarta

Quarta Concluſio. *Epiſcopus ſolus ſine capitulo non poteſt remittere iniuriam factam Eccleſiæ.*

Hæc eſt communis DD. ſententia, quam tenent Gloſſ. in cap. Si is qui prelatus. 23. q. 4. Innocent. Panormit. Cardinalis. Hoſtienſis. Anton. & alij communiter cum Gloſſ. in c. Contingit. de ſentent. excommunic. Panormit. & alij in præſenti cap. Bald. in cap. 1. col. 3. in fine. De his qui feuda dare poſſunt. Alberic. in L. Si quis in hoc genus, num. 3. C. de Epiſcop. & clericis, & alij alibi, per text. in d. cap. Si is qui prælatus. & c. Salonitanæ ciuitatis. d. 63. Sicut nec filius in patria poteſtate cõſtitutus poteſt remittere iniuriam quantum ad patrem. L. 1. §. Vſque adeo. ff. de iniurijs. Præterea Epiſcopus dicitur procurator rerũ Eccleſiaſticarum 12. q. 1. cap. fin. Vnde conditionem Eccleſiæ non poteſt facere deteriorẽ arg. c. 2. de donat.

CAPITVLVM OCTAVVM,

GREGORIVS III.

In noſtra & fratum noſtrum præſentia propoſuiſtis quod olim ciues Brixien. pro reſtaurationibus damnorum illatorum adinuicem, quæ propter multas ciuiles diſcordias incurrerant plurimum aggrauati, ſtatutum editum de non petendo, vel recipiendo in poſterum

rum reſtauratioнē huiuſmodi à cōmuni generaliter approbarunt & firmarunt etiā iuramento: & infra. Cū igitur aliud ſit damnorū reſtauratio quā ſatiſfactio expenſarum: & ideo in iuramento exhibito ſuper damnorū articulo intelligi non debeat quod factum expenſarum fuerit cōprehenſum. Mandamus quatenus (iuramento non obſtante prædicto) auctoritate noſtra prouideas quod dictum commune pro bono concordiæ ad expenſarum ſatiſfactionem aliquid contribuat: iuxta tuæ diſcretionis arbitrium, à te ſicut expedierit, moderandum.

Summa, cap. ſecundum Gloſſ. ex Panormit. Qui iurat ſtatutum ſuper non repetendis damnis: hoc non obſtante expenſas repetere poterit. Vel breuius. Statutum ſuper damnis non repetendis ad expenſas non extenditur.

CASVS literalis cap. Brixienſes olim multas diſcordias inter ſe habuerūt, quarum cauſa nata ſunt multa damna inter illos. Vnde ſtatuta ordinarunt de nō petendo vel recipiendo in poſterum reſtaurationes damnoru a à communitate, & huiuſmodi ſtatutum non ſolum approbarunt, ſed etiam iuramento firmarunt: ſed quia præter damna occaſione talis diſcordię multas etiam expenſas alias fecerunt, quas petebant ſibi à communitate refici, dubitatio orta eſt, an eis obſtaret iuramentum de damnis non repetēdis, vnde pro reſolutione & deciſione Epiſ-

copus Brixen. caſum Gregorio III. Pontifici propoſuit, & reſponſum accepit: Cum aliud ſit damnorum reſtauratio, & aliud ſatisfactio expenſarum, iuramentum præſtitum de non repetendis damnis non debet extendi ad expenſas. Hinc Pontifex mandat Epiſcopo vt non obſtante iuramento prædicto, auctoritate Apoſtolica prouideat vt commune dictum pro bono pacis & concordiæ contribuat aliquid ad expenſarum ſatisfactionem moderandum pro arbitrio ſuo prout viderit expedire. Ex hoc capite aliqua ſunt notanda cum Gloſſa & Doctoribus. *Primum.* Quod ciuitas poteſt facere ſtatuta ſine ſuperioris auctoritate, vt hic notabili primo añotat Panormit. Quod quomodo veritatem habeat plenè tractant Bartol. Baldus. Iaſon. & alij in L. Omnes populi. ff. de iuſtit. & iure. *Secundum.* Propter bonum pacis multa fiunt, quæ alias fieri non deberent. Bernard. Hic. De his notabilibus plenius in q. 3. huius cap. conſtabit. *Tertium.* Stricte loquendo nomine & appellatione damnorum non intelliguntur expenſæ argum. huius cap. & præcedentis. Bartol. in L. 1. ff. de alienat. iudicij mutandi cauſa facta. Alexand. ibidem. Bald. in L. Terminato, num. 12. C. de fructib. & litium expenſis. & in L. 1. C. Vnde vi, per hunc text. quē hîc ad eundē effectū obſeruant Hoſtien. Parnomit. Anton. Cardin. & cōmunis, Boer. in deciſ. 52. incip. Et videtur

tur ꝙ ſic Bertach.in repertorio in verb.Damnum,ſtatim à princ. & alij alibi. Largè tamẽ & generaliter nomine damni etiã expenſæ cõprehenduntur, quia damnũ eſt diminutio patrimonij.L.3. ff. de damno infecto & notatur per Gloſſ.in cap. 2. in verb. Dãnis & iniurijs,de offic.ordin.in 6. At expenſæ etiã diminuunt patrimoniũ. L. Ius alimentorũ. ff. Vbi pupillus educare debeat. Archid. etiã in cap. In primis. 2.q.1.vult. in iudicijs in quibus larga interpretatio facienda,L. Si quis intẽtione. ff. de iudic. appellatione damnorum cõtineri expenſas. Secus in cõtractibus per text. huius cap. Quia in cõtractibus ſtrictè fit interpretatio. L.Quicquid aſtringẽdæ. ff.de verbor.obligat. In eandẽ ſententiã videntur ire Turrec. in d. cap.In primis, & Ludouic. Romanus in ſing. 344. incip. Nunquid appellatione dãnorũ. Archidiac. alia iura cõgerit ꝓ hac materia. Bald. tamẽ in d.L. Terminato, ſimpliciter reſoluit,ꝙ nomine expenſarũ nõ cõtineãtur dãna præſertim vbi diſtributiuè eſt facta mẽtio in vtroq;, & poſtea relatio facta ad alterũ tantum arg. ff.de tranſact.L.Cũ hi.§. Qui trãſigit. & præſentis c. *Quartum.* Statutũ maximè quãdo eſt in pręiudiciũ alterius ſtrictè intelligendũ, & ſic verba interpretanda: Quibus accedit ꝙ ſtatutũ non debet extẽdi ad caſum fictũ. L. 3. §. Hæc autẽ. ff. de negot. geſt. Panormit. Hic poſt Ioã.Andr.in reg. Pro poſſeſ.de regul. iuris in 6. in mercur. & Bartol.in d.L. Omnes

populi.

populi. *Quintum.* Iuramẽtũ non extenditur ad aliud quam iuratum ſit, aut intentum. Faciunt etiam ad eundem effectum quod iuramentum tantum ad ea extendatur ſuper quibus interpoſitum, & ad illa de quibus cogitatum eſt. text. in cap. Veniens, & Gloſſ. ibidẽ in verb. præſciuiſſet, & in cap. Quintauallis. de iureiurando, & text. in L. fin. C. de non numerat pecun. Panormit. Anton. & alij in d. cap. veniens. Decius in conſ. 352. incip. Viſo puncto & diligenter conſideratis omnib. numero 7. & alij alibi. *Sextum.* Gloſſ. hic in verb. Damnorum, notat differentiam inter damnum & expenſas, & diuidit damnum in damnum circa rem, & aliud extra rem, & exempla ponit de vtroque. Expenſas autem vocat quas quis facit circa ſumptus litis, & circa aduocatos. C. de iudic. L. Sancimus. Et etiam expenſæ dicuntur quæ fiunt eundo, & redeundo in hoſpitijs & ſimilibus. *Poſtremum.* cum Gloſſa in verb. Contribuat, quam Hoſtienſis & Ioannes Andreas obſeruant. AEquum eſt contributionem fieri propter bonum pacis & concordiæ, vt maiora pericula euitentur. Hoc enim tendit in commune bonum: pacem enim poſcimus omnes. Quoniam in hoc cap. materia de bello inſinuatur, & à quibuſdã doctoribus de damnis belli tractatur, cum omnia quæ iniurias & damna cõcernunt, bella velut vmbra corpori coniungitur, ſequantur, conſtitui hoc loco belli materiam

teriam pertractare, vt iniuriæ & damna euitãda cognoſcantur, iuſtitiæ & iniuſtitiæ ratio perſpiciatur, & damnorum neceſſaria reparatio, quanta apud Deum ſit cogitatione comprehendatur. Hæc autem mala ſunt, quæ experientia teſte, vt plurimum noſtra bella, quæ minimè bella ſunt, quandoquidẽ ab eis omnis militaris diſciplina aliena eſt, comitantur contra iuſtitiam & humanam ſocietatem, homicidia, latrocinia, furta, ſacrilegia, rapinæ; oppreſsiones pauperum, viduarum & pupillorum, incendia agrorum, depopulationes, ſtupra, adulteria, violentiæ in corpora & omnem ſubſtantiam, iniuriæ grauiſsimæ contra Deum & homines, & alia innumera his ſimilia & maiora, de quibus cum Apoſtolo Paulo dici poteſt: Quoniam qui talia agunt regnum Dei non conſequentur.

QVAESTIO PRIMA.

De iure, iniuriaue belli.

QVONIAM contraria iuxta ſe poſita maximè elucеſcunt in hac quæſtione ea tradentur, quæ belli iuſtitiam & iniuſtitiam plenè & dilucidè in cognitionem deducant.

Prima Concluſio. *Bellare & bella mouere, ex ſua natura non eſt malum, aut peccatum, ſed quandoque licitum.* Concluſio eſt contra Manichæos, qui

qui damnabant in vniuerſum omnia bella tãquã à malo deo orta, vt colligitur ex Auguſt. lib.22.cõtra Fauſtũ.cap.74. & ſeq. Cõcluſionẽ docent, S. Auguſt. loc.cit. & ſerm.19. de verb. Domini. Ambr. lib. 1. officior. cap. 27. 40. & 41. D.Tho.2.2.q.4. art.1. D. Antonin. in 3.par. tit. 4. cap.1. Alexan. Halẽ. in 3.part. q.47. mẽb. & cõmunis DD. ſententia in 4. d. 15. eamq; teſtimonijs ſcripturarũ latius ꝓbant Auguſt. & Ambr. in d.cap.40. & 41. & Alphõſ. Caſtr. lib. 3. aduerſus hęreſes in verb. Bellũ. Prima hęreſi. Sed quoniã Manichęi veteris teſtamenti au-ctoritatẽ negabãt ex nouo auctoritas ſumẽda Luc. 3. Ioannẽ Baptiſtã in deſerto prædicantẽ milites interrogabant dicẽtes: Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminẽ cõcutiatis, neq; calumniã faciatis, & cõtenti eſtote ſtipendijs veſtris. Hoc loco vtuntur Auguſt. in d. cap. 74. contra Fauſt. & ſerm. 19. de verb. Domini, & Ambr. ſerm. 7. Quid culpatur in bello, ait Auguſtin. contra Fauſtũ? An quia moriũtur quãdoq; morituri, vt dominẽtur in pace victuri? Hoc reprehendere, timidorũ eſt, non religioſorũ, &c. (& paucis interiectis) Aduerſus violentiã reſiſtentiũ, ſiue Deo, ſiue aliquo legitimo imperio iubente, gerenda ipſa bella ſuſcipiuntur à bonis, cum in eo rerũ humanarũ ordine inueniuntur, vbi eos vel iubere tale aliquid, vel in talibus obedire iuſtè, ordo ipſe cõſtringit. Alioquin Ioañes, cũ ad eũ baptizãdi milites venirẽt, dicẽtes: Et nos quid faciemus?

reſpon-

reſponderet eis, Arma abijcite, militiā iſtā deſerite, neminē ꝑcutite, neminē ꝓſternite. Sed quia ſciebat eos, cum hæc militando facerent, non eſſe homicidas, ſed miniſtros legis, & non vltores iniuriarū ſuarū, ſed ſalutis publicæ defenſores, reſpondit eis: Neminē concuſſeritis, nulli calūniā feceritis, ſufficiat vobis ſtipēdiū veſtrū. Sed quia Manichæi Ioannē apertè blaſphemare cōſueuerunt, ipſum Dominū Ieſum Chriſtū audiant, hoc ſtipendiū iubentē reddi Cęſari, ꝙ Ioānes dicit debere ſufficere militi: Reddite, inquit, Cęſari quæ Cęſaris ſunt, & Deo quæ Dei ſunt. Ad hoc enim tributa præſtantur, vt ꝓpter bella neceſſariò militi ſtipēdiū præbeatur. Merito & illius Cēturionis dicētis: Et ego homo ſū ſub poteſtate cōſtitutus, habēs ſub me milites, & dico huic, vade, & vadit: & alij veni, & venit: & ſeruo meo, fac hoc, & facit: fidem laudauit, non illius militiæ deſertionem imperauit. In hac cōcluſione nunc nulla eſt controuerſia.

Secunda Concl. *Licitū eſt etiā ex ſe Chriſtianis tēpore Euangelij, cōtra alios Chriſtianos bellū intēdere.* Eſt cōtra Aecolampadiū qui referente Alphōſo Caſtren. loc. cit. ſentijt Chriſtianis nō licere Chriſto ꝓhibente bella gerere contra alios Chriſtianos. In eadē falſa doctrina fuit etiam Cornel. Agrip. in lib. de vanitate ſciētiarū in cap. de ſcientia artis militaris. Adhæſit etiam his Eraſmus Roterodamus Chiliade 4. centuria prima, adagio 1. explicans illud: Dulce

bellum inexpertis, in cuius explicatione multa temerariè & falsè more ſuo effutit contra Eccleſiæ doctrinam contempta & reiecta D. Bernardi & S. Thomæ in hac re doctrina: quæ tamen Catholica & ſana eſt, quēadmodū è cōtrario Eraſmi opinio noua, ſingularis, falſa, & hæretica fundata in ſacris literis male intellectis. Eundē errorē Eraſmus tradit in cap. 3. & 22. Lucæ vt eum allegant & improbant Ioan. Arboreus lib. 2. Theoſophiæ, cap. 14. & Sixtus Senenſis in Bibliotheca ſacra, lib. 6. añotat. 156. Concluſio eſt cōmuniſsimā apud omnes DD. & probatur ex eiſdē ſacris literis quibus præcedens à S. Auguſtino probata eſt, & ex canonibus 23. q. 1. cap. Militare, quod deſumptum, eſt ex Auguſtino, ſerm. 19. de verbis Domini. Militare non eſt delictum: ſed propter prædam militare peccatum eſt: Nec rempublicā gerere criminoſum eſt: ſed ideo gerere rempublicam, vt diuitias augeas, videtur damnabile, &c. & ibidem in cap. Noli, ex eodem Auguſtino in epiſt. ad Bonifacium. Noli exiſtimare neminem Deo placere poſſe, qui armis bellicis miniſtrat, in his erat S. Dauid, cui Dominus tam magnum præbuit teſtimonium. In his etiam plurimi illius temporis iuſti. In his erat ſanctus ille Centurio qui Domino dixit. Non ſum dignus vt intres ſub tectum meum, ibidē 23. q. 1. 2. & 3. multi canones ex patribus pro hac Catholica doctrina collecti habentur. His accedit praxis Eccleſiæ Catholicæ, quæ

cæ, quæ nunquam damnauit iuſta Chriſtianorũ bella, quæ neciſsitate exigente pro pace reipublicæ, & ſalute populi geſta ſunt. Argumẽta quæ ex ſacris literis contra concluſionem adferuntur ab Eraſmo & alijs, ſoluuntur pro parte à S. Auguſtino in ſerm. de pueri centurionis cuius verba inſeruntur 23. q. 1. cap. Paratus, & ad formam tanguntur à D. Thoma in d. art. 1.

Tertia Concluſio. *Licitum etiam & ſalutare eſt arma ſumere contra Turcas & hoſtes Chriſtiani nominis.* Contra impiam Lutheri doctrinam in art. 34. qui ſentit non licere arma ſumere contra Turcas: Præliari, ait, aduerſus Turcas, eſt repugnare Deo viſitanti iniquitates noſtras per illos. Nec diſſentire videtur Eraſmus à Luthero, vt videre eſt in expoſitione d. adagij primi. Concluſio quæ omnium Catholicorum vnanimi voce aſſeritur, probatur. In primis. Si Chriſtianis debitis occurrentibus circumſtantijs licitum eſt ſecundum ſacras literas, vt probatum eſt, præliari inuicem, multo magis licebit impugnare infideles hoſtes Chriſtiani nominis ſitientiſsimos noſtri ſanguinis, & eos quidem qui terram noſtram occupant, ciuitates & regna manu forti tenent, indieſque ſuam Tyrannidem dilatare contẽdunt. Machabæus pugnauit aduerſus Antiochum alioſque reges infideles, pro fide, religione & cæremonijs, & laudem conſecutus eſt. Quomodo ergo Chriſtianis qui pro fide,

religione, ac patria contra Turcas & infideles nunc pugnāt, non erunt laude digni? Huc facit illud Ambroſij lib. 1. offic. relatū à Gratiano 23. q. 3. cap. Fortitudo quæ bello tuetur à barbaris patriā, vel domi defendit infirmos: vel à latronibus ſocios: plena iuſtitia eſt. Preterea in Eccleſia inſtituta eſt religio ad militandū contra Turcas & infideles; vt tradunt D. Bernard. in ſermone ad milites templi & S. Thom. 2.2. q. 188. art. 3. & nemo eſt qui ignoret eam adhuc hodierna die magno cū Chriſtianæ reipublicæ cōmodo perdurare ſuamq; cōtinuam reſidentiam Mileti habere. Finis autem religionis ab Eccleſia approbatus eſt bonus & ſalutaris. Ergo etiam bellum contra tales eſt bonum & ſalutare nec reprehendi poteſt. Poſtremo ſemper imperatores pijſsimi à Conſtantino vſq; ad noſtra tempora conſilio, auxilio & admonitione ſummorum Pontificum bella geſſerunt cōtra fidei hoſtes & Turcas, vt multis edocet Epiſcopus Roffenſis cōtra Lutherum in confutatione dicti articuli 34. Imo qui in certamine belli, quod contra infideles geritur moritur regnum cœleſte cōſequitur vt Nicolaus Papa in epiſt. ad exercitum Francorum ſignificat iuxta cap. Omnium 23. q. 5. Omnium veſtrum noſſe volumus charitatem: quoniam quiſquis (quod non optantes dicimus) in hoc belli certamine fideliter mortuus fuerit, regna illi cœleſtia minime negabuntur, & in eadem cauſa q. 8. cap.

Omni

Omni timore ac terrore depoſito contra inimicos ſanctę fidei,& aduerſarios omnium religionum agere viriliter ſtudete. Nouit enim omnipotens ſi quilibet veſtrorum morietur quod pro veritate fidei & ſaluatione patriæ, ac defenſione Chriſtianorum mortuus eſt, & ideo ab eo præmium cœleſte conſequetur. & ibidem in cap. Diſpar. Alexand. Papa omnibus Epiſcopis Hiſpaniæ. Diſpar, ait, nimirum eſt Iudæorum & Sarracenorum cauſa: In illos enim qui Chriſtianos perſequuntur, & ex vrbibus & proprijs ſedibus pellunt, iuſtè pugnatur: Hi vero vbique ſeruire parati ſunt. Martin. Lauden. in tract. de bello, Archidiac. Turrecrem. & alij in d. cap. Omnium. Pro hac re ſcribunt etiam Alphonſus Caſtren. in verb. Bellum hæreſi 2. & Dyoniſius Carthuſianus in epiſtola parænetica ad Principes Catholicos ad ſuſcipiendum bellum contra Turcam.

Quarta Concl. *Ad belli iuſtitiã tria requiruntur: Auctoritas principis, cuius imperio & poteſtati bellũ gerendum eſt. Iuſta belli cauſa, & recta bellantiũ intentio.* Hanc cõcluſionẽ docent. S. Thõ. 2. 2. q. 40. art. 1. eius cõmentatores ibidẽ. D. Antonin. 3. par. tit. 4. cap. 1. §. 9. Angel. Sylueſt. & alij in ſummis, verb. Bellum. Franciſc. Victoria in relectione de bello. Alphonſ. Caſtren. lib. 2. de iuſta hęreticorũ punitione, cap. 14. Turrecrẽ. in cap. iuſtum 23. q. 2. Didac. Couarr. in relectione cap. Peccatum. de regulis iuris. part. 2.

§. 9. & alij alibi. Pro concluſionis intelligentia & cõcordia eorum quæ a diuerſis doctoribus diuerſo modo ponuntur, annotandum quod iuſtitia dupliciter accipi poteſt. Vno modo prout eſt virtus particularis, quæ tribuit vnicuique quod ſuum eſt, & hæc excludit obligationem reſtitutionis. Alio modo iuſtitia geneneraliter accipitur, prout iuſtum dicitur omne illud quod non eſt peccatum & illicitum. Concluſio intelligitur de iuſtitia ſumpta ſecundo modo. Aliæ conditiones adſecuntur ab aliquibus, vt videre eſt apud Gabriẽlẽ in 4. d. 15. q. 4. art. 1. Adrian. in 4. in tract. de reſtit. §. Aggredior caſus ſpeciales, & alios, ſed hæ ad ſuperiora tria illa capita referri poſſunt. Hæc concluſio plenius ex ſequentibus patebit.

Quinta Concluſio. *Quando bellum eſt iuſtum ex auctoritate indicentis, & legitima cauſa, etiamſi recta intentio deſit, obligatio reſtituendi & damna reparandi, excluditur quamuis peccatum committatur.* S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 8. ad prim. Ioan. Maior in 4. d. 15. q. 20. Caiet. 2. 2. q. 40. art. 1. Caſtren. loco cit. Sylueſt. in verbo. Bellum. q. 1. Martin. Nauarr. in Rubr. cap. Nouit. de iudicijs, num. 106. Couarr. in d. §. 9. & concorditer dicunt omnes auctore Adriano. Ratio huius cõcluſionis eſt, quia bellum gerens mala intentione animi auctoritate publica & cauſa iuſta interueniente non peccat contra leges iuſtitiæ ſpecialis, ſed contra charitatis præceptum

tum cuius tranſgreſsio nō inducit obligationem reſtituendi, vt latius declaratum ſupra in Rubrica notab. 19.

Sexta Concluſio. *Bellum indicendi poteſtas ſolum eſt, penes principem non recognoſcentem ſuperiorem in ſuo principatu.* Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum, cap. 74. S. Thom. 2.2. q. 40. art. 1. Commentatores ibidem. S. Antonin. in 3. part. tit. 4. cap. 1. §. fin. Victoria in relect. de bello, q. 2. & alij. Theologi locis cit. in 4. concl. Innocēt. in cap. Olim. 1. de reſtit. ſpoliatorum. Panor. & alij in cap. Sicut. de iureiurand. Barthol. cum recentioribus in L. Ex hoc iure. ff. de iuſtit. & iure. Iacob. de S. Georgio in tract. de feud. in verb. Ei promiſerunt: & hæc eſt communiſsima doctrina tam Theologorū quam iuriſperitorum, quæ in primis probatur ex cap. Quid culpatur 23. q. 1. & ibidem q. 2. cap. 1. & L. Hoſtes. ff. de captiu. & poſt lim. reuerſ. L. vnica. C. vt armor. vſus inſcio principe interdictus ſit. lib. 11. Ratio huius concluſionis eſt, quod princeps, aut alius habens, vel recognoſcens ſuperiorem non poteſt indicere bellum, quia habet ſuperiorē iudicē ad quem poteſt recurrere pro iniuria repellenda, aut re iniuſtè ablata reſtituenda. Princeps autem nō agnoſcens ſuperiorē, cum non ſit alius cuius protectione gaudeat, ſeipſum propria auctoritate poteſt defendere, & iniuriam propulſare. Aduertendum autem quod nomine principis in concluſione intelliguntur Pontifex,

Imperator, Rex, Reſpublica perfecta, ciuitas quæ alteri non ſubditur, & omnis dominus q deiure & cõſuetudine non habet ſuperiorẽ ad quẽ recurrat, vel appellet. Intelligitur etiã cõcluſio de bello offenſiuo ſiue aggreſsiuo, non de defenſiuo. Quia quęlibet reſpublica, aut ciuitas quæ alteri ſubeſt, poteſt gerere bellũ defenſiuũ aduerſus hoſtes inuadẽtes, nõ expectata facultate à ſupremo principe. Cũ omnia iura clamẽt: Vim vi repellere licet: cap. Si vero 1. de ſent. excom. Ex hac concluſione infertur quod principes Germanię, qui imperio & Cęſari ſubſunt inconſulto imperatore non poſſint bella gerere prout etiam ordinationes prętcribũt part. 2. tit. 15. & in receſſu Auguſtano de anno Domini 1555. & alibi, cum merito Imperatorem agnoſcere & habere debeant ſupremum iudicẽ & protectorem, ad cuius etiã ſummum tribunal & ſenatũ publicũ Cameræ Spirenſis ab omnibus inferioribus in rebus arduis appellatio deuoluitur: Hinc condemnari poteſt criminis læſæ maieſtatis in imperio qui bellum excitat non facta ſibi ab imperatore facultate per text. expreſſum in L. Lex. 12. tabularũ. ff. ad L. Iuliam maieſt. verſ. Eadem lege tenetur & qui iniuſſu principis bellũ geſſerit, &c. Gloſſ. & Bartol. ibidẽ, Franciſ. Lucanus in tract. de fiſco & eius priuilegijs, 2. part. principali, cap. de crimine lęſæ maieſtatis. nũ. 9. Quippe ita bellare eſt ſibi vſurpare id muneris q ſummo Principi & Imperatori cõpetit.

Septi-

Septima Concl. *Quando bellum mouendũ, Princeps cuius imperio bellum dirigendum magna diligentia & maturo adhibito conſilio iuſtitiam belli, eiuſq; cauſas examinare debet, atq; etiam audire rationes aduerſariorum, ſi quas proponere velint.* Victoria in releċt. de bello, q. 4. conc. 2. Nauar. in Rubric. cap. Nouit, de iudicijs, numero 106. Dominicus Bannes in 2. 2. S. Thomæ. q. 40. art. 1. dub. 5. concl. 1. Hæc concluſio probatur. Princeps bellum indicens eſt iudex in re & controuerſia grauiſsima, quæ ſi negligenter perpendatur, plurimũ mali inde oritur. Sed iudex tenetur cauſas & merita cauſæ diligentiſsimè diſcutere, & in grauiſsimis & multũ arduis cõtrouerſijs etiã adhibere cõſiliũ iuriſperitorũ, antequã ſententiã ꝓferat. Ergo & Princeps quãdo bellũ vult mouere diſcutere debet accuratiſsimè etiã cum cõſilio eorũ, qui ſibi ad cõſiliandũ à latere ſunt, iuſtitiam & cauſas vtriuſq; partis, ſi pars aduerſa velit ſuũ ius deducere, & id maxime neceſſarium eſt. Cum bonus Princeps omnes ſuos actus velit regulari iuſtitia poli & fori iuxta Bald. in L. 1. ff. de conſtitut. Princip. & Iaſon. ibidem num. 3. & debet æquo animo pati cum veritas & iuſtitia defenditur, vt dicit Decius conſil. 151. incip. Maximi ponderis. numero 1. Conſilium autem Principis in tali caſu debet conferri cum viris probis & ſapientibus & ſenioribus qui liberè ſine odio, ira, & cupiditate, quæ animum & intellectũ impediunt, vt non

poſsit

poſsit cernere verum loquantur, vt rectè docent Iacob. de S. Georgio in tract. Feudor. verb. Et promiſerunt, &c. & Iacob Aluarotus de viibus feudor. cap. Hic finitur Lex Federici, & Theologi alleg.

Octaua Concluſio. *Præmiſſo diligenti examine, & maturo conſilio ſi adhuc dubia eſt iuſtitia belli, & aduerſarius eſt in poſſeſsione rei, non poteſt ei princeps bellum indicere.* Victoria in relectione de bello num. 27. Dominicus Bannes 2.2. q. 40. art. 1. dub. 5. concluſ. 2. Gregor. de valentia ibidem diſput. 3. q. 16. puncto 2. & iſta concluſio eſt communis ſententia doctorum, vt Bannes atteſtatur. Conſtat concluſio ex illa regula iuris in 6. Cum iura partiũ ſunt obſcura reo potius quam actori fauendum. Ergó fauendũ poſſeſſori qui ſe habent vt reus, & confirmatur per aliam iuris regulam. In pari cauſa melior eſt conditio poſsidentis.

Nona concluſio. *Si poſt diligentẽ inquiſitionem, dubium adhuc reſtet de re æquale, ratione cuius bellum indicendum, & res nec dum habet legitimum poſſeſſorẽ & vnus princeps velit diuidere cum alio pro æquali parte, vel recompenſare, non poteſt alter mouere bellum contra illum, nec talem rem vi occupare.* Bannes & Gregor. de Valentia loc. cit. Probatur. Princeps eſt iudex iuſtus in bello iudicans ſecundum iuſtitiam & æquitatem, nec præſumitur in dubio præiudicari velle iuri alterius. L. Nec anus. C. de emancip. liber. Bald. ibidem. Sed iudex iuſtus & æquus in tali caſu non applica-

plicaret rem integram vni parti, ſed diuideret, aut recompenſationem pro quota iniungeret. Alia tamen ratio eſſet, quando maior & fortior eſſet ratio pro vno quā pro alio. Nunc videndum an etiam ſubditi teneantur examinare iuſtitiam & cauſam bellandi ad hoc, vt ſine peccato poſsint præliari & ſequi principem in bello. Sit ergo.

Decima Concluſio. *Senatores & milites ſuperiorū ordinis qui ſunt principibus à conſilijs in re militari & publicis, priuatiſq; negotijs, debent & tenentur inquirere, & ſcire cauſam iuſti belli.* Victoria num. 24. Nauarr. in d. Rubr. num. 106. Bannes & Valent. loc. cit. & hæc eſt communis doctrina Theologorum & Iuriſperitorum teſte Dominico Bannes. Ratio eſt, quia hi ex officio & vocatione tenentur inquirere & examinare cauſam, vt damna & pericula quæ imminent ex iniuſtitia belli impediant. Qui enim tenetur & poteſt damnum impedire & id non facit, ei imputatur ad culpam, & reparationem: Cum tacens, quando loqui tenetur conſentire videatur. Conſentiens autem eſt in culpa. Cui conſoniens eſt doctrina Inocentij cōmuniter recepta in cap. 1. de his quæ fiūt à maiore parte capit. q̄ vocē habens in capitulo, tenetur cōtradicere alijs qui iniuſta decernere volūt. Præterea tales, qui ſunt principi à cōſilijs tenētur domino ſuo dare cōſilia iuſta & ſana apud Deum & homines. Ergo tenentur cauſas belli examinare, antequam votum ſuū dent quia inquiſitio

quiſitio diligens eſt medium neceſſarium ad iuſtum & rectum conſilium, vt omnibus ſani iudicij notiſsimum eſt.

Vndecima Concl. *Milites minores & inferioris ordinis ſubditi principi, ſi bona fide credunt bellum à ſuo principe indictum eſſe iuſtum, non tenentur cauſas iuſtitiæ diſcutere & examinare.* Victoria, Nauarrus, & Bannes locis cit. Caietanus & Aurea Armilla in verb. Bellum & alij alibi. Sic enim cōmuniter DD. ſentiunt locis alleg. probatur in primis ex cap. Quid culpatur. q.1.23. quod declarat ſubditum iubente ſuperiori poſſe bellare, ſi non ſit certum ei id, quod iubetur eſſe cōtra legem Dei, &c. Rationes ſequentes reddit Victoria. Primo quia nec fieri poteſt, nec expediret reddere rationē negotiorū publicorum omnibus de plebe. Itē quia homines inferioris ordinis etiamſi intelligerēt iniuſtitiā belli ꝓhibere non poſſent, & ſententia eorum non audiretur. Ergo fruſtra examinarent cauſas belli. Item quia huiuſmodi hominibus niſi contrarium conſtiterit, ſufficiens argumentum debet eſſe pro iuſtitia belli, quod publico conſilio & auctoritate geratur.

Duodecima Concl. *Qui militant principi alieno, cuius imperio non ſubſunt, non poſſunt ſine peccato indiſcuſſa cauſa militare.* Ioan. Maior in 4. d.15. q. 15. Gabr. in ead. q.4. concluſ. 4. Nauarr. in d. Rubr. num. 107. & alij paſsim loc. cit. Ratio. Iſti milites nō ſubditi, ſunt liberi, nec obligātur prœliari ratione obedientię, & bellando ex-

ponunt

ponunt ſe periculo iniuriandi & iniuſtè damnificandi aliū. Ergo antequā militent cauſam tenētur diſcutere,& probatur etiam ex d. cap. Quid culpatur.

Decimatertia Concl. *Milites non ſubditi ſi dubitent de iuſtitia belli, non poſſunt militare.* Hæc cōcluſio etiā eſt cōmunis DD. in loc. alleg. & Sūmiſtarū in verb. Bellum, & cōſtat ex d. cap. Quid culpatur. Gloſſa & DD. ibidem. Ratio etiam eſt manifeſta ex ſuperioribus. In re enim dubia voluntariè ſe exponunt periculo peccandi, & alios damnificandi contra iuſtitiam.

Decimaquarta Concl. *Quando certum & apertum eſt bellum eſſe iniuſtum, nec ſubditi, nec vaſalli, nec ſtipendiarij non ſubditi poſſunt iuſtè ſequi principem in bello.* Vt communiter Theologi & Summiſtæ tradunt, & de vaſallis Iacobus de S. Georgio in tract. feudor. verb. & ꝓmiſerunt,&c. Bald. Iacobus Aluarotus, & alij Feudiſtæ de vſib. feud. cap. 1. Hic finitur lex Federici. Robertus Maranta diſputat. 1. num. 32. Gloſſ. in cap. de forma. 22. q. 5. & conſtat concl. Quia magis oportet obedire Deo quam hominibus teſte ſcriptura,& d. c. Quid culpatur. Nec in hac re obligat iuramentū fidelitatis præſtitū à vaſallo. cap. In malis. 2. 2. d. 4. In malis ꝓmiſsis reſcinde fidē, in turpi voto muta decretū, ꝙ incautè vouiſti, ne facias. Impia eſt ꝓmiſsio quę ſcelere adimpletur. Nec fides ad facinora extēditur. L. iuriſgentiū. §. Si ob maleficium. ff. de pactis: Nec in re turpi oligatio cōtrahitur. §.

Illud. Inſtit. mand. & in L. Si remunerandi. §. rei turpis. & L. Si mandauero. §. Qui ædem ff. eod tit. Obedientia etiam in delictis inoſficioſa & iure reprobata eſt, nec excuſat 11. q. 3. c. Non ſemper. & 15. q. 6. cap. fin. L. fin. §. fin. ff. de bonis damnat. L. Seruus. ff. de act. & obligat.

Decimaquinta Concluſio. *Milites qui ſunt parati ad quodcunq; bellum, nec curant ſiue iuſtum ſiue iniuſtum ſit, ſed currant ad ſonitum pecuniæ, ſolum attendentes ſtipendium, ſunt in ſtatu peccati mortalis, nec abſolui poſſunt, donec reſipiſcant.* S. Antonin. 3. par. tit. 4. cap. 2. §. 2. Sylueſt. in verb. Bellum. 1. q. 9. concl. 4. Caiet. & Aurea Armil. in eod. verb. Bannes. 2. 2. q. 40. art. 1. dub. 6. Gregor. de Valentia ibidem, diſput. 3. q. 16. punct. 2. & alij communiter alibi. Ratio clara eſt quoniam tales milites habent animum promptum & paratum ad peccandum & exercendum iniuſtitiam ſicut ille qui paratus ſemper eſt accedere ad mulierem ſiue propriam ſiue alienam.

Decimaſexta Concluſio. *Princeps ſimulatq; cognouerit ſe iuſtam bellandi cauſam habere, antequam bellum moueat, debet ab aduerſa parte petere ſatiſfactionem, quam ſi plenam & condignam præſtiterit, tenetur ceſſare à bello & diſſoluere exercitum ante bellum inchoatum.* Hanc tenent Caietan. & Aurea Armilla in verb. Bellum. Ioſephus Angles in floribus Theolog. qq. in 4. ſentent. part. 2. in q. de reſtit. ex bello difficult. 3. Bannes dub. 8.

Gregor.

Gregor. de Valentia loco citat. & alij communiter alibi. Ratio concluſionis eſt. Bellum gerere non eſt actus voluntatis ſed neceſsitatis ex Auguſt. epiſt. 207. ad Bonifacium, & inſeritur à Gratiano 23. q. 1. cap. Noli. Sed oblata & facta digna ſatisfactione ceſſat bellandi neceſsitas & finis belli. Ergo & bellum: habito enim fine ceſſat motus. Facit etiam pro concluſione ſcriptura. Deuter. 20. Si quando acceſſeris ad oppugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem: Si receperit, & apperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea eſt, ſaluabitur & ſeruiet tibi ſub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit & cæperit contra te bellum, oppugnabis eam. *Dubium autem eſt. An quando bellum iam eſt inchoatum & in actu, Princeps teneatur ſatisfactionem debitam acceptare & ceſſare à bello.* Caietan. Aurea Armilla, Ioſephus Angl. Bannes & alij amplectuntur negantem partem, quæ & communior videtur. Ratio, quia princeps iuſtum gerens bellum, gerit partes iudicis in cauſa criminali procedentis. Sed iudex in cauſa criminali incepta lite non tenetur deſiſtere etiam oblata ſatisfactione, ſed poteſt procedere ad definitiuam ſententiam & pœnam. Ergo. Syluester in verb. Bellum. 1. q. 10. concl. 5. in affirmantem it ſententiam, quam etiam Valent. probabiliorem putat. Primam de rigore veram, ſecundam maximè æquam & principe Chriſtiano & pacifico, qui plus animæ conſulit quam vlciſcendi cupidi-

tati indulget, dignam cenſeo, maxime cum ratio facta pro præcedenti concluſione hanc etiam doctrinam probet: Cum enim bellare ſit neceſsitatis, ceſſante neceſsitate merito & bellum ceſſare debebit.

Decimaſeptima Concluſio. *In bello iuſto princeps Chriſtianus, ſi neceſsitas & vtilitas poſtulet, poteſt vti auxilio infidelium.* S. Antonin. 3. par. tit. 4. cap. 2. §. 11. Ioan. Maior. in 4. d. 15. q. 15. Syluester in verbo Bellum. 1. q. 8. concl. 3. Dominic. Bannes, & Valent. in 2. 2. S. Thomæ. q. 40. art. 1. & Caietan. ibidem. Oldrad. in conſ. 71. de treuga & pace. Ioan. Lupi in tract. dialogico de confœderatione principum ſtatim poſt principium, & hæc eſt communis ſententia DD. Concluſio cõfirmatur exemplo Machabæorum qui Romanos infideles in auxilium vocarunt. 1. Machabæor. 8. & fœdus inierunt, poſt modum continuatum à Ionatha fratre eius, cap. 12. Et Carolus V. in bello aduerſus Germanos, & alios ex conſilio Theologorum vſus eſt milite Lutherano, & hæretico: Quod adhuc hodie Imperator, & Caroli V. filius Philippus rex Hiſpaniarũ faciunt. Imo etiam licitũ eſt principi fideli auxiliũ ferre infideli, & mittere militẽ in ſubſidium, vt patet 1. Machab. cap. 11. Ionathas miſit milites in auxilium regi Demetrio infideli, & Dauid præſtitit ſubſidium regi Paleſtinæ, contra exercitum Iſraël. 1. Reg. cap. 28. & 29. & 11. q. 3. cap. Iulianus, milites Chriſtiani pugnarunt in

iuſto bello ſub Iuliano, & ſic ſentiunt S. Antonin. Oldrad. Ioan. Lupi. Bannes. Valentia & alij. Turrecrem. tamen in d. cap. Iulianus, ſecutus Hugonem ibidẽ exiſtimat quod quando milites Chriſtiani non ſunt ſubditi, ſed extranei, non poſsint militare ſub duce infideli, ſed iſti nulli firmo in̄ituntur fundamẽto. Hęc concluſio intelligenda, dummodo abſit ſcandalum & detrimentum nullum diuini nominis, aut religionis ſubſequatur: propterea male audiuit apud Chriſtianos Franciſcus rex Galliæ, quod vocauit in auxilium Turcas cõtra Carolum V. regem Hiſpaniæ.

Decimaoctaua Concl. *Periculoſum eſt habere malos & ſceleratos milites in exercitu.* Hanc cõcluſionẽ pono cum Dyoniſio Carthuſiano in ep. parænetica ad principes Chriſtianos pro bello cõtra Turcas, art. 8. & intelligenda eſt, niſi neceſsitas defenſionis cogat. Probatur ex ſcriptura Ioſue 7. Filij Iſrael miſsi à Ioſue ad demoliendũ vrbẽ Hai, in fugam cõuerſi ſunt, & 36. ex eis corruerunt, idque factum propter exceſſum vnius Acham qui contra Dei præceptum fuerat aliquid furatus de anathemate, ſiue ex diuitijs Hiericho, & conſecratis DEO. Ioſue autem vir ſanctus viſa fuga ac ſtrage ſuorum cecidit pronus in terram inuocans DOMINVM. Accepit autem hoc reſponſum à DOMINO: Non poterit Iſrael ſtare ante hoſtes ſuos, nec ero vltra vobiſcum donec conteratis eum qui huius ſceleris reus eſt.

Tandem omnis populus Iſraël lapidauit Achar ex ſententia Ioſuæ, & cuncta quæ illius erant igne conſumpta ſunt, & tunc auerſus eſt furor DOMINI ab eis, & Deuter. 32. Dum filij Ruben & Gad petiſſent rem quandam à Moyſe, quæ prima facie videbatur ſine ratione poſtulari, Moyſes dixit ad illos: Vos ſurrexiſtis pro patribus veſtris incrementa & alumni hominum peccatorum, vt augeritis furorem Domini contra Iſraël. Quod ſi nolueritis ſequi Dominum, in ſolitudine populum derelinquet; & vos cauſa eritis necis omnium. Et 2. Paralip. cap. 25. Cum Amaſias rex Iuda præliaturus contra Idumæos conduxiſſet de Iſraël centum milia robuſtorum, venit ad illum homo DEI, & ait: Rex ne egrediatur tecum exercitus Iſrael. Non enim eſt Dominus cum Iſraël. Ratio huius concluſionis eſt, quod ſicut quando Deus pro nobis eſt, & pugnat, fœliciter pugnamus, & pſperè omnia ſuccedunt: Ita quando nobis aduerſatur, & elongatur à nobis, omnes vires humanæ & auxilia deficiunt, & cædimur ab hoſtibus. Auerſatur autem Deus peccatores & impietatē eorum, nec ſuum conſilium eſt cum impijs: vnde facile in fugam cōuertuntur, & ſtragem patiuntur. Perpēdant hæc ſacræ ſcripturæ verba, maximè autē ea quæ habentur Ioſue 7. Duces illorum bellorū vbi milites templa deprędantur, ſacrilegia committunt, ſacramenta & Deo ſacrata polluunt, reliquias pedibus cōte-

runt, imagines ſanctorum comburunt, imo aliquando ſanctum ſanctorum conculcant: Quæ omnia & nonnulla peiora fieri vidimus & obſeruauimus ſuperiori Anno 1594. in Decembri à militibus ſtatuum, dum terram Iuliacen. Colonien. Treuiren. ac Meten. tranſirent ad ſubueniendum in finibus Galliæ regi Nauarro. Pro quibus ſceleribus iuſto Dei iudicio proximo Anno 1595. in Auguſto duces quidam & anteſignani eorum præcipui non longe à Rheno infra Duſeldorpium dignam acceperunt mercedem, ac miſerè ab Hiſpano milite cæſi interierunt: reliqui autem ſuperſtites niſi reſipiſcant & pœniteant de tantis ſceleribus, ſimilem pœnam, aut maiorem patientur in præſenti, aut certè in futuro ſeculo. Scelera enim in ſacra & DEO conſecrata inſpirat ſpiritus Caluini, quo pleni erant tales milites qui ex Anglis, & diuerſis hominum fecibus collecti erant. Nunc de cauſis quæ ad iuſtum bellum requiruntur, agendum eſt.

Decimanona Concluſio. *Generalis cauſa legitima indicendi bellum eſt iniuria illata quæ vindicanda, aut propulſanda, aut recompenſanda eſt.* Hanc ponunt communiter DD. S. Thomas 2.2.q. 40. art. 1. & commentatores eius ibidem. Victoria in relect. de bello. num. 13. Syluest. Aurea Armilla. & alij in verb. Bellum. Alphonſus Caſtren. lib. 2. de iuſta heret. punitione, cap. 14. Didac. Couar. in relect. cap. Pecca-

tum, de reg. iuris, in 6. part. 2. §. 9. & alij communiter in hac materia, & probatur ex Auguſtino. q. 10. ſuper Ioſue, & refertur 23. q. 2. cap. Dominus. Iuſta bella definiri ſolent quæ vlciſcuntur iniurias ſi quæ gens vel ciuitas, quæ bello petenda eſt vel vindicare neglexerit, quod à ſuis improbè factum eſt, vel reddere quod per iniurias ablatum eſt.

Vigeſima Concluſio. *Non pro quauis iniuria leui aut minima bellum mouendum eſt, ſed pro graui & magna.* Victoria num. 14. Bannes & Valent. in d. art. 1. & alij alibi, nec poteſt eſſe dubium in hac concluſione; Secundum enim menſuram delicti, debet eſſe plagarum modus Deuter. 25. Cum ergo bellum ſit maxima pœna: plurima namque id incommoda & mala ſequuntur, vt omnibus experientia compertiſsimum eſt, non debet inferri pro quacunque iniuria. Nunc ſpecialius ſignificandæ iniuriæ & cauſæ dignæ ad mouendum bellum.

Vigeſimaprima Concluſio. *Iuſtam bellandi cauſam præbet defenſio reipublicæ & rerum ad ipſam pertinentium contra hoſtes.* In hac etiam non eſt dubium. Si enim cuicunque à natura permiſſum eſt defendere ſe, quoties non poteſt habere auxilium à ſuperiore, maximè conuenit principi defendere ſuos ab oppreſsione & violentia aliorum. Sic Dauid, ſæpè bella mouit contra Philiſtæos, & Machabæus aduerſus Antiochum & Demetrium.

Vigeſi-

Vigeſimaſecunda Concl. *Rebellio & inobedientia ſubditorum contra proprium principem poſt admonitionem iuſta etiam eſt bellandi cauſa.* Caſtrenſis, Couarruuias, Valentia, & alij. Innocentius in cap. Olim. 1. de reſtit. ſpoliat. Ioan. à terra Rubea in tract. contra rebelles, part. 3. art. 10. Sic Dauid rex bellum inſtituit aduerſus Seba filium Bochri, eo quod populum ſolicitaſſet, vt à Dauide ad ipſum deficeret. 2. Regum 20. Et Auguſtin. libro 22. contra Fauſtum, cap. 74. & habetur 23. q. 1. cap. Quid culpatur. Aduerſus violentiam reſiſtentium, ſiue Deo, ſiue aliquo legitimo imperio iubente gerenda ipſa bella ſuſcipiuntur à bonis, cum in eo rerum humanarum ordine inueniantur, vbi eos vel iubere tale aliquid, vel in talibus obedire iuſtè ordo ipſe conſtringit.

Vigeſimatertia Concluſio. *Bellum etiam indici poteſt ad recuperandum, aut repetendum res proprias ab alio per iniuriam & violentiam detentas & occupatas, quando aliter recuperari non poſſunt.* Caſtrenſis, Couarruuias, Valentia & alij, & probatur ex Auguſt. ſuper Ioſue, q. 10. & d. cap. Dominus cuius verba allata in concluſi. 19. Hac de cauſa Dauid mortuo Saule bellũ mouit contra Isboſeth, filium Saulis contendentem occupare regnum Iſraël, quod per Samuelem prophetam Dominus tradiderat Dauidi. Ob eandẽ cauſam iuſtè ab Imperatore alijſq; Chriſtianis principibus bellum poteſt moueri contra infideles ad recuperanda multa quæ

Chriſtianis detraxerunt & per vim detinent, vt terram ſanctam, & alia, vt Iaſo docet in L. Ex hoc iure. ff. de iuſtitia & iure, & alij alibi.

Vigeſimaquarta Concluſio. *Iuſta bellandi cauſa eſt, quando quis alium principem impedit, ne per prouinciam aliquam propriam etiam impedentis tranſeat cum milite, modo tranſitus ſit innoxius.* Hanc docent etiam DD. allegati. Bartol. in L. 1. C. de pagan. & probatur Numer. 21. Filij Iſraël pugnarunt contra Seon & Og reges Amorrhæorum, quia eis permittere noluerunt innoxium tranſitum in terram à Deo promiſſam. S. Auguſt. q. 44. Super numeros & inſeritur 23. q. 2. cap. fin. Notandum, ait, eſt ſanè quemadmodum iuſta bella gerebantur à filijs Iſraël cõtra Amorrhæos. Innoxius enim tranſitus negabatur, qui iure humanæ ſocietatis æquiſsimo patere debebat. Vt autẽ ęqua eorum petitio, & iniuſtitia aliorũ exẽplo ſint noſtris ducibus & militibus, libet verba ſcripturæ adiungere: Miſit, ait, Iſraël nuncios ad Seon regẽ Amorrhæorum dicens: Obſecro vt trãſire mihi liceat per terram tuam. Non declinabimus in agros & vineas: non bibemus aquas ex puteis. Via regia gradiemur: donec tranſeamus terminos tuos. Qui concedere noluit vt tranſiret Iſraël per fines ſuos: quin potius exercitu congregato egreſſus eſt obuiam in deſertũ, & venit in Iaſa: pugnauitq; cõtra eum. A quo percuſſus eſt in ore gladij & poſſeſſa eſt terra eius, &c. Vnde colligitur, quod quando militi

liti & exercitui conceditur tranſitus per aliquam prouinciam, ita permittatur vt fiat ſine detrimento, damno, & moleſtia ſubditorum & prouincialium iuxta L. vnic. C. de ſalgamo hoſpitibus non præbendo, lib. 12. Ioann. de Platea & Lucas à Penna ibidem: & ita bene notant Angel. & Chriſtoph. Porcus ac recentiores quidam in inſtitut. de ſeruitutibus ruſticorum, & vrban. prædior. Quod ſi alicui Capitaneo permiſſus fuerit tranſitus per aliquem comitatum, aut prouinciam, quod debeat ire per viam rectam, non per prata & vineas, ne fructus lædantur, & agri deuaſtentur, alioqui poſsit capi ſalua fide ſalui conductus: Quia conceſsio tranſitus ciuiliter, humanè & modeſtè intelligitur vt inquit Porc. Et exercitus debet tranſire per locum territorij, vbi minus damni & detrimenti ſentiatur per L. Si cui. ff. de ſeruitutib. & L. Si mihi conceſſeris ff. de ſeruitutib. ruſtic. præd. Floſian. ibidem. Cæpol. in tract. de ſeruitutibus vrbanorum præd. cap. 23. & de ſeruitutib. ruſtic. prædior. cap. 1. Nec per aliam viam tunc debent tranſire iuxta DD.

Viceſimaquinta Concl. *Etiam belli recta cauſa eſt, ſi quis iniuriam publicam principi intulerit, quæ alia via reparari non poteſt quam per bellum.* Caſtrenſis & Valent. Hac de cauſa Dauid bellum ſuſcepit aduerſus Hanon Ammonitarum regem, quod nuncijs à Dauide miſsis mediam partem barbæ radi, & veſtes illorum medias

vſque ad nates præſcindi iuſsiſſet. 2. Reg. 10.

Vigeſimaſexta Concluſio. *Iuſtè etiam bellum moueri poteſt contra eum, qui hoſti & inimico nos iniuſtè perſequenti bello fauet & auxilium præbet.* Sic auctores proxime allegati. Sic Dauid impugnauit Syriam Damaſci, eo quod ſuppetias ferebat Adarezer regi Soba 2. Reg. 8.

Vigeſimaſeptima Concluſio. *Licitum eſt etiam belligerare contra eos, qui improbos & facinoroſos defendunt, ne debitas perſoluant pœnas.* Hæc cauſa mouit vndecim tribus Iſraël vt arma ſumerent contra ciuitatem Gabaam & tribum Beniamin eo quod homines de Gabaa vxorem viri Leuitæ occidiſſent, & reddere illos malefactores ad ſupplicium noluiſſent. Iudic. 20.

Vigeſimaoctaua Concl. *Violatio pacti & fœderis initi, iuſtam etiam offert bellandi anſam.* Caſtr. & Valent. Ob hanc cauſam Ioram rex Iſraël adiuuante Ioſaphat rege Iuda, bellum geſsit contra Meſam regem Moab, qui tributa agnorum & arietũ, quæ ex antiquo fœdere ſingulis annis ſoluere debebat, reddere recuſauit.

Vigeſimanona Concl. *Ratione auertendæ iniuriæ à proximis ne opprimantur iniuſtè, à tyrannis & hoſtibus, licitum eſt bellum gerere.* Caietan. 2. 2. q. 40. art. 1. Couarr. loco cit. §. 10. & alij alibi. Probatur, Exod. 2. Moyſes videns Hebræum ab AEgyptio iniuriam accipientem defendit, & AEgyptiũ proſtrauit, & c. Fortitudo. & c. Non inferenda. 23. q. 3. ex Ambroſ. 1. officior.

cap. 27. & 36. & ibidem. c. Ab Imperatoribus, & c. Quantæ de ſeptent. excommunic.

Trigeſima Concl. *Infidelitas ſola non eſt iuſta cauſa inferendi bellum*: Vel alijs verbis: *Infideles non poſſunt bello impugnari, eo ſolum nomine quod infideles ſunt & Chriſtianam religionē ſuſcipere nolunt.* Concluſio eſt contra Hoſtien. & Panormit. in c. Quod ſuper his, de voto. Aluarum. Pelagium lib. 1. de planctu Eccleſiæ art. 37. Oldradum in conſ. 72. Ioan. Maior. in 2. d. 44. q. 3. & alios quoſdam. Concluſionem tenent S. Thomas 2. 2. q. 12. art. 2. D. Antonin. 3. par. tit. 22. cap. 5. §. 8. Caietan. 2. 2. q. 66. art. 8. Syluest. in verb. Infidelitas. q. 7. Victor. in relect. de Indis, & de bello. Sotus in 4. d. 5. q. vnica. art. 10. Dominicus Bannes latè & Gregorius de Valentia in 2. 2. S. Thomæ q. 10. art. 10. qui & omnia argumenta contra ſoluunt. Turrecremata in cap. Diſpar. 23. q. 8. Innocentius & Cardin. in d. cap. Quod ſuper his. Bartol. in L. Chriſtianis. C. de pagan. Bald. in L. Ex hoc iure, ff. de iuſtit. & iur. q. 10. Couarr. in relect. c. Peccatū. de reg. iur. par. 2. §. 10. & alij alibi, & hæc eſt cōmunis DD. ꝓbatur nunc cōcluſio ex d. L. Chriſtianis & cap. Diſpar. quibus decernitur bellū aduerſus Saracenos iuſtè geri à Chriſtianis, quādo ipſi Saraceni Chriſtianos pſequūtur, & eos ex vrbib. pellunt. Ergo ex hoc ꝙ ſolū infideles nō poſſunt bello impeti. Prçterea infideles ob infidelitatē nō ꝑdunt dominiū rerū ſuarū. Ergo nó

licet eos ea de cauſa priuari bellica violentiâ rebus ſuis & iure. Antecedens patet ex ſcriptura. Daniel. 2. Nabuchodonoſori infideli à Daniele dicitur: Tu rex regum es, & Deus cœli regnum, & fortitudinem & imperium, & gloriam dedit tibi. Matth. 22. Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, &c. Luc. 22. Reges gentium dominantur eorum, & in Concilio Cōſtantienſi ſeſs. 8. inter alios articulos erroneos Ioannis Huſs & VVicleph. hic 15. loco damnatur. Nullus eſt dominus ciuilis, dum eſt in peccato mortali.

Trigeſimaprima Concluſio. *Infideles non ſubditi principibus Chriſtianis non poſſunt bello moleſtari propter idololatriā & peccata contra naturam.* Cōtra Innocent. in cap. Quod ſuper his. Anton. in 3. part. tit. 22. cap. 5. §. 8. Sylueſt. in verb. Papa. q. 7. Aluarum Pelag. lib. 1. de planctu Eccleſ. art. 37. qui exiſtimant poſſe debellari ſi peccent infideles contra legē naturæ, & Alphonſ. Caſtren. loc. cit. exiſtimat quod ꝑpter idololatriā poſsint debellari, & alij quidam. Concluſionem docent Caiet. 2. 2. q. 66. art. 8. Doctiſsimus Franciſcus Victoria in relect. de Indis nouiter inuentis, ſect. 2. nū. 16. & alibi. Dominic. Sot. loc. cit. Bannes & Gregor. de Valentia in 2. 2. S. Thom. q. 10. art. 10. Cauar. vbi ſupra. §. 10. & quidā Barthol. Epiſcop. de Chiapa in Apolog. cōtra Geneſiū Sepuluedā Caroli V. Hiſtoriographū refente Dominico Bannes, & horum ſententiam omnes magiſtri Theo-

Theologici in cathedris ſuis vſq; ad noſtra tẽpora ſecuti ſunt, vt Bannes atteſtatur. Et notãdum ꝙ materia hæc tẽpore eo quo noui Indi inuẽti ſunt, multũ fuit apud Hiſpanos diſputata, vt colligitur maximè ex Theologis, qui illuſtres eo tempore extiterunt; quorum antesignanus fuit Franciſ. Victoria, qui noſtrum ſeculum ſua Theologia & methodo docendi in theologiæ ſtudio celebre reddidit. Probatur concluſio. Infideles non ſubditi peccato idololatriæ, & cõtra legem naturalem nullam faciũt iniuriam principibus Chriſtianis. Ergo non poſſunt ipſis inferre bella. Præterea. Vnus ciuis non habet poteſtatẽ puniendi alium ciuem malum. Ergo nec vna reſpub. habet poteſtatem puniendi aliam, niſi illi iniuriam faciat. Quia vna reſpublica ita ſe habet reſpectu alterius, ſicut vnus ciuis reſpectu alterius, quantum ad rationem puniendi. Et in veteri teſtamento, quando res armis gerebatur, populus Iſraël nunquam occupauit terras infidelium, vel quia eſſent infideles, aut idololatræ; vel quia peccarent contra legẽ naturæ. Plures rationes Victoria colligit.

Trigeſimaſecunda Concl. *Infideles non ſubditi poſſunt cõpelli bello ne impediant fidem blaſphemijs, aut perſecutionibus.* Hanc tradunt S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 8. Victoria in relect. de Indis. Bannes, Valentia, Couarr. & alij. Ratio eſt. Quia in talibus caſibus Chriſtianos iniuria afficiũt, quã licet principibus etiam bello vindicare.

Trige-

Trigeſimatertia Concl. *Bellum non poteſt eſſe ex vtraq; parte iuſtum, ex ſua natura in ſe.* Concluſio eſt communis Theologorum & iuriſper.torum, vt Dominicus Bannes 2. 2. q. 4. art. 1. dub. 5. concluſ. 2. & Couarr. loc. cit. §. 10. nú. 6. & alij in hac materia atteſtantur & probat Victoria in relect. de belli iure num. 32. Bellantes inuicem ſunt ſibi contrarij. Ergo contraria habẽt iura iuſta, vel iniuſta. Ergo vnus tantum iuſtã fouet partẽ ex natura rei, & alter iniuſtã, cum iuſtũ & iniuſtum ſint contraria, vt Bald. in L. Ex hoc iure. q. 15. ff. de iuſt. & iure, rectè arguit, quæ eidem reſpectu eiuſdẽ ineſſe nequeunt. Ergo bellum non poteſt ſimul eſſe iuſtum ex parte vtraque agentis ſiue indicentis, & patientis ſeu defendentis. Dictũ eſt (ex ſua natura & ex ſe) quia poſita ignorantia in vna parte inuincibili, poteſt bellum ex vtraque parte eſſe iuſtum, vt ſi penes vnum ſit iuſtitia belli, & alius contra quem geritur bona fide & iuſta ignorantia iudicet ſe iuſtam habere bellandi cauſam. Quemadmodũ etiã in alijs iudicijs contingit, quod actor & reus quandoq; iuſtam litẽ foueant, licet alter eorũ tantum à parte rei iuſtam cauſam litis habeat. Quare ſi Andreas Alciat. lib. 2. cap. vltimo. Paradoxor. ſecutus Fulgoſium in L. d. ex hoc iure bene intellexiſſet communem ſententiam, non eam impugnare contendiſſet. Aut ergo male intellexit: aut falſum contra communem docet, quod bellum ex vtraque

parte

parte poſsit eſſe licitum.

Trigeſimaquarta Concl. *Quando bellum alias iuſtũ eſt, licitũ eſt in eo vti inſidijs & ſimulatione modo id fiat ſine mendacio, & violatione fidei.* S. Thom. 2.2.q.40.art.3.& eius commentatores ibidem. Summiſtæ communiter, in verb. Bellum Turrecrem. 23. q. 2. cap. Dominus, & hæc eſt communis DD. ſententia & probatur. Ioſue. 8. Dominus iuſsit Ioſue, vt inſidias poneret habitatoribus ciuitatis Hai & ex illo Auguſtini q. 10. ſuper Ioſue relato, in d. c. Dominus. cum bellum iuſtum ſuſcipitur, vtrum apertè pugnet aliquis, an ex inſidijs, nihil ad iuſtitiam intereſt; & poteſt probari ex ſcripturis, quæ adferuntur ex D. Hieronymo in cap. Vtilem ſimulationem 22. q. 2. Pro concluſionis intelligentia aduertendum cum S. Thoma quod duplici modo aliquis poteſt falli ex facto, aut dicto alterius. Vno modo ex eo quod ei dicitur falſum, vel non ſeruatur promiſſum, & iſtud ſemper illicitũ. Nec hoc modo vllus hoſtes fallere debet. Iura enim quędã bellorũ & fœdera etiã inter ipſos hoſtes ſunt ſeruãda vt D. Ambroſ. lib. 1. Offic. cap. 29. & lib. 3. cap. 10. docet. Alio modo aliquis poteſt falli ex dicto vel facto noſtro, quia ei propoſitum, aut intellectum non aperimus, ꝙ etiam facere non tenemur, ſed occultamus noſtra cõſilia ne hoſtes ea percipiant. Talis autẽ occultatio pertinet ad rationem inſidiarum quibus licitum eſt vti in bellis iuſtis.

Trigeſi-

Trigeſimaquinta Concluſio. *Ad hoc vt bellum ſine peccato geratur recta intentio neceſſaria eſt, qua intendatur vt bonum publicum promoueatur, & eius malum euitetur & ſic in pace reſpublica conſiſtat.* Hæc concluſio communiter approbata eſt, & nota ex Auguſtini verbis quæ referuntur 23. q. 1. cap. Noli. Pacem habere voluntatis eſt. Bellum autem debet eſſe neceſsitatis, vt liberet Deus à neceſsitate, & cõſeruet in pace. Non enim pax quęritur vt bellum exerceatur, ſed bellum geritur vt pax acquiratur. Eſto ergo bellando pacificus, vt eos quos expugnas ad pacis vnitatem vincendo perducas. Beati enim pacifici (ait Dominus) quoniam filij Dei vocabuntur. Hæc ibi. Et in cap. Apud. ex eodem Auguſt. Apud veros Dei cultores etiam ipſa bella pacata ſunt, quæ non cupiditate: aut crudelitate, ſed pacis ſtudio geruntur, vt mali coërceantur, & boni ſubleuentur, & lib. 22. contra Fauſtum. cap. 74. Nocẽdi cupiditas, vlciſcendi crudelitas, implacatus & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & ſi qua ſunt ſimilia, hæc ſunt quæ in bellis iure culpantur. Et Cicero 1. officiorum ait: Bellum ita ſuſcipiatur vt nihil aliud quam pax quæſita videatur.

QVAESTIO SECVNDA.

Quid fieri poſſit in bello ſine iniuria, & abſq; dãnorũ reparatione ſiue reſtitutione?

Prima

PRima Concluſio generalis. *In bello iuſto licitum eſt omnia facere , quæ ex rei natura neceſſaria ſunt ad defenſionem boni publici.* Concluſio ſatis clara eſt ex fine belli, qui eſt bonum publicum & pax Reipublicæ.

Secunda Concluſio. *in bello iuſto qui recta intentione & bona fide pugnando occidit, aut mutilat, nec in foro conſcientiæ, nec apud homines tenetur de occiſione ſiue homicidio, nec de damnis occiſionem aut mutilationem ſecutis.* Hæc concluſio eſt communis Theologorum & Iuriſperitorum, probatur in primis ex hiſtorijs veteris teſtamenti, vbi paſsim bella geſta ſunt ab Abraham, Moyſe, Dauide, Machabæo, & alijs multis, & ſæpè multa milia cum laude occiſa ſunt, nec vnquã quando iuſta bella geſta ſunt ob occiſionem aliquis damnatus eſt criminis, imo viri ſancti ſunt qui geſſerunt. Deinde penes principes & rempublicam eſt gladius, & non ſine cauſa, ſed ad vindictam malorum. Roman.13. Ergo quando bellum iuſtè & iuſta de cauſa auctoritate publica geritur, occidendo non cõmittitur peccatum. Ad idem propoſitum ex ſanctis patribus multa ſunt decreta 23. præſertim q.5. cap. De occidendis. c. Miles. c. Homicidium. Præterea qui vtitur iure ſuo, aut publico nemini iniuriam facit. cap. Cum Eccleſia Vulterana, de elect. & L. Iniuriarum. §.1. ff. de iniurijs, etiamſi nocumentũ inde alteri eueniat. L. Si in meo. ff. de aqua pluu. arcend. & L. Proculus. ff. de damno infect. At occidens in

bello vtitur iure ſuo publico, ergo nemini facit iniuriá, nec peccat, nec tenetur de damnis datis. His accedit, quod bellum iuſtum non eſt aliud, quam executio iuſtæ ſententiæ. Iuris autem executio non habet iniuriam d. L. iniuriarum. §. 1.

Tertia Concluſio. *In bello iuſto nunquam licitũ eſt directè & ex intentione interficere innocentes.* Victor. in relect. de bello, num. 35. Ioan. Dried. in lib. de captiuit. & redempt. gener. humani, tract. 2. Bannes & Gregor. de Valẽt. in 2. 2. q. 40. art. 1. & alij alibi, nec poteſt eſſe dubium in hac re. Probatur. Exodi 23. Inſontẽ & iuſtũ non occides. Deut. 20. Mandatum filij Iſraël accipiunt, vt cum viceperint ciuitatẽ parcant mulieribus & paruulis. Deuter. 24. Non occidentur filij pro parentibus. Ratio etiam firma eſt pro hac concluſione. Belli iuſti fundamentum eſt iniuria. Sed innocentes nullam, vt præſupponitur, intulerunt iniuriam, alias eſſent nocentes. Ergo non debent ſubire pœnam, & confirmatur. Bellum iuſtum eſt executio iuſtæ ſententiæ. Sed nulla iuſta ſententia condemnat innocentem. Ergo non licet occidere innocentes. Hinc Theodoſius Imperator acerrimè à S. Ambroſio Mediolanen. Epiſ. fuit repræhenſus, & ab Eccleſia excluſus, ꝙ iugo rationis excuſſo & furore iræ Theſſalonicæ gladios iniquè contra omnes diſtrinxerat, & inſontes pariter cum ſontibus ſecundum hiſtoriam trucidaſſet. De qua re latius

apud

apud Theodoretum libro quinto hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Ruffin. libro 2. cap. 18. Tripart. libro nono, cap. 30. & 31. Ex hac concluſione ſequitur quod nec pueros, nec fœminas tam in bellis contra Turcas & infideles, quam inter Chriſtianos licet interficere vt Victor. Bannes & alij tradunt. Quod autem de fœminis dicitur, intelligitur niſi ſe pugnæ immiſceant, defendendo & percutiendo: Quandoquidem ſi officia virorum in bellando præſtent, non eſt abſurdum, ſi mercedem eorundem etiam accipiant: Iuxta menſuram delicti, eſt etiam plagarum modus. Inter innocentes etiam numerantur ab Alexandro III. in cap. Innouamus, de treuga & pace alij, his verbis: Innouamus, vt Presbyteri, Monachi, conuerſi, peregrini, mercatores, ruſtici euntes & redeuntes, vel in agricultura exiſtentes, & animalia quibus arant, & ſemina portant ad agrum ſecuritate congrua lætentur. Hæc ibi. Per mercatores ſecundum Caietanum in ſumma verb. Bellum, non intelliguntur qui habitant, & ciues in ciuitate, aut republica hoſtium, ſed qui tranſeunt importantes merces: Incolæ enim & ciues, non ſunt melioris conditionis exercentes mercaturam quam alij artifices.

Quarta Concl. *In iuſto bello indirectè & præter intentionem interficere innocentes non eſt peccatum; ſed licitum.* Victoria in relect. de bello, nu-

mero 37. Bannes & Valent. 2. 2. q. 40. art. 1. & hæc eſt cõmunis ſententia DD. Caſus concluſionis, exẽpli gratia, ponitur ſi à principe eſſet oppugnanda ciuitas, cuius ſubditi eſſent rebelles, nec poſſit expugnari niſi tormẽtis bellicis, aut incẽdio, licitum eſt id facere, etiamſi patiantur & interficiantur innocentes, qui nocentibus permiſcentur, nec diſcerni poſſunt. Concluſio probatur, quia alias non eſſet ratio gerendi bellum cõtra ipſos nocentes, ac ſic iuſtitia belli ſuum non conſequeretur effectum. Deinde patet ex vſu omniũ principum, qui etiam cum laude & bona conſcientia bellum geſſerunt. Aduertendum tamẽ cum Victoria & alijs, quod ſi in aliqua vrbe eſſent multi innocentes, & pauci nocentes, tunc non liceret vrbem ſubuertere, aut incendio deuaſtare, quia maius malum eſt quod ſequitur, quam bonum quod intenditur.

Quinta Concluſio. *In bello iuſto non eſt licitum occidere innocentem de quo timetur, aut ſcitur quod ſit futurus nocens.* Victoria, Bannes & alij, exempli gratia, in bello infidelium: An pueri poſſint occidi, de quibus eſt præſumptio, quod ſi adoleuerint, etiam cõtra Chriſtianos arma ſument. Concluſio nunc probatur. Non ſunt facienda mala, vt vitentur alia etiam maiora mala, & intolerabile videtur quod aliquis puniatur pro culpa futura: cum pœna præſupponat culpam. Præterea ſi timeatur quod in futurũ etiam arma ſument, & erunt nocentes

alijs

alijs medijs iuſtis, vt captiuitate, ſeruitute, &c. Huic malo in tempore poteſt remedium adhiberi.

Sexta Concluſio. *In ipſo actuali conflictu durante pugna in defenſione, aut oppugnatione ciuitatis, quamdiu res in periculo verſatur, licet interficere omnes contrapugnantes.* Hanc docent Theologi allegati. Concluſio clara eſt, quia alia ratione non poſſet bellum rectè & tutè geri.

Septima Concluſio. *Parta victoria & rebus extra periculum conſtitutis adhuc licitum eſt interficere nocentes.* Hanc etiam docent Theologi prædicti. Probatur. Bellum enim non ſolum ordinatur ad res recuperandas, ſed etiam ad vindicandam iniuriam illatam: & parandam ſecuritatem in futurum. Sed quandoque fieri poteſt vt occiſio nocentium ſit neceſſaria ad tales fines. Præterea licet ciues proprios morte mulctare propter iniuriam illatam. Ergo multo magis licet extraneos punire propter iniuriam factam principi, aut reipub. Concluſio intelligenda vt tum ſit licitum interficere auctoritate principis, & non priuata.

Octaua Concluſio. *Ad vindicandam ſolam iniuriam non eſt ſemper licitum interficere omnes nocentes.* Victor. cum alijs. Quia inter ciues non liceret, vbi eſſet delictum totius ciuitatis, aut prouinciæ, interficere omnes delinquentes, nec etiam in omni ſeditione conuenit perdere totum populum. Detrahendum

quandoque ſeueritati, vbi multorum ſtrages iacet iuxta Gloſſam receptam in cap. Latores, de cleric. excomm. & in L. Aut facta, de pœnis. §. fin. Conſonat huic concluſioni etiam Auguſt. in ep. 207. ad Bonifacium, quando dicit: Sicut rebellanti & reſiſtenti violentia redditur: Ita victo & capto miſericordia iam debetur, maximè in quo pacis perturbatio non timetur. Hac etiam de cauſa fuit Theodoſius ab Ambroſio obiurgatus, quod Theſſalonicæ communem cædem inſtituiſſet. Vt autem hæc concluſio rectius intelligatur, recolenda eſt doctrina S. Thomæ 2. 2. q. 108. art. 1. ad quintum, quam amplectitur Albericus de Roſ. in dictionario iuris, in verb. Correctio. verſ. Qualiter attendendum, quod quando tota multitudo peccat, de ea vindicta ſumenda eſt, vel quantum ad totam multitudinem, ſicut AEgyptij ſubmerſi ſunt in mari rubro proſequentes filios Iſraël Exodi 14. Et Sodoma & Gomorrha vniuerſaliter perierunt: Vel quantum ad magnam multitudinis partem ſicut patet Exodi trigeſimoſecundo, in pœna eorum qui vitulum adorauerunt. Quandoque vero ſi ſperetur multorum correctio, debet ſeueritas vindictæ exerceri in aliquos paucos Principaliores quibus punitis cæteri terreantur. Sicut DOMINVS Numer. 25. mandauit ſuſpendi principes populi pro peccato multitudinis. Si autem non tota multitudo peccauit,

cauit, ſed pro parte: tunc ſi mali poſſunt ſecerni à bonis, debet in eos vindicta exerceri, ſi hoc fieri poſsit ſine ſcandalo aliorum. Alioqui parcendum eſt multitudini & detrahendum ſeueritati. Quando autem peccatum multitudinis eſt tale quod magis noceret multitudini vel ſpiritualiter, vel temporaliter, quam ſcandalũ quod exinde orire-tur, vindicandum eſt. Sic S. Thomas.

Nona Concluſio. *Per ſe loquendo, capti in bello licito & iuſto ex numero hoſtium qui nocentes ſunt, interfici poſſent, tamen humanitate quadam & conſuetudine receptum, & iuri conſonum apparet, vt parta victoria & tranſacto dubio euentu belli, capti non interficiantur.* Concluſionem tradit Victoria numero 49. Poſteriorem vero partem amplectuntur Iuriſperiti dum tradunt in bello licito non eſſe licitum occidere inimicum captum poſtquam captus eſt. Bartol. L. 3. §. fin. ff. ad L. Cornel. de Sicar. Angelus ab Aretio, in tractatione maleficiorum in verbo. Fama publica. col. 10. in maiori forma, & idem in §. Illud quæſitum. Inſtit. de rerum diuiſ. Hippolyt. Marſilius in practica crimin. §. Aggredior. numero 25. Albericus in L. Libertas. ff. de ſtatu hominum, vbi inquit: Nota conſuetudinem antiquorum Imperatorum qui fide carebant, qui nolebant hoſtes captos debere interfici, ſed ſeruari: Contra quam conſuetudinem hodie crudeles faciunt, qui captos hoſtes occidunt, his alij alibi con-

ſentiunt.per d.L.3.§.fin. de Sicar. & L. Libertas, de ſtatu hominum, & id cõforme etiam eſt doctrinæ D. Auguſt. in d. ep. ad Bonifacium: cum ait: Victo & capto miſericordia iam debetur maximè in quo pacis perturbatio non timetur & c. Noli. 23. q. 1. Eadem eſt ratio de eis, qui ſe dedunt quando nulla pacta aut conditiones intercedunt in deditione arcium & ciuitatum, tunc nihil videtur impedire quo minus aliqui nocentes præſertim ſi fuiſſent capita & principales auctores ſeditionis, aut conſpirationis contra proprium principem, poſsint interfici. Solent tamen ſæpè in deditionibus pacta & conuentiones facere, quæ etiam hoſti ſeruandæ ſunt, vt poſt deditionem ſalua ſint capita, & ſaluus conductus militibus præſtetur ad exeundum.

Decima Concluſio. *Licet antiquitus iure gentium & Romano capti in iuſto bello efficerentur ſerui capientium, id tamen abrogatum eſt apud Chriſtianos, in quorum bellis minime Chriſtiani à Chriſtianis capti eorum ſerui efficiuntur.* Bartol. in L. Hoſtes. ff. de capt. & Poſtliminio reuerſ. Salycetus in L. ab hoſtibus. C. de captiuis. Panormitanus in cap. Sicut. 3. de iureiurando. Martinus Lauden. in tract. de bello, q. 19. Nicolaus Boërius in deciſione 178. numero 2. Iodocus Damhauder. in practica rerum criminalium. cap. 82. numero 7. Couarruuias in reg. Peccatum, de regul. iuris, part. 2. §. 11. numero 6. & alij paſsim alibi. Prima pars notiſsima eſt ex LL. ff.

LL. ff. de captiu. & Poſtlim. reuerſ. L. Poſtliminium. L. Hoſtes, & alijs ibidẽ. Pro inſtructione maiore obſeruandũ iure gentium talẽ ſeruitutẽ inductã fuiſſe olim ad vitanda maiora mala. Victores enim cum nihil commodi, aut lucri ſperarent à victis & captis eos occidere ſolebant, & immaniſsimè tractare: Vt huic malo remedium adhiberetur moribus & legibus introducta fuit ſeruitus, & ſic deinceps victores captiuos non amplius occidere debebant, ſed vendere poterant. De hac materia latius Fernandus Vaſquius illuſtr. controuerſ. libro primo, capite nono pertractat. Nunc autem apud Chriſtianos moribus & conſuetudine receptum eſt, propter charitatem quæ omnibus in Chriſtiana religione vnitis communis eſſe debet, vt captiuitas non amplius inducat ſeruitutem.

Vndecima Concluſio. *Apud Chriſtianos capti in bello conſeruantur cuſtodiunturque, & pecunijs ſe redimunt, & ſic veniam recedendi ad ſuos obtinent.* Hæc concluſio probatur per doctrinam Baldi, Barthol. Pauli Caſtren. & aliorum in L. Nam & Seruius. ff. de negot. geſt. Et eam tradunt Andreas Alciatus in L. Hoſtes. ff. de verborum ſignificatione. Boerius, Damhauderus, Couarruuias locis cit. & alij recentiores in §. Item ea quæ ab hoſtibus. Inſtit. de rerum diuiſione. Hanc redemptionis pecuniam barbari Ranſonem, ſiue financiam appellant auctoribus Boërio & Damhauderio, &

græci λύτρον. Hæc pecunia regulariter eſt capientium niſi aliter inter duces & milites conuentum ſit: Si autem pecunia huiuſmodi redemptionis excedat decem milia, vtpote ſi quis cepit ducem, aut comitem, vel alium principem, aut baronem, tunc eſt principis. & ita ſeruatur in regnis Franciæ & Angliæ, & Hiſpaniæ vt teſtatur Boërius in d. deciſ. num. 4. *Dubium hic eſſe poteſt: An ſeruo facto ob captiuitatem in bello iuſto, ſiue iniuſto, liceat fugere ab hoſtibus, à quibus captus, habita oportunitate. Idem dubium eſſe poteſt apud Chriſtianos. An captiuus ab hoſte, fugere poſsit nullo dato pretio redemptionis.* Petrus Ancharanus, in reg. Peccatum, de regul. iuris, num. 13. & 15. & Franciſcus ab Aretio, in L. Qui à latronibus, col. 3. ff. de teſtament. putant Chriſtiano apud Saracenos & infideles capto, non licere ab eis fugere, niſi cogatur ad infidelitatem. Nec multum alienus videtur ab hac opinione Martinus Nauarrus in manuali confeſſariorum capite 17. numero 104. dum cenſet quod ſi Chriſtiani capiantur ab infidelibus, in bello iuſto, ſi fugiant, teneantur remittere pro redemptione aliquod precium & non in propria perſona redire, ob periculum ne peruertantur. Syluester in verb. Seruitus. q. 3. & Turrecrem. in can. Ius gentium, art. 4. ad 5. ſentiunt factos ſeruos in bello iuſto ſine peccato non poſſe fugere: cuius ſententiæ etiam videntur eſſe Gloſſ. & Hugo in d. c. Ius gentium.

Pro

Pro reſolutione ſit.

Duodecima Concluſio. *Siue quis captus ſit in iniuſto, ſiue in iuſto bello abſolutè poteſt fugere tam apud infideles, quam Chriſtianos, nec fugiendo peccat, nec quicquam reſtituere tenetur.* Concluſionem docent Dominicus Sotus quamuis dubitare videatur, libro 4. de iuſtitia & iure. q.2.art.2. Dominicus Bannes & Gregorius de Valentia, in 2.2. S. Thomæ. q. 40. art. 1. Didacus Conarruuias loc.cit. numero 60. & libr.1.variar. reſolut. cap.2. num.10. Vaſquius ind. cap.9. Concluſio probatur in primis ex §. Item ea quæ ab hoſtibus. Inſtit. de rerum diuiſ. vbi §. ſic habet: Item ea quæ ab hoſtibus capimus iure gentium ſtatim noſtra fiunt, adeo quidem vt & liberi homines in ſeruitutem noſtram deducantur, qui tamen euaſerint à noſtra poteſtate, & ad ſuos reuerſi fuerint, priſtinum ſtatum recipiant. Præterea talis ſeruus captus ab hoſtibus comparatur quadrupedibus & feris captis, vt tradit Vaſquius loc. d. poſt Hieron. Cagn. ff. de reg. iuris in L. ſeruus reipublicæ. num.1. per textum in L. 2. ff. ad L. Aquil. ſed fera quam primũ noſtris manibus elabitur, libera eſt, & ſui iuris L. Naturalem. ff. de acquir. rerum dom. §. Feræ. Inſt. de rerum diuiſ. Ergo. Deinde talis ſeruitus ſtatuta eſt iure gentium. Sed eodẽ iure approbatũ, ꝙ illi qui fugerint, dominũ ſuum, aut capientem, cenſeantur liberi, etiamſi nullum pretium reddant. Poſtremo vſu receptum eſt

inter omnes gerentes bella, quod nemo poſtulet aliquod precium à ſeruis & captiuis, qui fuga ſibi conſulunt. Argumentum in primis ſit pro contraria ſententia ex cap. Si quis ſeruum. 17. q. 4. & L. Si quis ſeruo alieno perſuaſerit. C. de furt. & ff. de ſeruo corrupto. per tot. tit. quibus iuribus cauetur vt conſilio, aut perſuaſione alienus ſeruus non inducatur ad fugam, & in d. can. Si quis, ex Concilio Gangrenſi, can. 3. id ne religionis & diuini cultus cauſa licitum aſſeritur his verbis: Si quis ſeruum prætextu diuini cultus doceat dominum contemnere proprium, vt diſcedat ab eius obſequio, nec ei cum beneuolentia & omni honore deſeruiat, anathema ſit. Reſpondetur inprimis quod dictæ LL. maximè Concilium Gangrenſe intelligantur de ſeruis emptitijs, qui emptione & venditione acquiruntur, & non de eis qui bello capiuntur. Non tamen alienum eſt à veritate canoné & leges generaliter intelligere etiam de ſeruis captiuitate bellica factis: cum nihil aliud probent, quã quod non licet cõſilio & auxilio eos ad fugam inſtruere; & non quod liceat ſeruis fugere ſi poſsint & velint. Non enim eſt par ratio in conſulente, & fugiente, hic enim habet vt pro ſua commoditate & libertate ius alterius reſpuat, & ſibijpſi conſulat. Ille autem conſulens non habet ius, vt in commodum vnius conſilium det in præiudicium alterius juſtè poſsidentis. Simile eſſe poteſt de reo cõ-
ſtituto

ſtituto iuſtè in carcere, qui etiam licitè poteſt fugere à carcere, non tamen poteſt alius id ei conſulere, vt Caietan. rectè obſeruauit. 2. 2. q. 69. art. 4. ad quintũ. & poſt eum Bañes & Valent. locis alleg. & alij alibi. Si quis dicat id quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro à nobis non debet auelli. L. Id quod noſtrum. ff. de reg. iuris. Vaſquius reſpondet illud procedere, quando irreuocabiliter id noſtrum eſſet; ſecus ſi reuocabiliter. Etenim dominium reuocabile à nobis ſine facto noſtro auelli poteſt, per text in L. Libello §. Si quis ſeruum. ff. de captiuis. Exemplum ſimile eſt in L. fin. §. Sin autem ſub conditione C. Com. de lega. & in L. 1. ff. de condit. cauſ. & alia dictus auctor ex LL. pro hac reſponſione adducit.

Decimatertia Concluſio. *Captus in bello, ſi iurauit, aut promiſit hoſti ſe non fugiturum; aut daturum pecuniam pro redemptione, tenetur ad implere promiſſum.* Hanc docent Theologi ſupra dicti locis cit. Couarr. in 4. de matrimonio. part. 2. cap. 3. §. 4. & alij alibi, in hac re non eſt dubium. Hoſti etiam ſeruanda fides in rebus licitis & honeſtis. 2. 2. q. 4. c. Innocens. & 23. q. 1. c. Noli. Hinc ab antiquitate cõmendatur Marcus Attilius Regulus conſul Romanus, qui ne frangeret fidẽ Carthaginenſib9. hoſtibus præſtitã, & iuramẽto firmatã de redeundo, maluit mortem oppetere, quam Romæ ſide fracta incolumis cum ſuis vitam degere & permanere. De hac re D. Auguſt. lib. 1. de Ciuitate Dei.

cap.

cap. 15. Iuriſconſultus in L. Poſtlimnij ff. de captiu. Liuius lib. 2. de bello punico. Cicero lib. 1. officior. & alij alibi. Dictum in concluſione, ſi iurauit, aut promiſit, quia fides & iuramentum quantũ apud Deum & obligationem ęquiparantur cap. Ad aures, Quod metus cauſa. & cap. Quærelam. Ne prælati vices ſuas. Anton. à Butrio & Ioan. Immolen. in d. cap. Quęrelã. Dominic. Geminian. in cap. 1. col. 1. de ſepult. in 6. Antõ. Corſetus in Rubr. de iureiur. q. 7. qui plura allegat ad hoc ꝓpoſitũ.

Decimaquarta Cõcl. *Immobilia bona quæ in iuſto bello iure belli capiuntur ab hoſtibus, pertinẽt ad principẽ bellum indicentẽ.* Hæc eſt cõmunis Theolog. & Iuriſperitorũ, & ꝓbatur per L. Si captiuus, §. fin. ff. de captiu. L. Diuus. ff. de iure fiſci. Bartol. in L. Si quid bello. ff. de captiu. Mart. Laudenſis in tract. de bello. q. 4. Alexan. & Iaſon alijq; in L. 1. ff. de requir. poſſeſ. Didacus in relect. cap. Peccatum. de reg. iuris. part. 2. §. 11. num. 6. Nicol. Boer. in deciſ. 178. incip. Primo præſuppono quod ſi rex Chriſtianiſſimus, & alij paſſim alibi. Nec recedunt Theologi ab his. Cum enim principes bellum ſua auctoritate indicant, ad vindicandam iniuriam & ſuis ſumptibus proſequantur, iuſtè eis immobilia conſeruantur & attribuuntur. An autem ciuitas bello capta, ſi in libertatem vindicetur recuperet ſua iura priſtina omnia tractat Franciſcus Hotomanus in lib. quæſtionum illuſtrium, q. 5.

Decima-

Decimaquinta Concluſio. *Ad parandam ſecuritatem, & vitandum periculum ab hoſtibus licet occupare & retinere aliquam arcem aut ciuitatem hoſtium neceſſariam ad noſtram defenſionem, aut tollendam hoſtibus occaſionem, vnde nocere poſsint.* Hanc ponit etiam Victoria in d. relectione de iure belli num. 55. & poſt eum iuniores.

Decimaſexta Concluſio. *Capta aliqua ciuitate, aliquando ex vrgentibus, & iuſtis cauſis poſſunt mutari magiſtratus, & ſuperiores.* Hanc etiam Victoria colligit num. 98. Sæpenumero contingit vt hoc neceſſarium ſit ad parandam ſecuritatem, vel ad cauenda pericula imminentia. Vere enim dictum eſt, hoſti reconciliato ne facile fidas. Concluſio eſt aperta. Si enim iure belli licet occupare ciuitatem: Ergo etiam licet tollere principatum & magiſtratum ſi neceſsitas poſtulet, aut rationabilis cauſa perſuadeat.

Decimaſeptima Concluſio. *In bello iuſto mobilia hoſtium bona capta efficiuntur de iure capientium & occupantium.* S. Thomas 2. 2. q. 66. art. 8. Ioan. Maior, in 4. d. 15. q. 20. Adrian. in 4. de reſtitut. §. Aggredior. Victor. Bannes, Caſtrē, & Couarr. locis cit. Angel. in verb. Bellum in princ. Sylueſt. ibidem. q. 9. Innocent. & alij DD. in cap. Sicut. 3. de iureiuran. Bartol in L. Hoſtes. & L. Si quid in bello. q. 4. Iaſ. in L. 1. ff. de acquiren. poſſeſ. Alberic. in L. Libertas. ff. de ſtatu hominū. Martin. Lauden. de bello q. 4. & alij paſsim alibi. Concluſio conſtat ex

cap.

derio locis cit. & alijs alibi. Ab hoc nomine ſuam denominationem ſumunt Freybeutert apud nos dicti; id eſt, impuniti latrones & graſſatores, vt rectè explicat doctiſsimus noſtræ Germaniæ Iuriſconſultus Andreas Gaill. in tract. de areſtis imperij; cap. 9. numero 12. vel eos ita appellare licet hoc nouo & ſplendido titulo; quia liberè die ac nocte vagando deprædantur & rapiunt bona quorumcunq; nec aliquis liber eſt ab eorum oppreſsione etiam in vijs publicis & prouincijs; quem inopia non excuſat, & ſi talis ab eis inuadatur & vacuus reperiatur vix ſine verberibus euadet, & manibus eorum elabetur, & horum impunitorum latronum & graſſatorum continuum nocturnum & diurnum exercitium non ſolum permittitur cum maximo imperij dãno, ſed etiam non ſine inclitę nationis Germaniæ magna infamia vt verbis prædicti auctoris vtar; & tales Freybeuteri digni ſunt omni ſuppliciorum genere & publica Imperij vindicta. Ad illam hominum colluuiem paſsim ſe recipiunt fèces militum, latrones ob facinora patriam relinquẽtes ſacrilegi in Eccleſiam, raptores, & quicunque apud ſuos ſcelerum cauſa pelluntur, in exilium mittuntur, & bannis arcentur. Ex hac concluſione conſequitur, quod aliquando in iuſto bello licitum ſit ad deterrendos hoſtes, vel ad accendendum militum animos, militibus ciuitatem dare in prædam, vt Syluester, in verb.

Bellum 1. q.10. Victor. & alij deducunt. Non tamen licitum eſt militibus ſine auctoritate principis, cuius mandato bellum geritur prędas agere, quia cum milites ſint tantum executores, & non iudices, ſententiam iudicis expectare debent.

Decimaoctaua Concl. *Res mobiles in bello iuſto capta ab hoſtibus, quæ tamen verum habuerunt dominum antequam hoſtes eum ſpoliauerint: an ſint reſtituendæ priori vero domino, vel efficiantur eorum, qui eas è manibus hoſtium abſtulerunt; problema eſſe poteſt.* Priori domino eſſe reſtituendas Ioan. Andr. in ſpeculo Rubr. de raptorib. Alexand. in L. Id quod apud hoſtes. ff. de leg. 1. Pirrhus ad conſuetudines Aurelianenſes in cap. incip. In L. apud hoſtes. Pro his eſt text. in L. Ab hoſtibus. C. de captiuis. §. Serui autem. Contrariũ vero non reſtituendas priori domino, ſed eas etiam effici capientium tradidere obſcurè Bartol. in L. Si quid bello. ff. de cap. & alij quidam. In eadem ſententia eſt Martinus Nauarrus lib. 5. conſ. in tit. de iniurijs. conſ. 2. idq; per LL. & iura quæ dicũt capta in bello effici capientium, de quibus ſupra, & pro hac opinione facit etiam text. in d. L. Si quid bello. Diſtinguunt quidã hoc pacto. Aut res captæ ab hoſtibus recuperantur ſtatim ab hoſtib. exiſtẽtibus adhuc in ꝑſecutione, necdũ intra caſtra & præſidia & ſic prima opinio veritatem habet. Aut ex interuallo poſtquam iam ſunt intra caſtra ſub cuſtodia hoſtium & tunc

poſterior obtinet ſententia. De hac diſtinctione Angel. & Salycet. in L. Ab hoſtibus. 2. C. de captiuis. Iaſon. in L. Poſſeſsio. ff. de acquirend. poſſeſs. Martinus Lauden. in tract. de bello. q. 7. Couarr. in reg. Peccatum. part. 2. §. 11. num. 8.

Decimanona Concl. *In iuſto bello milites capientes bona à latronibus ſiue prædonibus & pyratis, qui nulla publica poteſtate bellum gerunt, non efficiuntur capientium, ſed ſunt reſtituenda priori domino.* L. Hoſtes. L. Latrones. L. Poſtliminium. §. à pyratis. ff. de capt. His accedit quod res aliena eſt reſtituenda domino ſuo, cap. Si res aliena. 24. q. 6. & cap. Peccatum. de regul. iuris; & tales res nullo iure pertinebant ad tales prædones & pyratas ſed dominium penes priores dominos omni iure permanſit, & non eſt tranſlatum in capientes. Hinc colligitur quod milites quando prædam capiunt à graſſatoribus noſtris, quos Freybeuteros appellamus quam à miſeris ruſticis violentia acceperunt, tenentur ſuis dominis reſtituere; & non poſſunt ſibi retinere niſi pro derelictis talia bona habeantur. Quamuis multi contrarium faciant, & de nulla reſtitutione cogitent, tamen altiſsimus apud quem non eſt acceptio perſonarum ſuo tempore dignam mercedem operibus reddet.

Vigeſima Concluſio. *Quando bellum commodè*

geri poteſt abſq; ſpoliatione & damno agricolarum & aliorum innocentum non licet eos ſpoliare, eiſq; damnum inferre. Sylueſter in verb. Bellum. 1. q. 10. concluſ. 2. Victor. in relect. de bello, numero quarto & alij iuniores poſt eos. Ratio eſt quia bellum fundatur in iniuria. Ergo non licet iure belli vti in innocentes ſi aliunde poteſt recompenſari iniuria, ne pœna ſuos excedat auctores.

Vigeſimaprima Concluſio. *Licitum eſt innocentes apud hoſtes bonis & rebus expoliare, quibus hoſtium conatus fortior & validior redditur contra eum qui iuſtè bellum gerit.* Hanc etiam tradunt communiter Theologi allegati, nec eſt qui eam negare poſsit. Conſtat concluſio quia alias victoriam conſequi, quæ eſt finis belli, foret difficile & quaſi impoſsibile. Vnde vt Victoria loco cit. numero 39. in fine, & alij docent licet accipere pecunias innocentum, & comburere & corrumpere frumenta, & occidere equos, ſi ita opus eſt ad debilitandas hoſtium vires. Ex quo infert Victoria hoc corollarium, quod ſi bellum ſit perpetuum licet indifferenter expoliare omnes apud hoſtes tam nocentes quam innocentes: quia ex opibus ſuorum hoſtes alunt bellum iniuſtu, & contra debilitantur vires eorũ, ſi ciues eorũ ſpoliantur. Aduertendum tamen hac in re, ne ſit pro ratione voluntas, nec ira impediat animum, ne poſsit cernere verum; ſæpè enim mentitur iniquitas, & fingitur neceſsi-

ceſsitas potius liuore vindictæ quam amore iuſtitiæ.

Vigeſimaſecunda Concluſio. *Quando hoſtes nolunt reſtituere res iniuria ablatas, & iuſtè bellum gerens alia ratione non poteſt recuperare, licitum eſt vndecunq; ſatisfactionem capere ſiue à nocentibus ſiue ab innocentibus.* Hanc docet Victoria numero 41. concluſ. 3. & poſt eum Bannes & Gregorius de Valentia in 2. 2. q. 40. art. 1. Ratio eſt, quia tam nocentes quam innocentes ſunt partes reipubl. contra quam bellum geritur & eiuſdem ſuperiorem. Ergo quomodocunque licet repetere ab eis res iniuſtè ablatas.

Vigeſimatertia Concluſio. *Etſi abſolute liceat quandoque ciuitatem in prædam dare, aut incendio tradere, tamen communiter id fieri non expedit.* Prior pars traditur à D. Antonino 3. part. tit. 4. cap. 2. §. 2. Gabriel. in 4. d. 15. q. 4. Sylueſter in verb. Bellum 1. Victoria, Bannes, & Valent. locis cit. & alijs alibi. Hæc concluſio eſt intelligenda ita quod milites id proprio marte & auctoritate facere non poſsint, ſed tantum ex ordinatione & diſpoſitione principis iuſtè & maturo conſilio gerentis bellum. Alioquin ſi milites prædas agerent, & diriperent bona alicuius ciuitatis, contra imperium Principis non ſolum grauiſsimè peccarent, ſed etiam tenerentur ad recompēſationem omnium damnorum & reſtitutionem ablatorum & direptorum. Eadem eſt

ratio de incendio. Milites enim cum in his & ſimilibus non ſint iudices ſed tantum executores eorum, quæ rectè fieri poſſe princeps belli tanquam iudex decreuerit; executionem præponere ſententiæ nullo modo debent: Multo vero minus poſſunt huiuſmodi tentare & perficere contra voluntatem principis. Concluſio quantum ad primam partem, patet: quia huiuſmodi aliquando ſunt media neceſſaria ad obtinendum finem belli. Secunda pars, quam tenent Victoria, Bannes & alij recentiores, clara eſt ex maximis malis quæ ſolent ſequi prædas & direptiones generales, nec non incendia.

Vigeſimaquarta Concluſio. *Etiam in bello iuſtiſsimo haud licet graſſari & concutere iniuſtè tam ſubditos proprios quàm aliorum vicinorum principum, quos belli negotium non tangit.* Hæc concluſio paſsim ab omnibus Theologis & Iuriſperitis approbatur, nec in ea eſſe dubium poteſt, & probatur ex ſacris literis. Lucæ tertio. Milites etiam ad Ioannem veniebant dicentes. Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis neque calumniam faciatis: & contenti eſtote ſtipendijs veſtris. De quibus verbis Auguſtinus in ſerm. 19. de verbis DOMINI. Non militare delictum eſt, ſed propter prædam militare peccatum eſt. Nec rempubl. gerere criminoſum eſt: ſed ideò agere rempubl. vt rem familia-

miliarem potius aúgeas, videtur eſſe damnabile. Propterea enim prouidentia quadam militantibus ſunt ſtipendia conſtituta, ne dum ſumptus quæritur, præda graſſetur, & infra: Interrogauerunt eum & milites. Quid faciemus & nos? Ait illis Ioannes: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, ſed cótenti eſtote ſtipendijs veſtris. Hic iam ſe cognoſcere debet omnis homo qui militat. Non enim tantum de his militantibus ſcriptura loquitur qui armata militia detinentur, ſed quiſque militiæ ſuæ cingulo vtitur, dignitatis ſuæ miles aſſcribitur, atque ideo hæc ſententia poteſt dici: verbi gratia, militibus, protectoribus, cunctiſque rectoribus: Quicunque ſtipendia ſibi publicè decreta conſequitur, ſi amplius quærit, tanquam calumniator & concuſſor Ioannis ſententia condemnatur. Ratio etiam eſt euidens, graſſari, & concutere vel proprios aut vicinorum principum ſubditos eſt contra iuſtitiam & belli ius, quod verſatur circa iniuriam hoſtium. At tales ſubditi nullam fecerunt iniuriam principi qui bellum indixit. Ergo iure & iuſtitia exigente non poſſunt damnis affici. Ergo qui cótra faciunt tenentur preter grauiſſimum peccatum quod committunt, ad reſtitutionem damnorum. Hinc antiquitus ſi miles aliquid accepiſſet ab hoſpite, in cuius domo hoſpitio recipiebatur ſecundum leges puniebatur in 10.

libris auri ſecundum text. in L. Deuotum C. de metatis & Epidemeticis lib. 12. vbi in principio Lucas de Penna ait: quod illa lex pulchra & bona eſt, ſed ob neglectum iuſtitiæ, peccata prouincialium, & nequitiam militũ male ſeruatur. Quibus addere licet ea quæ idem auctor ibidem in L. Proſpectum, vbi militibus ſtatuitur quod in hoſpitijs, nec horribiles, nec ſuperbi, ſed humiles manere debeant, profert quod illam legem Teutonici & Neapolitani qui arrogantiam imitantur eorum peſsimè ſeruant. Et quod non modo à dominis ædium balnea poſtulant contra expreſſam diſpoſitionem illius legis, ſed etiam luminaria, confectiones, & quæcunque vtilia, nedum poſtulant, quin etiam rapiunt, & extorquent. Imo nunc in ſummo gradu obtinent quæ Damhauderius in rerum criminalium praxi cap. 82. numero 28. adducit quod iam tempore belli tum ruſticis tum bonis ciuibus paſsim nefanda inferuntur incommoda tam ab amicis quam ab hoſtibus, præcipuè in regionum finibus. Confecto vero bello non minora incommoda perferenda ſunt à noſtratibus militibus qui paſsim vel ob propriam inertiam, vel ob principum feram ſolutionem peragrare & ex rapinis viuere coguntur. Vnde fit, vt vbique audiatur ingens oppreſſorum clamor, opprimentium neceſſitate coactorum (ob non ſolutionem) iuſtæ interdum quærimoniæ, & ob principum ſe-

uera edicta, talium militum indebita ſuſpendia. Quid plura? Tum in bello tum poſt bellum vbique indigna audiuntur, miſerandaque rerum facies cernitur. Hæc ille. Quibus adiungo quod hiſce temporibus infœliciſsimis, quibus omnia ſurſum deorſumque ruunt, nulla fides pietaſque viris qui caſtra ſequuntur, nulla diſciplina militaris ſeruatur, nulla iuſtitia colitur, rapinæ, furta, adulteria, ſcortationes, ſacrilegia, pauperum, viduarum, pupillorumque oppreſſiones vbique in his bellis regnant, ruſtici in omnibus locis ſpoliantur æquè ab amicis, ſi amici ducendi ſunt, qui ſudorem & ſanguinem miſerorum vſque ad oſſa exſugunt, atque ab hoſtibus, vix differentia eſt, & hæc tam ab Italis, quam Gallis, Hiſpanis, & Germanis fiunt ſine vllo delectu (excipio Germanos in alpibus, quos Heluetios nominamus, qui vt cæteris ſunt ſimpliciores in moribus, & candidiores in conuerſatione, ita etiam ſunt obſeruantiores antiquæ diſciplinæ militaris, & humanitatis, nec ita inſolentes ſunt in ruſticos, aut genio in omni volupt ate indulgentes ſicuti reliquæ nationes quæ nunc caſtra ſequuntur.) Sane duriſsimum iudicium inſtat nunc belli auctoribus, ducibus, & anteſignanis quod nullus habetur reſpectus miſerorum ruſticorum & ſubditorum qui Chriſti membra ſunt, qui fratres noſtri, qui eiuſdem hereditatis nobiſcum participes;

ſæuiunt noſtri milites & inſolentiores ſunt in pauperes, quam æquum eſſet in Turcas ſæuire. Non humana ingenia ad inuenire potuerunt, ſed diabolica vafricies excogitauit, machinationes & dolos quibus extorquent belligerantes omnem pauperum ſubſtantiam, & emungunt etiam medullam. Quicquid inſolentiæ militum menti obijcitur, id tentare audent. Horrendum & inferno dignum factum quod ſuperioribus annis commiſſum in vicinis locis. Miles bene cibo potuque repletus ruſticum hoſpitem ſuum coëgit, vt inſtrumentum in modum cunarum ſibi aptaret, cui ſe impoſuit, ruſticoque imperauit, vt eum moueret volueretque tanquam infantem, & voluendo cantillaret, vt ſomnum capere poſſet. Sed res Deo diſponente ita diſpoſita fuit, vt dignas meritis perceperit pœnas, & ſomno ritè excitatus euigilauerit. Imo quod eſt contra prudentiam militarem, & rectam rationem milites ducum qui nunc bellum gerunt vt plurimum hoſtes non proſequuntur in terra hoſtium, ſed in propria ditione expectant, donec adueniant: Cum tamen vt docent Iacob. de S. Georgio in tract. Feudorum ſuper verb. Et promiſerunt eidem domino ſuo pręſtare, &c. col. 2. poſt Andream de Iſernia cap. 1. in tit. quibus modis feud. amitt. & Alphonſ. Guerrero in theſauro Chriſtianæ religionis, cap. 41. num. 16. dominus potius debeat traducere

exer-

exercitumſuum ad loca inimici quam pugnare in patria propria, vt inquiunt, faciunt veri duces belli qui potius volunt ire cum exercitu ad locum hoſtium quam pugnare in domo, & hoc faciunt vt confundant hoſtes; & eos retrahant ab obſidione vt fecit Scipio quãdo iniuit bellum contra Hannibalẽ. Nam duxit ſuum exercitum contra Aphricam, vt retraheret Hannibalẽ ab obſidione Romana & Italica. Sic illi DD. Sed hanc potiſsimũ rationem eius facti reddere poſſumus, vt potius terram hoſtiũ quam propriã, militibus deuaſtemus & exhauriamus. Quiſq; enim magis tenetur ſuis quam alienis conſulere. Si autem milites congregemus, foueamus, & enutriamus apud noſtros & amicos qui non ſunt cauſa belli, ſubditis noſtris damna inferimus, eorum ſubſtantiam conſumimus, & terram deuaſtamus, noſtras vires diminuimus, & aduerſariorum commoditati & vtilitati magis conſulimus. Quod quam ſit conuenientius iuri, æquitati & rei militari fœliciter expediendæ, etiam parum prudens facile capere poteſt. Atque vt res prout ſe habet, melius ante oculos cæcorum deducatur, vt ſi videre non poſsint præ cæcitate, ſaltem olfaciant naribus, aduertendum quod ratio bellorum quæ hoc tempore geruntur, perferenda eſſet, & perdurare poſſet, ſi homines eſſent ſpiritus & corporis expertes: Spiritus cum carnẽ & oſſa nõ habeant nõ indigent cibo corporeo,

nec

nec veſtibus quibus corpora noſtra teguntur, atque ab iniurijs aëris defenduntur. Atque ideo ſiue agri colantur, pecora nutriantur, agricultura exerceatur, ruſtici in pace & labore in patria conſeruentur, parum eorum intereſt: Quia cum omni ſubſtantia terrena ſunt ſuperiores, ab ea non dependent ſicut nec in eſſe, ita nec in conſeruari. At homines quam diu in hac vita militant, indigent cibo, potu, indumento, alijſque rebus, ſine quibus hæc vita non agitur. Si ergo militum noſtrorum inſolentiam, & perpetuam deuaſtationem ac deprædationem, quemadmodum paſſim fieri, oculis conſpicimus & manibus palpamus, agricultura exerceri non poſſit, aratra non ſint ſecura, ruſticorum ſubſtantia à militibus deuoretur, miſeri proprias ſedes relinquere cogantur, res pecuaria non curetur, ſed omnia deuaſtentur, quis modus viuendi? Equi & boues à militibus rapiuntur, nulla ſecuritas aratris exiſtit, ruſtici ſpoliantur omnibus bonis, ita vt nec artes nec agriculturam excolere valeant, & militiam continuare contendimus? Si equi & boues rapiuntur, quis aratrum trahet? Si vaccæ, oues & armenta auehantur, abigantur, & mactentur? Vnde carnes, lac, caſei & reliqua ad vitam neceſſaria ad victum & amictum? Si miſer ruſticus omnibus bonis denudetur, & è ſuis ſedibus pellatur, Tolle antecedens & conſequens non erit: Si non ſit qui laboret, nemo manducare po-

re poterit. Vnde cum talia mala quotidiana in noſtris bellis ſint, ob negligentiam diſciplinæ militaris, incuriam eorum qui militiæ præſunt, & inſolentiam militum, & bellum non cum creaturis corporum expertibus gerendum ſit, ſed cum hominibus qui rerum temporalium adminiculis indigent, conſpicimus bella noſtra haud proſperè procedere; fames, inediæ, peſtes, & morbi contagioſi, milites inuadunt, & tanquam beſtiæ frequenter moriuntur, antequam belli euentus videatur: Sæpius militia reſtauratur, miles de nouo colligitur & malè ſeligitur, priuſquam ad pugnam peruenjatur ob ſuſtentationis, aut ſolutionis defectum iterum diſſoluitur & nunquam finis belli obtinetur, plus prædæ apud domeſticos, quam victoriæ apud hoſtes, perpetuum bellum, & nulla ſpes pacis, quam omnes exoptamus, vt iam fere triginta annis experientia belli regij contra ſeditioſos ſubditos Belgij & aliarum inferiorum prouinciarum didicimus. Atque his illud addiderim antiquitus ob publicam vtilitatem & neceſsitatem in tanto honore fuiſſe agriculturā; quod legibus cautum fuerit, ne ob debita pignore caperentur boues aratorij, aut inſtrumenta ad agriculturam ordinata, neue quis tantæ audaciæ ſit, qui perſonas, boues aratorios, & agrorum inſtrumenta, inuadere, capere, aut cum violentia aufferre præſumeret, de qua re Conſtantinus in L. Executores. C. Quæ res

pignori

pignori obligari poſſunt, & ibidem eſt noua conſtitutio Federici Imperatoris pulchra; quæ ſic habet: Agricultores & circa rem ruſticam occupati, dum villis inſident, dũ agros colunt, ſecuri ſint quacunq; parte terrarũ, ita vt nullus inueniatur tam audax vt perſonas, boues & agrorũ inſtrumenta: aut ſi quid aliud ſit, ꝙ ad operam ruſticalẽ pertineat: inuadere aut capere, aut violenter aufferre prçſumat. Si quis autẽ huiuſmodi ſtatutum auſu temerario violare præſumpſerit, in quadruplũ reſtituat ablata, infamiæ notã ipſo iure incurrat: imperiali animaduerſione nihilominus puniẽdus. Sic conſtitutio, & in cap. fin. de Treuga & pace, ruſtici euntes vel redeuntes, vel in agricultura exiſtentes, & animalia quibus arant tẽpore belli cõgrua ſecuritate debent gaudere. Sed & Plinius lib. 8. cap. 45. naturalis hiſtoriç meminit quẽdã apud priores à populo Romano exilio mulctatum quod bouẽ aratoriũ occidi curaſſet tãquam colonũ ſuum intermiſſet: nec mirum cenſeatur tantæ curæ fuiſſe maioribus agricuturam; cum hinc mortaliũ vita dependeat; Nunc vero tẽpore belli nulla eſt cura de hac re, ſed milites, equites, & raptores ante omnia ſibi ꝓſpiciunt, vt capere, rapere & abducere poſsint equos aratorios, & hoc ſiue ſint in ꝓuincia amicorũ & eorũ, quos belli cauſa nõ tangit, ſiue in terra inimicorũ: nulli hominũ generi, qui nunc bella ſequuntur, magis inſidiantur quam ruſticis, & agriculturæ inuigilantibus

lantibus,eorũ ſanguine & ſubſtantia nunquá ſatis poſſunt ſatiari, & ideo cum homines hæc diſsimulent, ſæpè à Deo dira famẽ, peſte & alijs aduerſitatibus miſerè puniuntur.

Vigeſimaquinta Concl. *Milites ruſticos concutientes & eis dama inſolenter inferentes non excuſantur à peccato, & reſtitutione damnorũ, ob hoc quod ſtipendia eis non ſoluuntur, aut ſubtrahantur.* Hanc docét Caiet. in verb. Bellũ,& poſt eũ Aurea Armil. eodẽ verb. num. 12. & alij iuniores. Cõcluſio clara eſt. Quoniam bona ruſticorum,aut ciuium,aut aliorum quorumcunque non hoſtium, non ſunt militibus obligata aut yllo iure debita. Ergo non poſſunt rapere, aut poſsidere iuſto titulo. Præterea talia damna inferuntur contra iuſtitiam. Ergo non ſolum peccatum committitur, ſed etiam damni reparatio neceſſaria eſt ſub reatu peccati mortalis. Præterea etſi iniuriam pati non ſit peccatum, iniuriam tamen exercere iniquum eſt & damnabile: Vnde etſi militibus ſtipendia non dentur ex culpa, aut etiam iuſta cauſa,tamen non poſſunt ipſi alijs,qui culpa carent,damnum inferre. Nec diſsimulatio, aut auctoritas capitanei, vt bene Caiet.ait,aut principis excuſat,niſi in pœnã ruſticis aut ciuibus iuſtè inflictã hoc fieret: quoniã princeps debet ex ꝓuentibus, quos totus ſtatus ꝓportionabiliter tribuit, militib. ſtipẽdia ſufficiẽter tribuere,& nõ debẽt priuati vexari. Lex enĩ iniuſta eſt ex forma quę nõ ſecudũ ꝓportiõnẽ

grauat

grauat populum. Si tamen probata conſuetudo obtinuit, vt ligna & paleas militibus hoſpites gratis tribuant, non damno: quaſi enim ſorte quadam contingit ob hoc quaſdam terras ſeu villas præ alijs grauari. Sic Caietanus.

Vigeſimaſexta Concluſio. *In bello iuſto pro rebus tantum repetendis moto, licet recuperare non ſolum res perditas, ſed etiam damna & expenſas belli ab hoſtibus.* Hanc docent Gabriel in 4. d. 15. q. 4. art. 2. concluſ. 2. Syłueſt. in verb. Bellum. 1. q. 9. concluſ. 5. Victor. in relect. de bello à numero 16. & alij: Ratio manifeſta eſt, quoniam propterea geritur huiuſmodi bellum; & hoſtes tenentur de iure ad reparationem & reſtitutionem iniuſtè ablatorum cum damno & intereſſe. Vnde ſi quid plus accipiatur, naſcitur obligatio reſtitutionis. Quia qui plus capit, quam ſibi ſit debitum, iniuſtè facit. Dictum (pro rebus tantum repetendis) quia quando etiam pro iniuria intentatur, iuſtum gerens bellum in pœnam iniuriæ plus poteſt repetere.

Vigeſimaſeptima Concl. *Qui iniuſtũ gerit bellum tenetur ad reſtitutionẽ & reparationẽ omniũ ablatorum & damnorum illatorum.* Hanc concluſionẽ tradunt S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 8. S. Antoninus in 3. part. tit. 4. cap. 2. §. 1. Summiſtæ in verb. Bellum. Gabriel, loc. cit. Maior, in ead. d. q. 20. Adrian. in 4. in tract. de reſtitutione §. Aggredior caſus ſpeciales, Innocen.

in cap.

in cap. Sicut dignum de homicidio. Petrus Ancharanus in reg. Peccatum, de regul. iuris in 6. numero 13. & alij paſsim, nec eſt qui diſſentiat. Ratio in promptu eſt. Quia ita bellum gerens contra iuſtitiam proximo ſua rapit, & damnum infert. Ergo de neceſsitate ſalutis eſt reſtituere ablata & damna reparare, vt probatum eſt in Rubr. Eadem eſt ratio de militibus, qui ſciunt, aut ſcire debent bellum eſſe iniuſtum.

QVAESTIO TERTIA.

An Princeps damna tempore belli ſubditis illata, remittere poſsit?

HAEC QVAESTIO tam à Theologis, quam Iuriſperitis attingitur, ideo hoc loco, quem reſpicit pertractanda eſt: quæritur autem de damnis illatis ſubditis, quia vt præſupponitur, princeps cum nullam habeat poteſtatem & iuriſdictionem in alienos, non poteſt aliquid ſtatuere de damnis datis alijs ſubditis, niſi quod iuſtum eſt, & iuris, videlicet vt damnorum iniquè illatorum fiat digna reparatio.

Prima Concluſio. *Quando compoſitio, & damnorum remiſsio fit cum voluntate & conſenſu ſubditorum, res omni culpa & ſcrupulo caret.* Hæc elicitur ex eis quæ DD. de hac re ſcribunt, de

quibus in ſequentibus. Et ratio eſt clara. Quiſquis enim cum ſit dominus rerum ſuarum, poteſt liberè remittere iniurias & damna ſibi illata, ſicutetiam poteſt donare.

Secunda Concluſio. *Quando ſine neceſſitate ob aliquam priuatam commoditatem & vtilitatem, aut affectionem princeps in compoſitione remitteret iniurias & damna tempore belli illata ſubditis, non eſſet ſtandum tali conpoſitioni: nec ab obligatione liberarentur qui iniuſtè damna intulerunt.* Hanc concluſionem docent S. Antoninus 2. part. tit. 2. cap. 4. §. 2. Angelus in verb. Bellum. numero 14. Syluester in eod. verb. 1. q. 12. Aurea Armilla ibidem numero 17. Gabriel. in 4. d. 15. q. 4. art. 3. dub. vltimo. Adrianus in 4. de reſtitution. §. Aggredior. verſ. Quinto dubitatur. Hoſtienſis in ſumma de pœnitent. & remiſs. §. quibus & qualiter. verſ. Sed pone quod guerra. Innocent. Ioan. Andr. & alij in hoc cap. Ancharanus in regula, peccatum, de reg. iuris in 6. num. 18. & ex recentioribus Vlricus Zaſius in Apologia cõtra Ioannem Eckium. Fernandus Vaſquius illuſtr. controuerſ. libro 1. cap. 4. numero 11. Andreas Gaill. practic. obſeruat. lib. 2. obſeruat. 57. numero 6. & alij alibi. Quoniam princeps non poteſt ex priuata cauſa alteri ius ſuum auferre, nec in præiudicium priuatorum componere. Quia etiam quando princeps ex plenitudine poteſtatis vult auferre dominium alicuius rei, id fieri debet ex cauſa quæ publicam vtilitatem prin-

principaliter reſpiciat. Felinus in c. Quæ in Eccleſiarum. de conſtit. col. 10. Paulus Caſtrenſis in conſilio 178. incip. Donatio prædicta, & in conſilio 287. incip. Primum dubium, ad finem primi libri. Iaſon. in L. Barbarius. ff. de offic. Prætoris. Decius in conſilio 361. col. penult. Aymo Crauetta in conſilio 5. numero 4. Eadem eſt ratio, ſi princeps ſine neceſsitate, quando aliter fieri poſſet, componeret, & damna remitteret.

Tertia concluſio. *Quando eſt neceſſarium pro pace publica conſequenda & conſeruanda principes remittere iniurias, damna, prædaſq; hinc inde factas poſſunt etiam ſubditis non conſentientibus.* Hanc docent omnes DD. pro ſecunda allegati, & Baldus Angel. Alexand. Paulus Caſtren. Iaſon. & alij in L. conuentionum. ff. de pactis, & idem Iaſon in L. Venia. C. de in ius vocand. Angel. in L. Venditor. §. Si conſtat. ff. Communia prædiorum, Alexand. in conſ. 94. incip. Viſis & ſæpius recenſitis. lib. 5. Ancharan. in conſ. 106. incip. Viſo diligenter tenore. Decius in conſil. 520. incip. In cauſa Piſtorien. perſcrutatis verbis, num. 5. Mynſing. obſer. 9. centuria 4. & alij alibi, atque hæc eſt communis opinio, vt Decius in d. conſ. & poſt eum Iulius Clar. lib. 5. ſentent. §. fin. q. 59. num. 3. atteſtantur, & probatur cõcluſio ex hoc cap. & ex d. L. Conuentionum. ff. de pactis, quæ iura DD. ad propoſitum adducunt. Ratio etiam eſt. Quia quando pax Reipubl. neceſ-

ſaria aliter haberi non poteſt, niſi interueniat principum hinc inde mutua iniuriarum & damnorum, quæ ſubditis propter bellorum tumultus contigerunt, remiſsio, tunc principes bellum gerentes tanquam vtiliter procurantes negotia ſubditorum ad euitanda maiora mala imminentia ex bello poſſunt componere, & de remittendis omnibus iniurijs, damniſque natis fauore publicæ vtilitatis, quæ in tali caſu etiam redundat in priuatorum vtilitatem & ſalutem conuenire. Sicut enim belli mala redundant in detrimenta ſingulorum membrorum in repub. vbi bellum geritur: Ita pacis bona in ſingula capita reipub. deriuantur. Principes igitur penes quos eſt poteſtas bellum indicendi, atque etiam pacem ineundi, ſi ad eum finem omnino neceſſarium iudicent, belli iniurias atque damna vltro citroque illata remittere & recompenſare iure gentium poſſunt. Intelligenda igitur concluſio de iniurijs & damnis tempore belli datis. Quia vt Vaſquius loco cit. declarat ſi tempore pacis, exempli gratia, homo fortaſſe Hiſpanus homini Gallo, vel ex diuerſo loco iniuriam prædamque feciſſet, licet poſtea bellum eſſet ortum, ac deinde fœdere icto per principes prædæ hinc inde à priuatis inter ſe factæ remiſſæ eſſent, non intelligerentur remiſſæ, quæ non iure pacis tempore factæ fuerant, neque remitti poſſent abſque

eo quod damnum paſsis recompenſatio fieret: Vel ipſi damnum paſsi poſſent ius ſuum perſequi contra violentos coram ſuis iudicibus, vel principibus, & ita vſus obſeruat arg. L. item ſi verberatum. ff. de rei vendic. L. Id quod noſtrum. ff. de regul. iuris. L. iure naturæ. L. Secundum naturam eod. tit. &c. Sic ille auctor. Hæc Concluſio locum etiam habet in rebuſpublicis perfectis aut ciuitatibus liberis quæ poteſtatem habent bellum indicendi, vt per hoc cap. probatur. Huiuſmodi enim reſpublicæ & ciuitates iuxta communem DD. ſententiam in ſua ditione & territorio iura principis habent. L. prohibere. §. Planè & ſeq. ff. Quod vi aut clam. Bartol. in L. Infamem, numero 14. ff. de public. iudic. Alexand. in L. Si ſe non obtulit. numero 4. ff. de re iudic. Iaſon. in L. Barbarius, numero 27. & ſeq. ff. de officio prætor. Decius in conſilio 534. numero 2. incip. Procedendo breuiter. numero 2. & dicit communem eſſe opinionem. Roman. in conſil. 456. incip. In propoſito caſu. Ioannes Andreas in addition. Specul. in titul. de inſtrumen. edit. §. Porro. Panormitanus in cap. Quæ in Eccleſiarum, numero 6. de conſtitut. & in conſilio 107. incip. Placet mihi, in princip. libr. 1. & alij alibi.

Quarta Concluſio. *Principes ſeculares in huiuſmodi compoſitionibus & pactis, non poſſunt relaxare,*

& remittere iniurias deprædationes, & damna illata Eccleſiis & clericis. S. Anton. Angelus, Sylueſter, Gabriel. locis cit. & communiter Summiſtæ. Ratio eſt. Quia principes ſeculares poſſunt tantum diſponere in caſu neceſsitatis de damnis & iniurijs ſubditorum. At Eccleſiaſtici & eorum bona non ſubſunt iuriſdictioni, & diſpoſitioni ſecularium 96. d. cap. Bene, & c. Quæ in Eccleſiarum; de conſtitut. Quando autem talis eſſet neceſsitas, ad hoc requirendus eſſet conſenſus prælatorum Eccleſiæ, vt publica exiſtente neceſsitate & communi ſuadente vtilitate, communem præſtarent conſenſum ad faciendam talem remiſsionē. Alias remiſsio damnorum & iniuriarum non eſſet in conſcientia tuta & valida.

QVARTA QVAESTIO.

An licitum ſit damna illata & iniurias acceptas per repræſalias repetere?

PRo tituli intelligentia obſeruandum nomine repræſaliarum à vulgo, intelligi pignorationes aut perſonarum, aut rerum quando videlicet vnus pro alio, aut res vnius pro re alterius capitur. Vel clarius: Repræſaliæ dicuntur quando perſona aut res auctoritate principis, aut reipublicæ, ſiue ciuitatis liberæ non recognoſcentis ſuperiorem pro recompenſatione damni, aut iniuriæ datæ apprehen-

prehenditur, ex cap. vnico, de iniurijs libro ſexto, & DD. ibidem, & Summiſtis, in verbo Repræſaliæ. Vocantur autem ſecundum quoſdam repræſaliæ à re & præhendo, quaſi iteratæ appræhenſiones, vt cum quis appræhendit res alienas illius, qui appræhenderat ſuas. Vel ſecundum alios repræſaliæ quaſi repredationes: Hoc autem nomen repræſaliarum duobus modis accipitur. Vno modo pro ipſa actuali appræhenſione. Alio pro literis ſiue auctoritate conceſſa reapprehendendi. Vſum autem repræſaliarum ab antiquis prodijſſe poſt Budæum in annotationibus ad L. Aut facta. §. Euentus. ff. de pœnis obſeruant Didacus Couarruuias in regul. Peccatum. parte ſecunda §. 9. numero 4. Andreas Gaill in libro de pignorationib. obſeruatione 2. & alij recentiores. Vnde Budæus aſſerit: Moris antiquiſsimi fuit, vt qui cædem perpetraſſent, ſi in externam vrbem profugiſſent, ad pœnam expoſiti non dederentur eis, ad quos facinus admiſſum pertinebat: ipſis vt permitteretur iniuriam paſsis pignorandi poteſtas quam androlepſiam græci appellant, & talis lex erat de hac re apud antiquos, vt Demoſthenes in oratione contra Ariſtocratem refert: Si quis violéta morte obierit, pro hoc gentilibus & cognatis androlepſiæ ſunto, quo ad iudicium cædis, pœnaſque ſubierint: vel necis authores dederint. Androlepſia vero

ad tres vſque, nec eo ampliuseſto, hæc lex. Androlepſia igitur appellatur pignoratio hominum: & latinè dici poteſt ſecundum Hermolaum Barbarum clarigatio, à verbo clarigo. Eſt autem clarigare clarè repetere res raptas, & bellum indicere. Romani enim, vt ex Liuio, Plinio & alijs colligitur, quando bellum alicui indicere volebant, Feciales mittebant, qui bellum clarigabant, id eſt, clara voce indicebant, niſi res iniuſtè ablatas reſtituerent, aut pro iniuria illata ſatisfactionem dignam offerent. Repræſaliæ autem hiſce temporibus conceduntur, ſi quis damna, aut iniurias quaſcunque graues intulerit in aliena republica, & iniuriatus, aut damnum paſſus non poſsit in republica cui ſceleſtus ſubijcitur reparationem obtinere, & iuſtitiam conſequi, accedit propriæ reipub. gubernatorem ſupremum, aut domicilij ſui principem, petendo ab eo poteſtatem appræhendendi alterius reipubl. cuius membrum eſt, qui iniuriã intulit, & à cuius principe iuſtitiam habere non poteſt, perſonas aut res, donec de iniuria & damno ſatisfactum ſit. Vt autem repræſaliæ licitæ ſint, & ſine iniuria permittantur, multa in eis conſideranda ſunt, de quibus clarè conſtabit in ſequentibus concluſionibus.

Prima Concluſio. *Repræſaliæ aliquando licitæ ſunt, & ſine iniuria exercentur.* Concluſio hæc eſt communis Theologorum & Iuriſperito-

ſitorum & eam tenent D. Anton. in 3. part. tit. 4. cap. 4. Angelus, Sylueſter, Aurea Armilla, Caietanus & alij in ſummis in verb. Repræſaliæ. Gabriel. in 4. ſentent. d. 15. q. 4. art. 3. dub. 2. & ſequuntur iuriſperiti, Dominicus Geminianus, Franciſcus Ancharanus, & alij in d. cap. Vnico. de iniurijs in 6. Bartol. in tractat. repræſaliarum. Baldus in Auctent. Sed omnino, C. ne vxor pro marito. Salycetus ibidem. Alexand. in Rubr. ff. Solut. matrim. numero 9. Roman. in conſilio 169. incip. Magiſter Paulus. numero 2. Iacobus de Canibus latè in tract. repræſaliarum in d. cap. 1. de iniurijs in 6. qui tractatus inſeritur ſecundo volumini Oceani iuris, & alij paſsim alibi. Atque inprimis ab omnibus iuſtitia repræſaliarum probatur ex auctoritate D. Auguſtini q. 10. ſuper Ioſue, quæ refertur à Gratiano 23. q. 2. cap. Dominus, vbi vt etiam quando cauſas belli adduximus, ſignificauimus, iuſta bella definit: cum ait: Iuſta bella ſolent definiri, quæ vlciſcuntur iniurias, ſi gens vel ciuitas plectenda eſt, quæ vel vindicare neglexerit, quod à ſuis improbè factum eſt: vel reddere quod per iniuriam ablatum eſt. Atque hæc Auguſtini verba allegantur à D. Thom. 2. 2. q. 40. art. 1. Qua occaſione antiquiores & etiam quidam recentiores merè iuriſperiti ex D. Thoma comprobant iuſtitiam repræſaliarum: Cum tamen S. Thomas in genere de bello loquatur,

Poteſt autē hoc modo ex prædictis D. Auguſtini verbis formari argumētum. Repræſaliæ ſunt quoddam bellū particulare vt D. Anton. & alij rectè dicunt, ſed bellum licitè infertur quando princeps aut ciuitas vindicare neglexerit quod à ſuis improbè factum eſt, aut reddere quod à ſuis per iniuriam ablatum eſt, iuxta doctrinam D. Auguſtini d. cap. DOMINVS* inſertam & à D. Thoma omnibuſque alijs merito approbatam. Ergo & repræſaliæ licitè & iuſtè inferuntur, quando princeps aut ciuitas, vel reſpublica aut negligit, aut non curat vindicare iniuriam illatam, aut quod iniquè ablatum eſt, reſtituere. Aliud argumentum etiam ex ſacris literis format Iacobus à Canibus parte prima, numero 14. Scriptum eſt. Ezechielis 10. & Matth. 21. & tranſſumptiuè 27. q.3. cap.2. & 13. q.3. c. ipſe ligandi, & cap. Significauit, de offic. ordin. quod regimen auferri debet poteſtati delinquenti, & dari genti facienti iuſtitiam, probat exemplis ſcripturæ. Peccato ciuium theſauri Hierico anathematizati leguntur Ioſue 6. Peccato Amalechitarum animalia eorum iuſſa ſunt interfici. 1. Regum 15. Item peccato AEgyptiorum poſſeſsiones eorum grandini traditæ, &c. Exod. 9. & 12 Item peccato Iſraelitarum arca DOMINI Philiſtæis tradita eſt. 1. Regum 4. &c. Item exempla non deſunt, vbi perſonæ propter peccata aliorum punitæ ſunt. Pro peccato filiorum Heli populus in

manus

manus Philiſtinorum corruit 1. Regum 4. Peccato Dauid qui populum numerauit, gladius DOMINI deſeuit in pauperes 2. Regum 24. & propter peccatum Sodomitarum ignis deſcendit etiam in paruulos. Geneſ. 19. Et alia exempla ad idem propoſitum habentur ibi, & 1. q. 4. §. Item peccato. Ergo quando iudex negligit facere iuſtitiam ab ipſo auferri poteſt poteſtas & tradi alteri qui faciat per repræſalias etiamſi vnus patiatur in perſona vel rebus propter alterius peccatum.

Secunda Concluſio. *Ad iuſtum repræſaliarum vſum requiritur authoritas principis, aut poteſtatis liberæ.* Hanc Concluſionem omnes DD. amplectuntur, vt etiam Bartol. in tract. repræſaliarum. q. 1. atteſtatur. Ratio ex prędictis clara eſt. Repræſaliæ ſunt quædam ſpecies belli. At vt in ſuperioribus probatum exiſtit, nemo iuſtè bellum indicere poteſt niſi princeps, aut poteſtas, vel reſpublica, quæ fungitùr iure & pòteſtate principiș. Ergo.

Tertia Concluſio. *Antequam princeps decernat repræſalias, pro adminiſtratione iuſtitiæ debet requiri iudex & princeps illius ſubditi, qui iniuriam aut damnum intulit læſo.* Hanc etiam docent communiter DD. Antonin. Angel. Syluest. Gabr. Bartol. Iacob. de Canib. & alij, & ratio etiam clara eſt. Nemo enim poteſt conqueri de denegata iuſtitia, qui iudicem pro eius adminiſtratione non requiſiuit. Vnde antequam repræſalijs ſit locus, læſus hunc ordinem meritò ſerua-

ſeruare debet, vt in primis adeat ordinarium loci iudicem iuſtitiamque ſuam proponat, ſi hic autem neglexerit, aut iniuſtè ſuſpendendo negotium moram fecerit: aut etiam per ſententiam grauiter læſerit, tunc iudex ad quem appellatio deuoluitur, adeundus eſt, & ab eo iuſtitia poſtulanda: quod ſi & hic ſimiliter ſicut prior officium ſuum non impenderit, tunc conuenit adire ſupremum iudicem ſcilicet principem, qui toto pectore incumbere debet, vt ſuis prouincijs & ditionibus iuſtitiæ locus ſit, nec iudices permittant eandem pedibus conculcari: Si autem princeps requiſitus etiam non curauerit pro iniurijs & damnis iuſtitiam decerni, & debitam executionem expediri: tunc proprius princeps pro decreto repræſaliarum inuocari poterit.

Quarta Concluſio. *Principi proprio, vt rectè & iuſtè decernere in hac re valeat, in primis proponenda clarè & verè oſtendenda eſt iuſtitia cauſæ, ob quam concedendæ repræſaliæ.* Hanc docent etiam communiter DD. allegati & rectè Iodocus Damhauderius in praxi rerum criminalium cap. 98. numero 11. vbi hanc materiam benè breuiterq; perſtringit. Ratio etiam in promptu eſt. Cum in re graui, quæ de facili perturbationem & ſcandala generare poſſit, ſententiam proferre debeat & ſupplere negligentiá aliorum iudicum, non debet tanquam cæcus de coloribus iudicare, ſed certò & euidenter

denter ſtatum cauſæ cognoſcere.

Quinta Concluſio. *Repræſalia iure conceduntur ob iuſtitiam denegatam à iudice loci.* Hanc tradunt etiam communiter DD. Bartol. in d. tract. q.1. & in L. Nullus C. de Iudæis, Baldus, Salycetus & alij in Auctent. Et omnino C. ne vxor pro marito. Angelus in Auctent. Vt clerici apud proprium Epiſcopum, prope medium. Roman. in d. conſil. 169. Iacobus de Canibus de repræſalijs 1. part. numero 20. & ſeq. Couarruuias, & Gaill. loc. cit. & alij alibi. Hæc concluſio probatur ex d. cap. Dominus & Auguſtini doctrina, quam in prima concluſione allegauimus. Eadem eſt ratio ob retardatam iuſtitiam & moram commiſſam ſecundum Baldum in c. 1. col. 1. de milit. vaſallo qui contumax.

Sexta Concluſio. *Repræſaliarum conceſſio vltimatè reſoluitur & tanquam in radicem deducitur in iniuriam acceptam, aut damnum datum.* Hanc docet Iacobus de Canibus loco cit. numero 37. & in virtute omnes tradunt, nec negari poteſt, ex dicto cap. Dominus, aperta eſt, quando dicitur, quæ vindicare neglexerit, quod à ſuis improbè factum eſt: vel reddere quod per iniuriam ablatum eſt.

Septima Concluſio. *Repræſaliæ non ſunt admittendæ propter leuem iniuriam, & modicam rerum iacturam, ſed ob grauem læſionem, & magnum damnum.* Hæc eſt etiam communis D. Antonini, Angeli, Syluestri, Gabrielis, Bartol. Baldi. Iacobi

Iacobi de Canibus & aliorum. Ratio redditur. Repræſaliæ ſunt remedium ſubſidiarium, & ſic odioſum, quod pro re modica & leui non eſt adhibendum, nec admittendum, arg. L. Scio. ff. de in integrum reſtitut. & L. Si oleum. §. fin. ff. de dolo. His accedit, quod vſus repræſaliarum communiter excitat tumultus & ſcandala in republ. quibus princeps minime anſam præbere debet, argum. L. Nam ſalutem. ff. de offic. præfect. vigil. & §. 1. de pace tenend. & iurament. firmand.

Octaua Concluſio. *Executio repræſaliarum debet fieri ſecundum tenorem commiſsionis quæ decernet, vt per ſeipſum impetrans repræſalias poſsit exequi, & apprehendere perſonam, aut res alterius: aut per ipſius concedentis in loco officiarios.* Et hoc poſtremum æquitati & iuri conuenientius; Cum vnicuique interdicta ſit propria vindicta L. Scientiam §. Qui cum aliter ff. ad L. Aquiliam. L. meminerint, & L. Si quis in tantam. C. Vnde vi. Hæc concluſio colligitur ex S. Antonino poſt Ioannem à Lignano in tract. repræſaliarum, Syluestro in eod. verb. q. vltima. Bartolo. Iacobo de Canibus & alijs. Eodem modo cenſendum eſt de rebus captis per repræſalias, aut remanebunt penes iudices: aut apud impetrantem, prout forma literarũ præſcripſerit. Si autem in his caſibus in literis nihil expreſſum eſſet, ſtandum eſſet ei quod æquius & iuri conformius eſt, nempe vt exe-

cutio fieret per officiarios & iudices concedentis repræſalias, & res captæ præſentarentur eiſdem, vt taxato damno, traderent damno & iniuria affectis.

Nona Concluſio. *Per executionem repræſaliarum non debet plus acquiri ab impetrante quam fuerit damnum datum cum ſuo intereſſe.* Hanc tradunt etiam communiter DD. Antoninus, Gabriel, Angelus, Sylueſter, Bartol. & alij. Ratio etiam euidens eſt. Repræſaliæ impetrantur & conceduntur ad reparationem damni, & reſtitutionem rerum iniuſtè ablatarum. Facta ergo reparatione damni, & rebus ſuis acquiſitis ceſſat origo & fundamentum repræſaliarum. Ergo quicquid vlterius acquiritur iniuſtum eſt, & reſtitutioni obnoxium, vt DD. fatentur.

Decima Concluſio. *Etſi per repræſalias licitum ſit apprehendere res etiam innocentis, aut etiam eius perſonam capere, modo ſit ſubditus principis, contra quem impetrata ſunt, quando nocens haberi non poteſt; nunquam tamen licitum foret pœna corporali mulctare innocentem pro culpa nocentis.* Primam partem video, vt plurimum concedi à DD. quamuis quidam negent de appræhenſione perſonæ, tamen eorum ſententia merito reijcienda. Cum enim repræſaliæ ſint quodam bellum contra principem, aut rempublicam negligentem reddere iuſtitiam, & omnes ſubditi tam innocétes quam nocentes ſint membra talis reipub. omnes poſſunt capi

per

per repræſalias: tamen vt pœna nõ excedat ſuos auctores, quando poſſent haberi culpabiles, aut eorum bona, nó eſſent aliquo damno afficiendi innocentes. Quantum etiam ad ſecundam partem ſpectat, certiſsima concluſio eſt quod innocens non debet pœnas luere in corpore pro alio qui reus eſt, vt ſcriptura ſatis indicat: Deuteron. 24. Non occidentur patres pro filijs, nec filij pro parentibus, ſed vnúſquiſque pro peccato ſuo morietur. Et Exod. 23 Inſontem & iuſtum non occides. Et ita docent S. Auguſtin. in lib. quæſt. q. 8. ſuper Ioſuæ. Alexand. Alenſis. 3. part. q. 41. memb. 4. art. 1. S. Thom. 1. 2. q. 87. art. 8. & clarius 2. 2. q. 108. art. 4. ad ſecundum allegando Auguſtinum in loc. cit. Ioan. à Turrecremata in cap. Vndecunque. 56. d. Alphõſus Caſtrenſis libro 2. de iuſta hæret. punitione, cap. 11. prope finẽ. Barthol. Medina in 1. 2. S. Thomæ. in d. art. 8. Couarruuias libro ſecundo variarum reſolut. cap. 8. numero 1. & alij alibi, & communiter eandẽ amplectuntur ſententiam iuriſperiti, dum tractant poſſe quem ſecundum ſtatutum puniri pœna pecuniaria ob crimen alterius non autem pœna corporali affici. Gloſſ. in Rubr. de decr. decur. lib. 10. Bald. in L. 1. C. Ne filius pro patre, & in L. Seruum. §. Publicè. ff. de procuratoribus. Alexand. in L. Sæpè, numero 10. ff. de re iudic. Ioan. ab Anania in cap. 2. de delictis puerorum. Felin. & Decius in cap. 2. de conſti-

conſtitut. Vaſquius illuſt. controuerſ. lib. 3. cap. 96. num. 13. & hæc opinio communis eſt, vt atteſtantur. Anan. in d. cap. 2. Iaſon in au-ćtent. Nouiſsima, col. 3. C. de inofficioſo teſtamento. Couarruuias in d. capite 8. numero 7. Iulius Clarus libro 5. ſentent. §. fin. q. 86. numero 4. & alij alibi. *Duæ hic obſtant difficultates. Prima* ex ſacris literis quæ apertè docent DEVM iuſtiſsimum quandoq; pœna mortis innocentes affeciſſe propter culpam nocentium. Dauidis puer ex illicito coitu natus ob parentis peccatum à DEO extinćtus eſt. 2. Regum cap. 12. Et in Sodoma & Gomorrha paruuli cum adultis igne periérunt ob immanitatem ſceleris. Geneſ. 19. Et propter crimen filiorum Heli populus manibus Philiſtinorum proſtratus eſt. 1. Regum 4. & alibi ſimilia exempla habentur. Ad hanc difficultatem D. Auguſt. reſpondet. q. 8. ſuper Ioſue in cap. 7. per hunc interrogationis modum. An aliud iudicantibus hominibus eſt præceptum, ne quenquem pro alio puniant; & DEI iudicia non ſunt eiuſmodi qui alto & inuiſibili conſilio ſuo nouit, quatenus extendat etiam temporalem hominum pœnam ſalubremque terrorem? Viſibiles igitur afflićtiones hominum ſiue mortes, quoniam his quibus ingeruntur, & obeſſe & prodeſſe poſſunt, nouit DOMINVS in occulto prouidentiæ ſuæ, quemadmodum quibuſque iuſtè diſpenſet, etiam cum aliorum peccata in

alijs videtur vlciſci. Pœnas vero inuiſibiles quæ non niſi nocent & prodeſſe non poſſunt, ita nullus DEO iudice pro alienis peccatis luet: Sicut homine iudice nullus niſi pro ſua culpa iſtas viſibiles luere debet. Deinde breuis ad difficultatem reſponſio redditur, quod DEVS eſt auctor vitæ & mortis, vnde etſi hominem innocentem ob cauſam nobis occultam, ſuæ inſcrutabili ſapientiæ certam occidat, aut mandet occidi iure ſuo vtitur. Humanum autem iudicium in hoc non poteſt imitari diuinum factum innocentem occidendo pro culpa alterius: tum quoniam in tali caſu vita innocentis ei non ſubijcitur: tum quia non licet hominibus diuina iudicia imitari niſi quando ex manifeſtis cauſis procedunt. Si autem DEVS procedat ex ſecretis nobiſque incognitis cauſis admirandum eius iudicium non imitandum: cum hominibus ignotum ſit quid expediat. Vnde naſcitur quod nulla humana lege, aut ſtatuto induci poſsit, vt innocens pro alterius delicto pœna corpori inflicta, aut morte mulctari poſſit. Vt S. Thom. 1. 2. q. 108. art. 4. ad 2. & alij poſt eum docent.

Secunda difficultas oritur ex L. Quiſquis. C. ad L. Iuliæ Maieſt. §. filij, & inſeritur à Gratiano 6. q. 1. c. Si quis cum militibus, vbi Imperatores Honorius & Archadius ſic aiunt: Filij vero eius quibus vitam impera-

toria

ſoria ſpecialiter lenitate concedimus: Paterno enim debent perire ſupplicio: in quibus paterni hoc eſt hæreditarij criminis exempla metiuntur: Hæc in L. Nota circa verbum (metiuntur) in L. quod melius legi poſsit metuuntur. Ergo ſignificant Imperatores quod filijs etiam pro culpa patris potuiſſent per ll. vitam adimere: cum ex miſericordia & lenitate concedant. Reſpondetur cum Alphonſo Caſtrenſi libro ſecundo de iuſta hęreticorum punitione, capite decimoquarto. Couarruuia in d. capite octauo, numero 1. aſſertione tertia, & alijs quibuſdam recentioribus non rectè hoc dixiſſe Imperatores: Siquidem non ex ſpeciali lenitate, ſed recta iuſtitia tenebantur filijs (intellige in quibus necdum ratio ad peccandum viget, aut qui patris culpam imitati non fuerint) relinquere vitam: cum lex diuina prohibeat inſontem occidere. Nec ratio Imperatorum, vt bene Caſtrenſis obſeruauit, valet: quæ ſubiungitur quando dicunt: Paterno enim debent perire ſupplicio, in quibus paterni, hoc eſt, hæreditarij criminis exempla metiuntur vel metuuntur. Iuſtum & innocentem non licet occidere quia timetur futurus nocens, vt etiam ſupra de bello ſignificatum eſt: Quando enim iuſta ſententia ferenda iudicium procedit de crimine patrato, nō de perpetrando quod incertū eſt:

aut

aut alio medio iuſto impediri poteſt, quam per mortis pœnam.

Vndecima Conclusio. *Innocens apprahenſus & exactus vt DD. loquuntur, quando eius bona apprahenduntur, aut per repraſaliarum executionem alterius iniquitatem coactus fuit redimere, iuſtè repetit damna & expenſas.* Vel clarius. *Quod repraſaliarum cauſa ſolutum eſt, poteſt per innocentem ſoluentem repeti ab eo, cuius cauſa perſolutum eſt.* Bartol. in tract. repræſaliarum q. vltima principali, & in L. Nam & Seruius in principio. ff. de negotijs geſt. Raphael Fulgoſius ibidem & alij. Baldus in Auctent. Et omnino C. Ne vxor pro marito, vel maritus pro vxore, numero 18. prope finem & in L. Si vero. §. Cum autem. ff. de his qui deiecerint vel effud. per text. ibidem. Angel. in L. fin. ff. Si familia furtum feciſſe dicatur, & in L. 2. de verb. oblig. §. Item ſi Alexand. in conſilio 290. incip. Ponderatis his de quibus in themate fit mentio, non longe poſt princip. verſ. Quantum vero ad aliud quo quæritur, vol. 2. & in conſil. 36. incip. Conſideratis his quæ in proceſſu, verſ. Præterea conſtat de ſocietate. Petrus Ancharan. numero 7. & Philippus Francus §. Si autem. cap. 2. de offic. ordinarij in 6. per Gloſſam ibidem in verb. Occaſionem, dum docet, quod cauſam dans interdicto ciuitatis, tenetur omnibus qui ex hoc læduntur, ad reſtitutionem damnorum: per cap. fin. infra. Qui cauſam damni dat, damnum

dediſſe

dediſſe dicitur.

Duodecima Concluſio. *Repræſaliæ conceſſæ non extenduntur ad clericos, & eorum bona: Imo contra eos impetratæ à principe ſeculari nullum effectum poſſunt ſortiri, & ita extendentes & concedentes excommunicati ſunt, niſi infra menſem à die conceſsionis, vel extenſionis reuocauerint.* Concluſio probatur per cap. Vnicum. lib. 6. de iniurijs, & ſic communis opinio ibidem, & latè Iacobus de Canibus in tractatione de repræſalijs, parte ſecunda. Summiſtæ in verb. Repræſaliæ & in verb. Excommunicatio. Bartol. & Ioannes à Lignano in tract. de eadem materia. Offenditur enim ſic repræſalijs libertas Eccleſiaſtica. Non eſt enim poteſtas principibus ſecularibus ſuper clericos, qui eorum iuriſdictioni non ſubſunt. Excommunicatio intelligitur de repræſalijs tam iuſtè quàm iniuſtè conceſſis contra ciuitatem, aut vniuerſitatem vbi clerici & Eccleſiaſtici degunt iuxta Caietanum in verb. Excommunicatio. caſ. 32. Nauarrus in manuali confeſſariorum cap. 27. num. 136. & alios.

Decimatertia Concluſio. *Repræſaliæ non dantur iure etiam contra mulieres, ſtudioſos, legatos, euntes ad nundinas publicas, & priuilegiatas, peregrinantes ad loca ſacra, mercatores & nautas vi aut tempeſtate in aliquem locum compulſos, &c.* Hanc docent S. Antoninus, Syluester, Bartol. Iacobus de Canibus & alij in locis, vbi hanc materiam tractant. Ratio pro concluſione ducitur ex iuri-

iuribus collectis à DD. quæ à iure repræſaliarum excipiunt prædictos.

Decimaquarta Concluſio. *Qui iniuſtè, aut malè repræſalias impetrat, & illicitis obtentis vtitur, tenetur ad omnium damnorum & expenſarum reparationem etiam in foro conſcientiæ, & in foro exteriori, ad id condemnabitur, & in quadruplo punietur.* Hanc etiam tradunt Theologi S. Antoninus Gabr. Syluester & alij, & iuriſperiti, & ſatis probatur ex Auctent. Et omnino C. de actionibus & obligationibus L. 2. de verb. oblig. L. Nam & Seruius. ff. de negot. geſt. Iacobus de Canib. Prima par. num. 47. Damhauder. in d. cap. 98. num. 31.

CAPITVLVM NONVM.

GREGORIVS III.

Si culpa tua datum eſt damnum, vel iniuria irrogata: ſeu alijs irrogantibus opem forte tuliſti: aut hæc imperitia tua, ſiue negligentia euenerunt: iure ſuper his ſatisfacere te oportet: nec ignorantia te excuſat ſi ſcire debuiſti ex facto tuo iniuriam veriſimiliter poſſe contingere, vel iacturam. Quod ſi animalia tua nocuiſſe proponas, nihilominus ad ſatisfactionem teneris: niſi ea dando paſsis damnum velis liberare teipſum. Quod tamen ad liberationem non proficit: ſi fera animalia: vel quæ conſueuerunt nocere fuiſſent: & quam debueras non curaſti diligentiam adhibere. Sanè licet qui occaſionem damni

damni dat: damnum videatur dediſſe: Secus eſt tamen in illo dicendum: qui vt non accideret de contingentibus nihil omiſit.

CAsvs ex Gloſſ. Aliquis culpa ſua damnum dedit alicui, aut iniuriã irrogauit, ſeu alijs irrogãtibus iniuriã, opẽ tulit: aut hæc imperitia, vel negligentia euenerunt: dicitur quod ſuper his ſatisfacere tenetur: nec ignorantia excuſat: quia ſcire debuit ex facto ſuo iniuriam aut iacturam poſſe contingere. Secunda pars ibi. Quod ſi animalia tua, &c. Ecce ſi animalia tua damnum dederunt, nihilominus ſatisfacere te oportet: niſi tu velis liberare teipſum, dando animalia tua damnum paſſo: Sed ſi animalia tua fera fuerunt & quæ conſueuerunt nocere, non ſufficit ad liberationem ea dando, quia non curaſti eam quam debueras diligentiam adhibere. In fine dicitur, quod licet ille qui occaſionẽ dedit damni, damnum dediſſe videatur tamẽ aliter dicendum de eo, qui diligentiam debitam adhibuit, ne damnum contingeret.

Si culpa, &c. Vt teneatur is ad ſatisfactionem qui damnum dedit, ſeu iniuriam irrogauit, neceſſe eſt vt culpa interueniat vt Gloſſ. Hoſtienſis, & quidam alij annotant. Ex quo capite cõtingit, ꝙ ſi infantes & amentes damnũ dederint, non teneantur, cum non

ſint doli capaces L. Sed etſi. §. Iniuriam. ff. ad leg. Aquil. & cap. Illud relatum, 15. q. 1. Illud relatum, ait, peræquè eſt eos qui iniuriam pati poſſunt, & facere poſſe. Sanè ſunt quidam, qui facere non poſſunt: vt puta furioſus & impubes qui doli capax non eſt, namque hi pati iniuriam ſolent non facere. Cum enim iniuria ex affectu facientis conſiſtat: conſequens erit dicere hos; ſiue pulſent, ſiue conuitium dicant, iniuriam feciſſe non videri. Atque hoc cap. Gratian. deſumpſit ex L. Illud relatum. ff. de iniur. Notant etiam Ioannes Andreas, Cardin. & Anton. à Butrio hîc ex Gofred. quod culpa tripliciter ſe habere poteſt. Quandoque præcedit, aliquando ineſt, quandoque etiam ſequitur. ff. ad L. Aquil. L. Qui occidit. §. In hoc, & L. Qui ſoueas, & cap. 2. & 3. ſupra. Sequitur in medico qui bene ſecuit, ſed incuratum reliquit. Ibi. *Opem ſorte tuliſti.* Non ſolum principalis ſed etiam qui opem tulit tenetur, vtpote ſi vnus tenuit, alter occidit: Aut vnus domum incendit: duo alij ſtipulas & ligna attulerunt ad illum effectum. De omnibus opem ferentibus & cooperantibus iniuriæ, aut damno, nunc patebit latius in q. 1. & ſeq. Ex his verbis etiã collige cum Panormit. hîc & Anton. à Butrio in cap. fin. de pactis, quod ſtatutum faciens mentionem de committente & faciente delictum non comprehendit præſtantem opem: Cum aliud ſit ferre opem ad delictum: aliud facere & committe-

mittere delictum: Siquidem hîc vt diuerſa ponuntur: & eſt text. in L. Is qui opem. ff. de furt. & Bartol. ibidem.

Imperitia.) Gloſſa & DD. communiter obſeruant imperitiam culpæ annumerari. Inſtit. ad L. Aquil. §. Imperitia. & ff. de reg. iur. L. Imperitia. Siue ergo culpa, ſiue imperitia, ſiue negligentia damnum dederit, tenetur. An autem in foro conſcientiæ quis teneatur de damno dato ex culpa leui, aut leuiſsima, quod Panormit. in hoc cap. mouet, infra in q. ſingulari pertractabitur.

Ignorantia.) Ignorantia non excuſat à culpa, ſi potuit ſcire, aut debuit præuidere ex facto ſuo ſecuturum alteri damnum.

Animalia tua nocuiſſe proponas.) Omnia quæ ad huius partis explicationem faciunt, multis declarata ſunt ſupra in cap. Si bos, & in c. Si læſerit.

Qui occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur.) Notandum duplicem poſſe eſſe occaſionem damni: proximam ſiue propinquam actui, & remotam, quæ non neceſſariam cum actu habet connexionem. Regula intelligitur de eo qui proximam cauſam aut occaſionem damni dat. arg. c. De occidendis 23. q. 5. Gloſſ. in c. De cætero, de homic. Deinde ad ſupplendam intelligentiam, ſubaudiendum eſt: Qui culpabiliter & iniuſtè, occaſionem damni dat. Nam qui ſuo iure vtitur, & ſi hinc damnum alteri naſcatur, ad nihil tenetur.

PRIMA QVAESTIO.

Opem qui tulit, aut cooperatus eſt iniuriantibus, aut damnum inferentibus, an teneatur de dãno dato, aut iniuria illata?

QVONIAM quæſtionis huius materia ſatis grauis, intricataque eſt in vtroque foro, paucis quibuſdam prenotatis per diſtinctas concluſiones pro diſtinctione cooperantium reſolutiò adhibenda eſt.

Primum notabile. Ex Theologorũ doctrina nouẽ enumerantur modi, quibus quis poteſt cooperari, aut opem ferre delinquenti, aut iniurianti, iuxta doctrinã Alex. Alen. in 4. par. q. 86. memb. 3. art. 4. S. Thõ. 2. 2. q 62. art. 7. & commentatorum eius ibidem. S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 12. §. 11. & ſeq. Turrecrem. 14. q. 6. c. Si res. à nũm. 33. Gabr. in 4. d. 15. q. 2. Paludan. q. 2. art. 3. Maior. ead. d. q. 26. Sylueſt. in verb. Reſtitutio 3. q. 6. Angel. in verb. Furtum. Sot. lib. 4. de iuſt. & iur. q. 7. art. 3. Nauarr. in manuali cõfeſſ. cap. nũ. 1. 15. & alibi. Comprehenduntur autem hi modi ſequentibus verſibus.

Iuſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus.
Participãs, mutus, nõ obſtãs, nõ manifeſtãs.

Sufficientiam horum modorũ S. Thomas in d. art. 7. declarat. Dupliciter aliquis eſſe poteſt cauſa, vt aliter quid agat vel accipiat, directè

directè & indirectè. Directè tripliciter, vel ex parte acceptionis monendo ad ipſam, quod poteſt contingere vno è quatuor modis nempe præcipiendo, cõſulendo, conſentiendo, & factũ laudando: Aut ex parte accipiẽtis, vtpote quia ipſum quis ad ſe reuertẽtẽ recipit, ſiue receptat, aut protegit, eique fauorem præſtat, quod nomine recurſus ſignificatur: Aut deniq; ex parte rei acceptæ vt cum quis eiuſdem furti, aut rapinæ fit particeps, vel maleficij ſocius, ꝙ voce participans denotatur & ſic ſunt ſex modi quibus quis directè poteſt eſſe cauſa acceptionis & dãni dati, videlicet. Iuſsio, cõſilium, cõſenſus, palpatio, recurſus, & participatio. Indirectè poteſt eſſe quis cauſa, ſi eum quẽ impedire poteſt, ac debet non impedit. Quod vno è tribus modis contingit, vel ceſſando à præcepto, & conſilio quod dicitur mutus, vel non obſtando cũ poſsit, vel factũ occultando.

Secundum notabile. Ad rudiũ eruditionẽ clarius dicta vocabula ab auctoribus cooperãdi modis accomodata, ſũt exponẽda. Primo nomine iuſsionis intelligitur, iubens, præcipiẽs, aut mandans, vt frequẽtius iuriſperiti loquũtur: & cũ hic modus ex auctoritate ſuperioris vindicantis ſibi poteſtatẽ in eum cui pręcipit, ſiue mandaturũ, ꝓcedat, quandã coactionẽ videtur inducere. II. Sub cõſilio cõtinetur omnis cõſiliũ dans ad dãnũ, aut iniuriã, aut maleficiũ, aut ꝑſuaſione, & adhortatione inducẽs. III. Cõſenſus, id eſt tacite, vel expreſsè appro-

bans,

bans, & aliquam auctoritatem interponens. Quarto. Palpo, id eſt, adulator, ſiue laudator, qui applauſu & laude more paraſitorum aulicorum incitat ad malum. Quinto. Recurſus, id eſt, qui malefactorem recipit, aut receptat, fouet, aut defendit, per modum habentis poteſtatem. Sexto. Participans, id eſt, partem capiens ex rapina, aut pro ſua parte concurrens cum ſocijs, & alijs ad rapinam: aut damni iniuriæuè illationem. Septimo. Mutus, id eſt, qui tacet cum loquendo impedire poſſet: vt reprehēdendo admonēdo deterrēdo, rogando, clamando, & ſimilibus modis, & non fecit iuxta mentem D. Thomæ in d. art. 7. in corpore. Alexand. Alenſ. in 4. part. q. 86. memb. 3. art. 4. Caietan. Gregor. de Valentia. Petri de Aragon. in d. art. 7. D. Thomæ. Sot. loc. cit. Ioan. à Medina in C. de rebus reſtituend. cap. 2. dub. 6. incip. Ad id quod poſtremo loco quærebatur, in lit. C. Petri à Nauarra lib. 3. de reſtitut. cap. 4. num. 120. & aliorum alibi cōmuniter: contra Paludanum in 4. d. 15. q. 2. art. 3. dum docet mutum eſſe, qui ſcit vbi res eſt abſcondita, & non reuelat. Octauo. Non obſtans, id eſt, non adhibens auxiliū & auctoritatem in opere, prout tenetur, ad impediendum damnum, aut malū. Nono. Non manifeſtans, id eſt, qui poteſt damnum impedire admonēdo eum qui paſſurus eſt ab inuaſore, vel occultat non detegendo iam factum.

Tertium notabile. Quamuis hi nouem modi in

in ſuo numero & forma tantũ mà Theologis obſeruentur, tamẽ etiam principaliores apud Iuris interpretes ſibi locũ expreſsè vendicant, & alij minus vſitati implicitè intelliguntur, vt ſatis ſuperq; ex inferius inferendis, manifeſtum erit. Nunc pro reſolutione ſit.

Prima Concl. *Quicunq; aliquo iſtorum nouem modorum cooperatur ad damnum notabile proximi, aut eiuſdem iniuriam mortaliter peccat contra iuſtitiam.* Hæc cõcluſio eſt cõmunis DD. loc. cit. Ratio eſt quia talis peccat contra preceptum diuinũ, de non furando, vt in Rubr. demonſtratum, in notabile damnum proximi: quia ob paruitatem rei contingere poſſet, quod tantũ veniale peccatum committeretur, in hac re non eſt dubium.

Secunda Concl. *Quicunq; prædictis modis cauſam efficacem dederint damno, aut iniuriæ proximi, tenentur tam in conſcientia; quam foro exteriori ad reſtitutionem & recompenſationem damni.* Dictum in cõcluſione (cauſam efficacem) quia quando iuſſio, conſilium, conſenſus, &c. non ſunt cauſa efficax damni illati, tunc non tenetur aliquis ad damni compenſationem. Cõcluſio quantum ad primam partem eſt communis Theologorum loc. cit. Quantum ad ſecundam partem, ſatis in primis ꝓbatur ex hoc noſtro cap. & ex reg. quæ hic inſeritur, & cap. de cætero, de homicid. & L. Nihil intereſt. ff. de ſicarijs: Qui cauſam damni dat, damnum dediſſe dicitur, & ex multis iurib. & leg. cap. Nuper, de ſentent.

ſo. de iniur. & Inſtit. eod. tit. & §. & L. Non ideo minus. C. de accuſat. & L. Is damnum. ff. de reg. iuris. & paſsim alibi.

Secunda Concluſio. *Si homicidium aut aliud delictum ſequatur; & perficiatur ad mandatum iubentis, is punitur pœna ordinaria delicti.* Per iura allegata, & alia multa collecta ab Antonio Gomez. tom. 3. cap. 3. num. 39. & hæc eſt communis opinio, vt poſt alios plures atteſtatur Iulius Clarus lib. 5. Sentent. §. fin. practic. crimin. q. 89. num. 1. quam tenent Bartol. in d. §. Si mādato. Iaſ. in L. Si quis mihi bona. §. Sed quid ſi mandauit. numero 16. ff. de acquir. hæred. Gadin. in tract. malefic. in tit. de pœnis Gomez. & Clar. locis cit. Menoch. de arbitr. iudic. qq. lib. 2. caſ. 352. & alij alibi.

Tertia Concl. *Qui mandat aliquem verberari, aut vulnerari etiamſi prohibeat, ne occidatur, aut mutiletur, ſi mandatarius fines mandati excedat occidendo, aut mutilando, mandans tenetur de homicidio & mutilatione.* Hanc tenēt Bald. in L. Cum mandati. C. mandat. & in d. L. Non ideo minus. num. 29. Iaſ. in L. 1. num. 31. C. de ſeru. fugit. Cæpol. in conſ. 34. Menoch. loc. cit. num. 2. & poſt alios Iul. Clar. in d. q. 89. & hanc opinionem Boſsius in tit. de mandato ad homicidiū cōmunem dicit, vt eum Clarus allegat. Ratio huius cōcluſionis ſumi poterit ex text. cap. fin. de homicid. in 6. vbi ſic habet: Is qui mandat aliquē verberari, licet expreſsè inhibeat,

beat, ne occidatur vllatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur: ſi mandatarius fines mandati excedens mutilet, vel occidat: cum mandãdo in culpa fuerit, & hoc euenire poſſe, debuerit cogitare. Sic ibi. Cùm enim verbera non dentur ad menſuram, qui mandat aliquem vulnerari, facilè poſſet prævidere mortis, aut mutilationis periculum. Vnde homicidium, aut mutilatio imputantur ad culpam & pœnam. Verum tamen eſt quod quidam DD. ſentiant in contrarium ſic occidentem non puniẽdum pœna ordinaria, ſed extraordinaria homicidij quorum ſententiam etiam aliqui communem exiſtimant; vt videre eſt apud Decium in conſilio 482. num. 16. & hanc opinionem ſecuti ſunt Anton. de Roſellis. Franciſcus de capitibus liſtæ; & Angel. de Caſtro, de quibus apud Cæpol. conſ. 35. 36. & 37. Marſil. in conſ. 67. incip. Domine DEVS cœli rex & terræ, & alij, quorum opinionem humaniorem & tutiorem putat Couarr. in Clem. Si furioſus, de homic. par. 2. §. 1. num. 2. verſ. Deinde ob eandem rationem. Vtraque ſententia ſatis eſt probabilis in foro ciuili, & pro vtraque ponit argumenta Marſil. In caſu occurrenti eſſent inſpiciẽdæ circumſtantiæ, & coniecturis inueſtigandum an mens mandantis homicidium intendiſſet aut cauſam proximam dediſſet ex intentione homicidio, & ſic colligendum an homicidiũ planè voluntarium præſumi poſsit ex parte mandan-

mandantis. De foro tamen canonum ſic occidens teneretur de homicidio, per dictum cap. fin. de homicid. in 6. & per hoc cap.

Quarta Concluſio. *Quando mandatarius fines exceſsit, quos facili negotio ſeruaſſet, & potuiſſet non excedere, ſi voluiſſet, tunc mandans non tenetur ratione exceſſus.* Sic Baldus & Iaſon locis cit. Iul. Clarus loco cit. poſt Placã. lib. 1. Epitom. delictor. cap. 15. communem teſtatur. Quoniam in caſu huius cõcluſionis fuit in poteſtate mãdatarij fines mandati ſeruare. Exemplum eſt; Petrus mandauit Dauo vt Caium leui baculo verberaret, Dauus arrepto pugione mortiferum vulnus inflixit. Petrus non tenetur de morte, aut vulnere, ſed tantum punitur pro arbitrio iudicis. In hac concluſione non eſt controuerſia.

TERTIA QVAESTIO.

An & quomodo teneatur malo conſilio concurrens ad damnum dandum, aut ad inferendam iniuriam?

ADVERTENDVM in hac quæſtione, non eſſe ſermonem de conſilio reſpectu cõtractus, ſed in ordine ad delictum, atq; iniuriam, nam de eo qui malum conſiliũ dat in contractu infra agetur.

Prima Concl. *Qui prauo conſilio aliquem mouet ad infe-*

ad inferendum damnum, & irrogandam iniuriam, ſi effectus ſequatur ex vi conſilij tenetur tam in foro conſcientiæ, quam exteriori ad reſtitutionem & reparationem. Hæc concluſio eſt communis Theologorum & iuriſperitorũ. Theologi paſsim in locis ſuis. S. Thom. 2. 2. q 62. art. 7. & cõmentatores eius ibid. S. Antonin. 2. par. tit. 1. cap. 12. §. 12. Syluest. in verb. Reſtitutio 3. q. 6. Nauarrus in manuali cap. 17. num. 17. & alij in locis alleg. multis Couarr. in reg. Peccatum in 6. part. 2. §. 12. num. 1. & latius ex iuriſperitis in ſequentibus patebit. Verum tamen eſt, quod Ioannes à Medina in C. de rebus reſtituendis. q. 7. ad ſecundum arbitretur in foro exteriori quem non teneri de conſilio ſecundũ leges, cuius dicti falſitas apparebit ex ſequentibus. Nunc probatur concluſio. Primo ex regula recepta in vtroq; iure, hoc cap. & cap. Suſcepimus, de iniuria, & L. Nihil intereſt. ff. de Sicarijs. Qui cauſam damni dat, damnum dediſſe dicitur. Deinde ſecundum vtrumq; ius conſilium præbens tenetur ad eandẽ pœnam, quam delinquens incurrit, ſi ad ſuum conſilium ſequatur effectus. cap. Nuper, de ſent. excommunic. cap. Sicut dignum. §. Qui vero de homicid. Inſtit. de iniur. §. Non ſolum. & in L. Non ſolum. ff. eod. §. Si mandato, ſub his verbis: Attilicinus autem ait, & ſi perſuaſerim alicui, alias nolenti, vt mihi ad iniuriam faciendam obediret, poſſet iniuriarum mecum agi, text. in L. 1. §. Perſuadere. ff.

de ſeruo corrupt. & in L. Qui ſeruo. ff. de furt. & L. Sæpè. verſ. fin. ff. de verborum ſignific. L. Conſului. ff. de regul. iuris, & alibi. Adfertur autem à Medina text. Inſtit. de obligationibus quæ ex delictis naſcuntur. §. Certè qui nullam opem, &c. ſimiles aliæ ſunt alibi leges. Reſpondetur leges loqui de conſilio & perſuaſione illius, qui iam determinatus ad delictum committendum, ita vt conſilium non mouerit facientem ad delictum. Deindè ex nudo conſilio quando in opere nullus ſequitur effectus in foro exteriori ciuili nemo tenetur criminis reus, licet in foro conſcientiæ culpa committatur, ſiquidem DEVS qui cor intuetur, voluntatem pro facto reputat. Ex dicta concluſione infero cum Archidiac. S. Antonino ſecunda parte, tit. 1. capite 12. §. 12. Sylueſt. loc. cit. Petro de Aragon in d. art. 7. D. Thomæ, & alijs alibi in conſcientia etiam teneri eos ad reſtitutionem & reparationem, qui conſilium dant de collectis imponendis clericis ſine licentia Papæ, ſicut alias in conſilio rapinæ.

Secunda Concluſio. *In foro ciuili conſulens delictum aut iniuriam ei, qui alias non erat perpetraturus, punitur eadem pœna, qua principalis delinquens puniendus foret.* Hanc tenent Baldus & Alberic. in L. Ob hæc verba. ff. de ijs qui notantur infam. Iaſon. in L. 1. num. 19. C. de ſeru. fugit.

Ioann. Immolen. Felin. Decius & alij in cap. 1. de offic. de leg. Decius in L. Cõſilij. ff. de reg. iuris, & hæc eſt communis, vt poſt Decium in d. L. conſilij, & DD. in d. cap. 1. fatentur. Didac. in Clem. Si furioſus. par. 2. §. 2. numero 1. verſ. Verum diſtinctio præmiſſa. & Iul. Clarus lib. 5. §. fin. practic. crimin. q. 88. & hæc eſt communis legiſtarum & canoniſtarum opinio, rectè quidam ſentiunt. Vt hæc concluſio obtineat, intelligenda eſt, quando conſultor in ſuo cõſilio & propoſito perſeuerat, nec reuocat ante delictum perpetratum. Alia autẽ eſt ratio quando reuocat, & denunciat ei cui conſilium dederat antequam ad effectum deducat, vt tradunt Innocent. Ioan. ab Anania. Felin. & Marian. Socin. in cap. Ad audientiã de homicid. Bartol. in d. §. Si mandato. Decius in d. cap. de offic. de leg. num. 10. Angel. ab Aretio in tract. malefic. in verb. Mandatorẽ. in fine. Salycet. in L. 1. col. 6. q. 4. C. de raptu virg. Boërius in deciſ. 262. num. 11. Menochius de arbitr. iudic. qq. lib. 2. caſ. 351. num. 8. Anton. Gomez. tomo 3. cap. 3. num. 44. & alij alibi. Et in hoc caſu non ſufficit ſimplex reuocatio conſilij, ſed debet efficaciter in contrarium inducere, & curare ne ſequatur delictũ aut iniuria. Et ſic volens exonerare ſuam conſcientiam de malo conſilio nondum adimpleto, non ſolum tenetur diſſuadere ne id fiat, ſed etiam prudenter notificare ei cõtra quem dirigitur, vt caueat, vt poſt Innocent. Ioann.

ab

ab Anania, & Socin. in d. cap. Ad audientiam. Speculat. in tit. de leg. §. Iuxta verſ. Sed quæritur quando occaſione. Felin. in cap. Sicut dignum col. 5. verſic. Vltima conclusio, & alios Boerius admouet. Vnum dubium hoc loco mouetur ab aliquibus DD. Quomodo mandans non teneatur de mandato, ſi id tacitè, vel expreſsè reuocauerit, & reuocationem in notitiam mandatarij deduxerit ante effectum, & perſuadens ſiue conſulens non excuſetur ſimplici reuocatione, ſed teneatur omnino impedire, ne maleficium fiat, aut iniuria committatur. Reſpondetur ſecundum Innocent. Felin. Salycèt. loc. cit. & alios eſſe differentiam inter mandatum & conſilium. Quia mandatum fit tantũ gratia mandantis, & eius contemplatione. Vnde ſi mandans reuocet, qui putat ſua intereſſe, veriſimile eſt non fore delictum committendum, aut iniuriam irrogandam. Sed cõſilium datur & præbetur gratia accipientis: & ſic ſi ſemel concepit, & firmiter in animo facere propoſuit, difficulter deſiſtet, & ſic non ſufficit ſimplex reuocatio, ſicut in mandato, ſed deſideratur efficax remedium impediendi.

Tertia Concl. *Conſulens ſiue perſuadens alicui delictum, vel iniuriam quam alias abſq; tali cõſilio erat perpetraturus, & illaturus, non punitur eadem pœna, qua exequens, ac delinquens, ſed mitiori, & extraordinaria.* Decius in d. L. Conſilij, & in cap. 1. de offic. de leg. num. 9. Angel. in L. Is qui opẽ.

 ff. de

ff. de furt. Cæpol. in conſilio 27. col. penult. & poſt alios plures Didacus, Menochius & Clarus, qui eam communem ex aliorum teſtimonijs oſtendit. Hæc concluſio etiam extenditur, vt locum habeat in atrocioribus, Felinus in d. cap. 1. num. 8. de officio de leg. & in d. cap. Sicut dignum. num. 7. Didac. & Menoch. locis cit. Tamen in atrocioribus etſi conſilium dans pœna extraordinaria ſit afficiendus pro arbitrio iudicis, maior tamen tunc infligenda, quam in communibus delictis: An autem in caſu huius concluſionis conſilium dans, ex quo homicdium, aut mutilatio ſequantur, irregularis efficiatur, dubitari poteſt. Irregularitatem contrahi in caſu antecedentis concluſionis communiter docent DD. in d. cap. Ad audientiam: Marian. Socin. late ibidem, à numero 70. Hoſtienſis & Panormitanus in cap. Ex literis, de exceſsibus prælat. Felinus in d. c. Sicut dignũ. numero. 12. Didac. loco cit. numero 1. verſ. Eſt igitur in hoc tractatu, & alij alibi. In caſu huius concluſionis, aliter ſentiendum, ſi ex vi & virtute conſilij occiſio, aut mutilatio non ſit ſecuta, ſed ex alia cauſa originem duxerit, vt præſupponitur.

Quarta Concluſio. *Licitum eſt alicui parato ad inferendum maius damnum, conſulere vt minus inferat eidem nec conſulens in hoc caſu tenetur ad vllam recompenſationem iſtius minoris damni illati.* Concluſio eſt contra Caietanum 2. 2. q. 78. art. 4.

Eandem

Eandem autem tradunt Dominicus à Soto libro quarto, de iuſtitia & iure. q. 7. art. 3. & latè libro ſexto q. 1. art. 5. Adrianus quodlibet. 1. q. 2. Petrus de Aragon in 2. 2. 62. art. 7. Petrus à Nauarra libro tertio, de reſtitution. capite quarto, numero 29. & ſeq. Ratio concluſionis quia id non eſt conſulere malum, ſed retrahere à maiori malo. Conſilium enim tale non fertur in malum abſolutè ſed in comparationem qua dicitur potius eſſe faciendũ minus malum, quam maius. Quod ſi enim inimicus reſolutus paratuſque eſſet ad incendium totius villæ, eſſetque aliquis qui verbis perſuaſibilibus induceret, cum aliud obtinere non poſſet, ad cõbuſtionẽ vnius tantum granarij, nemo ſapiens diceret talem peccare, & obnoxium alicuius reſtitutionis. His accedit regula Topica, Ex duobus malis minus eſt eligendum: & D. Gregorius in moralibus 13. diſt. can. Nerui. §. Eſt tamen. & 33. q. 2. can. Si quod verius, ex Auguſtino ſuper Exodum vbi ait: Si facturus eſt quod non licet, puta vel vxorem occidere, vel dimittere, iam faciat adulterium, & non faciat homicidium, & diuus Chryſoſtomus homil. 27, ad populum admonet conſulendum eſſe illi qui aſſuetus eſt iurare, vt iuret per caput ſuum, ne iuret per DEVM. Argumenta quæ obſtare videntur dictæ concluſioni ſoluuntur à Soto in d. art. 5.

QVARTA QVAESTIO.

Ad quid teneatur conſentiens in damnum, aut iniuriam alterius aut ratum habens?

CONSENTIRE maximè poteſt aliquis tripliciter delinquenti iuxta Gloſſ. in c. Notum. 2. q. 1. S. Antonin. 2. part. tit. 4. cap. 9. §. 2. & DD. in cap. 1. de offic. de leg. Primo cooperando. cap. Si quis Epiſcopus. 2. q. 1. & cap. Si quis alterius error. 11. q. 3. & ſub hoc modo continentur conſenſus conſilij quam alij pro quarto modo adiungunt. Secundo non corrigendo, cum ex officio tenetur, & poteſt. cap. Error. 83. d. facit & reg. Iuris. Qui tacet conſentire videtur. Tertio auctoritate quando aliquis præſtat auctoritatem & defenſionem delinquenti. Nos in hac q. tantum agemus de conſenſu primo & tertio.

Deinde conſentiens dupliciter ſuo conſenſu ſe poteſt habere. Vno modo, vt ſolum ſimplex ſit conſenſus, & non influat in actum inferentem damnum, aut delictum, vt cauſa in effectum. Alio modo vt conſenſus ſit efficax cauſa, aut concauſa effectus, exemplum ponere poſſumus. Tractatur de ineundo bello iniuſto, ſunt aliqui ex primis quorum conſenſus ſufficiens eſt, ratione poteſtatis ad incipiendum bellum. Alij ſunt quorum conſenſus

ſus nihil facit ad bellum mouendum, vt ſunt homines de communi plebe, in his eſt ſimplex conſenſus: in alijs conſenſus vt cauſa.

Prima Concluſio. *Conſentiens etiam ſimpliciter in peccatum alterius graue & mortale, mortaliter peccat.* Roman. 1. Non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus digni ſunt morte. Deinde omnis actus voluntatis ex deliberatione procedens & determinatus in actũ mortalem eſt mortalis arg. cap. Sed penſandum. d. 6. cap. Sicut, de pœnitent. d. 1. & in hac re non eſt dubium.

Secunda Concluſio. *Conſentiens alienis criminibus per modum fauoris & cooperationis æqualiter peccat cum faciente.* Hanc concluſionem communiter DD. tenent cum Gloſſ. in cap. 1. de offic. deleg. Turrecrem. in cap. 1. d. 83. quod tamen diuiditur in aliud, incip. Non eſt grandis differentia, ſecundum eundem auctorem. q. 2. ibidem, & probatur per text. ibidem: Conſentientes & facientes pari pœna puniuntur, & cap. Quantæ, de ſentent. excommun. & alibi.

Tertia Concluſio. *Conſentiens aliorum delictis præſtando auctoritatem, aut defenſionem, magis peccat quam faciens.* Hanc tenent etiam communiter DD. cum Gloſſ. in d. c. 1. & Turrecrem. vbi ſupra per c. Qui aliorum. 24. q. 3. & 11. q. 3. c. Qui conſentit. in d. cap. Qui aliorum, inquit, defendit errorem multo amplius damnabilior eſt illis, qui errant, &c.

Quarta Concl. *Qui aliorum damno, iniuriæ, aut graui delicto conſentit per modum auctoritatis & defenſionis, plus & acrius puniendus eſt, quam ipſe delinquens.* Gloſſa & DD. communiter in capite primo, de offic. deleg. Gloſſ. in Clem. 1. in verb. Defenſionis. de pœn. & hæc eſt communis vt poſt alios teſtatur Iulius Clarus libro quinto, §. fin. practic. criminal. Exemplum eſſe poteſt in domino ciuitatis, aut villæ, qui non perſequitur latrones ſpoliantes, & occidentes eos qui tranſeunt per ſuum territorium, ſecundum Iulium Clarum. Ratio pro hac concluſione clara eruitur ex antecedenti. Sic conſentiens, grauius peccat. Ergo grauius puniendus. Iuxta enim menſuram delicti, erit & plagarum modus atteſtante ſcriptura.

Quinta Concl. *Quicunq; conſenſus efficax cauſa eſt actus, ex quo neceſſariò & iniuſtè ſequitur damnum proximo, aut iniuria ei naſcitur, obligat ad damni & iniuriæ reparationem.* Hanc tenent communiter Theologi in loc. alleg. ſupra in 1. q. huius tit. Ratio ſumitur ex regula inſerta huic noſtro cap. Occaſionem damni dans, damnum dediſſe videtur. Alia eſt ratio quando conſenſus nihil facit ad actum ex quo damnum ſequitur. Hinc infertur rectè id quod tradidêre Caietan. in ſumma, in verb. Reſtitutio, cap. 1. Nauarr. in manuali confeſſ. cap. 17. num. 21. Ioſephus Angles in 4. ſententia part. 2. in q. Quis teneatur reſtituere. 4. difficult. dub. 3.

Gregor.

Gregor. de Valent. in 2. 2.diſput. 5. q. 6. puncto 3. Petrus à Nauarr. lib. 3. de reſtitut. cap. 4. num. 33. & alij alibi, quod exiſtentes in conſilio, aut capitulo aut alia vniuerſitate vbi maiori parti ſtandum iuxta cap. 1. De his quæ fiunt à maiori part. & L. Quod maior. ff. ad municip. quando vota aut ſuffragia feruntur, paucioreſq; maioris ſententiam ſequuntur, & ſic eorum vota non conferunt ad determinationem rei: Si ad maioris partis cóſenſum iniuſtè damnum alicui inferatur, quamuis pauciores conſentiendo peccent ſi non reſiſtant contradicendo quantum poſsunt, non tamen tenentur ad damni reſtitutionem, quod ex maioris partis conſenſu ſecutum eſt, quia vota præualentia damni cauſam dederunt, & conſenſus ſimplex licet peccatum ſit, non tamen obligat ad reſtitutionem: Quicquid Ioannes Medina in C. de reſtitut. q. 7. & Antonius Cordubenſis in ſumma q. 191. ſecutus Medinam dixerint, poſteriores & inferiores in votis etiam teneri ad reſtitutionem, & malè, cum horum conſenſus non ſit cauſa damni: Quandoquidem damnum ſequitur ex definitione & conſenſu maioris partis, vt in caſu præſupponitur. Motiua Medinæ Petrus à Nauarra ſoluit.

Sexta Concluſio. *Ratum habens datum damnum aut delictum alterius, mortaliter peccat, & tenetur ad reſtitutionem ſi delictum eius nomine commiſſum, et ratihabitio eſt cauſa dãni dati, aut iniuriæ illatæ.*

Quan-

Quantum ad primam partem non eſt dubium, & communiter tenent DD. per text. ibidem in cap. Cum quis, de ſentent. excommunicat. in 6. Martinus Nauarr. in manuali confeſſ. cap. 17. num. 133. Quantum ad ſecundam partem quod teneatur ad reſtitutionem etiam communiter tenent Ioan. à Medina in d. q. 7. DD. in d. c. Cum quis. Nauarr. loc. cit. S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 12. §. 12. Petrus à Nauarra in d. cap. num. 69. & alij alibi, & probatur per hoc cap. & reg. ſæpè repetitam. Qui occaſionem damni dat, &c.

Septima Concluſio. *Ratum habens crimen, aut iniuriam ſuo nomine non commiſſam, mortaliter delinquit, licet ad nullam reſtitutionem teneatur, vtpote ſi ratihabitio non fuerit cauſa comiſſi criminis aut damni dati.* Hæc concluſio eſt contra Ioannem Andream, Dominicum Geminianum, & Franc. in cap. Cum quis d. qui male ſentiunt crimen veniale tantum committere eum qui ratum habet alterius peccatum quando ſuo nomine commiſſum non eſt: nec mirum eſt de his doctoribus: Cum enim Theologiæ fuerint ignari, facile decipi ſuo capite potuerunt, vt ex infirmo eorum fundamento, facile perſpicitur. Cóncluſionem autem docent contra nominatos DD. ex propoſito Martinus Nauarrus in comment. cap. Inter verba. 11. q. 3. concl. 2. num. 6. & poſt eum eius quondam diſcipulus Didacus Couarruuias in Clem. Si furioſus. part. 2. §. 1. numero 6. & ratio ſatis clara eſt pro con-

concluſione. Ratihabitio enim peccati, aut delicti nihil aliud eſt quam conſenſus in peccatum. Sed cóſenſus in peccatum tale eſt peccatum, quale eſt illud, in quod conſenſus terminatur cap. Præsbyteri. 34. diſtinct. & cap. Sicut: de pœnitent. d. 1. & cap. Non oportet. 2. de conſecrat. d. 5.

Octaua Concluſio. *Ratificans crimen, aut iniuriam ſuo nomine factam, non punitur pœna ordinaria ſed extraordinaria ipſius criminis.* Salycetus in L. Non ideo minus. C. de accuſat. Didacus loco cit. num. 5. verſ. Nos autem in hac cótrouerſia. Nauarr. in manuali confeſſariorum. cap. 17. num. 133. Ratio adducitur à Didac. Ratihabitio mandato æquipollet per fictionem, vt omnes DD. fatentur præſertim Bartol. in L. Si is qui pro emptore. ff. de vſucap. fictio autem ab equitate procedit. L. Poſtliminium. ff. de captiu. Igitur ceſſante æquitate fictio ceſſabit, & ita ratihabitionis retrotractio, vt in ſpecie notant Alexand. conſilio 78. numero 21. lib. 5. & Decius in L. Semper qui non prohibet in fine ff. de reg. iuris, & ſic omnes auctoritates probantes ratihabitionem in delictis eſſe puniendam de pœna extraordinaria intelliguntur licet quidam in contrarium ſentiant in cap. 1. de homicid. in 6. Eadem enim æquitas quæ dictat, ratihabitionem in delictis retrotrahi, etiam perſuadet non debere ordinaria pæna ipſius delicti puniri ratum habentem ex hac legis fictione. Hæc

Co-

Couarr. Ratihabitio autem dicitur æquipolłere mandato quoad ſpeciem peccati tantum.

QVINTA QVAESTIO.

Opem ferens aut impendens ad inferendum damnū, & irrogandum iniuriam, quomodo teneatur?

PRIMA Concluſio. *Qui ope & auxilio concurrit ad damnū aut actum, ex quo iniuria proximo ſequitur, tenetur tam in conſcientia, quam in foro exteriori ad reſtitutionem & ſatisfactionem.* Quantum ad forum conſcientiæ ſic tenent Theologi loc. ſupra cit. Secunda pars clara eſt ex hoc cap. ex illis verbis: Seu aliis irrogantibus opē forte tuliſti, & ex ſæpè repetita & in vtroque iure regula recepta. Qui cauſam ſiue occaſionem damni dat, &c.

Secunda Concluſio. *Qui auxilio, aut ope cauſa verè eſt totius damni illati, tenetur ad reparationem totius: Si vero partis, tantum tenetur ad reſtitutionē eius partis cuius cauſa fuit.* Hanc tenent Ioannes à Medina in C. de reſtitut. q. 8. non longè à principio. Mart. Nauarr. in manuali confeſſ. cap. 17. num. 17. & num. 130. ibid. Didac. Couarr. in relect. cap. Peccatū, de reg. iur. part. 3. §. 12 prope fin. & alij alibi. Ratio clara eſt pro concluſione. In tantū aliquis tenetur ad damni emendationem, in quantum eius cauſa fuit ſuo concurſu & auxilio, ſi ergo totius cauſa

extitit, ad totius reſtitutionem obligabitur; ſi partis, ad partis ſatisfactionem. Hinc reprehenditur rectè à Ioañe Medina & Didaco. diſtinctio illa Innocentij Panormit. & quorundam aliorum in cap. Sicut dignum, de homicid. dum volunt conſulentem teneri ad reſtitutionem totius damni: ſed præſtantem auxilium tantum ad damni partem, quæ eius auxilio proceſſerit. Hoc enim diſcrimē nullum eſt, ſiquidem tam conſulens quam auxilium ferens tenentur ad totius damni reparationē, quando totius ſuo concurſu ſunt cauſa: Secus ſi tantum pro parte occaſionem damno dederint. Nunc de præſtantibus opem, quantum ad forum, quando criminaliter opem præſtans puniendus ſit agendum. Pro cuiuius rei clariori intelligentia præmittendum tripliciter aliquem poſſe ope ſiue auxilio concurrere ad iniuriam & delictum, exempli gratia, ad committendum homicidium, aut perficiendum incendium. Aut ante delictum commiſſum, vt ſi præſtet arma ad occidendum, aut vulnerandum: aut inſtrumentum aptum ad incendendum ignem pro incendio: Aut in ipſo actu, & tempore, quo delictum committitur; vt ſi quis aſsiſtat, aut ſocius ſit in executione, vt facilius & audacius delictum perficiatur, aut tandē poſt delictū cōmiſſum, vt ſi quis cōmiſſo delicto, præſtet defenſionē, aut auxiliū euadēdi & fugiendi delinquenti.

Huius

Huius diſtinctionis iuriſperiti communiter faciunt mentionem, vbi tractant de hac materia. Sit ergo.

Tertia Concluſio. *Qui ſcienter præſtat opem ſiue auxilium delinquenti, aut iniurianti ante delictum committendum, tenetur eadem pœna, qua principalis, quando auxilium fuit proximum delicto, aut ipſi actui, quo iniuria irrogatur.* Hæc concluſio eſt communis, quam tenent Bartol. in L. Is qui opem. ff. de furt. Cynus. Bald. & Angel. in L. 1. C. de Nili agger. non rumpend. Bald. in L. Non ideo minus. C. de accuſat. Marſil. in L. Si rixa. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. numero 34. Panormitan. & Decius in cap. 1. de offic. de leg. Felinus in cap. Sicut dignum. §. Qui vero. & §. Illi etiam, & poſt plures aliôs Boerius in deciſione 167. Couarruuias in 2. part. reg. Peccatum. §. 12. numero 1. prope finem. Menoch. de arbitr. iudic. qq. lib. 2. caſ. 349. Antonius Gomez. tom. 3. cap. 3. numero 48. & alij alibi. Et hanc concluſioné probant multa iura, cap. Fœlicis, cum Gloſſ. in verbo. ſimplici fauore, de pœnis, in 6. & in d. cap. Sicut dignum, §. alleg. & in Clem. 1. de pœnis. L. Item Mela. §. Si alius. ff. ad lẽg. Aquil. & in L. Nihil intereſt. ff. ad L. Cornel. de Sicar. & in d. L. Is qui opem. & in L. vnic. C. de rapt. virgin. & in L. Is cuius ope. ff. ad leg. Iul. de adult. & alibi. & comprobat reg. generalis in hoc noſtro cap. & L. Qui occidit. §. In hac ff. ad leg. Aquil. Qui cauſam damni dat, damnum

hum dediſſe videtur. Dictum in concluſione (quando auxiliũ fuit proximũ delicto, &c.) Quia alia eſt ratio quando auxilium eſt remotum, nec prębuit cauſam propinquam immediatamque crimini, aut iniuriæ. In hoc caſu auxiliator pœna extraordinaria punitur. Baldus in d. L. 1. Cod. de Nili agger. non rumpend. Salycet. in d. L. 1. de rap. virg. per text. ibidem. Felinus in d. cap. Sicut dignum. & idem Felin. cum Panormitan. Anton. Dec. & alijs cõmuniter in d. cap. 1. de offic. deleg. & multis Marſil. in pract. crimin. §. Conſtante, numero 50. & ex iunioribus Menoch. Didacus, Gomez. locis cit. & alij alibi, & pro hac doctrina facit text. in d. L. 1. C. de Nili aggeribus non rumpend. vbi rumpentes aggeres Nili puniuntur concremationis pœna, & criminis participes deportantur, & eſt etiam text. in d. L. 1. de rapt. virg. & alibi. Dictum in concluſione (Qui ſcienter præſtat opem.) Quia ſi ex ignorantia contingat, non eſt locus pœnæ, vtpote quis acciperet equum conductum, aut commodatum, & diceret ſe perrecturum in villam ad procurandum negotia, interim proſequeretur inimicũ ad vulnerandum, aut occidendũ, tunc qui præſtitit equũ non eſſet reus pœnæ ob ignorantiam: & ſic in ſimilibus ſimilis eſt ratio. Ita ſentiunt Bald. in L. Quicunque, penult. col. notab. 6. C. de ſeruis fugit. num. 12. & eo allegato Marſil. in d. §. Conſtante. num. 55. verſ. Quinto limitat.

Petrus Ancharanus in conſilio 216. in fine. Andreas Barbat. conſ. 51. col. 2. lib. 3. & poſt alios plures Menoch. vbi ſupra. num. 6. Nec eſt in hac re dubium, ignorantia enim facti excuſat in delictis. L. Eum qui duas. ibi. vxorem te eſſe credebas. C. Ad leg. Iul. de adult. facit etiam textus in §. Interdum quoque, ibi. Sciens cuius rei, Inſtit. de obligation. quæ ex delicto naſcuntur.

Quarta Concluſio. *Scienter præſtans auxilium delinquenti aut iniurianti in ipſo actu delicti, aut eo tempore quo cõmittitur, ſi auxilium ſit cauſa proxima maleficij, aut iniuriæ, punitur vt principalis.* Salycet. in d. L. 1. C. de raptu virg. Angel. in d. L. 1. C. de Nili agg. non rump. Marſilius loco cit. num. 52. & 56. & in conſ. 24 num. 13. & conſil. 69. num. 7. Cæpol. in conſ. 34. dub. 2. & poſt alios ex recentiorib. Boër. in deciſ. 167. nũ. 3. Anton. Gomez. & Menoch. loc. cit. & ꝑ hac cõcluſione eſt text. in L. Verũ, cum ſeq. ff. ad leg. Pomp. de parric. & in L. 1. C. de crimine peculatus, & in L. 1. verſ. Sin vero. C. de falſ. monet, & alibi. Declarationes plures circa materiã huius cõcluſionis vide apud Marſil. in d. §. Conſtante. à num. 53. & Menoch. loc. cit.

Quinta Concluſio. *Qui opem, aut auxilium præſtat principali poſt delictum, commiſſum, & iniuriam conſumatam, niſi delictum præceſſerit prauius tractatus, aut aliquod pactum de præſtando auxilio completo delicto; non punitur pœna ordinaria, ſed arbitrio iudicis.* DD. in L. 1. C. de ijs qui latrones occultar.

cultar. Boêrius, Menoch. & Gomez. loc. cit. Ratio redditur, quia delictum in caſu huius concluſionis iam eſt perpetratum, & auxilium non eſt cauſa delicti, quod anteceſsit, ſed tantum tendit ad fugam & euaſionem delinquentis. Dictum (Niſi delictum præceſsiſſet tractatus, &c.) Quia ſi præuius tractatus fuiſſet aut ꝓmiſsio prçceſsiſſet de auxilio poſtmodũ prçſtando ad fugã & defenſionẽ, opẽ præſtans teneretur eadem pœna; qua principalis Bart. in L. In furti. §. ope. ff. de furtis. Angel. in tract. malefi. in verb. Dicto maleficio ſemper aſtitit. Iul. Clar. lib. 5. §. fin. pract. crimin. q. 90. Menochius poſt alios plures & Gomez. loc. cit. Ratio clara huius rẽi eſt: Quia promiſsio; & tractus de tali auxilio ad euadendum poſt delictum; dicitur auxilium ad maleficium committendum.

SEXTA QVAESTIO.

Quomodo adulator, & receptator teneatur de damno dato, aut iniuria?

PRIMA Concl. *Qui adulando, aut laudando alterum ad inferendum damnum, aut faciendam iniuriam efficaciter mouet, ita vt ſua adulatio ſit cauſa damni dati, aut iniuriæ tenetur ad reſtitutionem & ſatisfactionem.* Hanc tenent communiter DD. in expoſitione verſic. Quos adduximus in q. 1. huius cap. Palpo enim idem eſt quod adulator. Concluſio etiam cõ-

ſtat ex reg. huius cap. ſæpè repetita. Qui cauſam damni dat, &c. Hinc qui alicuius in malo ingenij acumen, aut fortitudinem laudat: aut ignauiam, demiſsionemque animi vituperat quo eum ad læſionem, aut vulnerationem proximi iniuſtam moueat, aut ad prædam iniquam tentandam incitet, cum alias id nequaquam attentare auderet, tenetur de dãno & iniuria. Quomodo autem in foro ciuili ſit puniendus, qui adulando, aut laudãdo incitat an delictũ ad eadẽ pœna cum prinlipali, vel minori & extraordinaria, iudicium ſumi poteſt ex ijs quæ DD. docent, de ſuadente, aut hortante ad committendum maleficium, de quibus Alberic. in L. Ob hæc verba, in fine ff. de his qui notant. infam. Cæpol. in d. conſ. 34. circa ſecundum dubium principale, dum colligit ſex modos quomodo & qualiter quis dicatur præſtare opem. Ludouicus Bologninus in conſ. 5. col. fin. & poſt alios Boerius in d. deciſione, numero 3. & 4. Iulius Clarus in d. lib. 5. q. 88. num. 2. loquens de exhortante, & alij ſupra alleg.

Secunda Concluſio. *Qui ſciens recipit latrones, prædones, aut alios proximis damna inferentes, aut eos defendit poſt crimen commiſſum, non ſolum peccat, ſed etiam tenetur ad reſtitutionem damnorum.* Hanc docet communiter DD. Theolog. loc. alleg. in 1. q. huius cap. & talis receptator intelligitur nomine recurſus. Et ſatis probatur. Receptator enim eſt cauſa iniuſtæ acceptio-

nis,

nis,& damnificationis, & detentionis rei alienæ, & præbet conſenſum, ergo tenetur ad reſtitutionem, confirmat. cap. Qui aliorum. 24. q. 3. & 14. q. 6. cap. 1. ex Auguſtino in ep. 54. ad Macedon, vbi ſic dicit: Illud vero fidentiſsimè dixerim, eum qui pro alio ad hoc interuenit, ne male ablata reſtituat, & qui ad ſe confugientem quantum honeſtè poteſt ad reſtitutionem non compellit, ſocium eſſe fraudis & criminis, & L. 1. ff. de receptatoribus. Ad receptatorum numerum referuntur qui pro homine facinoroſo apud principes, vel iudices interueniunt, ne male ablata reſtituere cogatur: aut alias fauorem impēdunt, quo minus poſsint aliena recuperari, factum excuſando, & hominem defendendo vt paſsim aduocati facere ſolent, vt Ioañes à Medina in C. de rebus reſtituend. q. 2. prope finem docet.

Tertia Concluſio. *Receptatores qui latrones, prædones, viatorum inſidiatores & ſimiles, in ſuam tutelam, aut defenſionem ſuſcipiunt, aut eos occultant, aut res deprædatas in ſua cuſtodia tenent, aliquando puniuntur eadem pœna, qua ipſi principales delinquentes aliquando minori, atque ſic in arbitrio iudicis eſt, quæ ſit imponenda pœna, pro qualitate delicti & circumſtantiarum.* Quod aliquando eadem pæna, ſint puniendi probant iura. L. 1. ff. de receptatoribus. Peſsimum, ait lex, genus eſt receptatorum ſine quibus latere, nemo diu poteſt, & præcipitur vt perinde puniantur, atque latrones, & in L. Quo naufragium. §. Non tan-

tum, inquit, qui rapuit, verum is quoque qui recepit, & ex cauſis ſupraſcriptis tenetur, Quia receptores nõ minus delinquunt, quam aggreſſores, & in L. 1. C. de his qui latrones, vel alijs criminibus reos occultarunt, & in L. Eos. C. de furt. Eos qui à ſeruo furtim ablata ſcientes ſuſceperint, non tantum de ſuſceptis conuenire, ſed etiam pœnali furti actione potes. Et dicit ibidem Bald. ſe vidiſſe, quod vna mulier fuerit ſuſpenſa, quæ furibus domum præſtabat, & furta receptabat, & hæc benè notanda, contra quoſdam & ſatis etiam magnos & potentes, qui hoc tempore flagitioſiſsimos homines, & impunitos prædones receptant cum prędis, quas in ciuitatibus, nec non etiam ſine vllo reſpectu in vijs publicis & regijs nocte dieq́ue rapiunt, & venantur, & veluti quotidianum exercitium operantur. Quod etiam aliquando minori pœna afficiantur receptatores ſatis indicat text. in d. L. 1. C. de his qui latrones, &c. dum ſic loquitur: Eos qui ſecum alieni criminis reos occultando eum eamùe ſociarunt, per ipſos & reos pœna expectet: & latrones quiſquis ſciens receperit, & eos offerre iudicibus ſuperſederit, ſupplicio corporali: aut diſpendia facultatum, pro qualitate perſonæ, & iudicis æſtimatione plectetur. Et ſic ex poſterioribus verbis apertum eſt quod iudicis arbitrium in pœna locum habet: Quod etiam ibidem obſeruat Baldus & rectè addit, quod etiam poſsit arbitrari pœnam

pœnam mortis, & multa ad hoc propoſitum Lucas de Penna adducit in L. 1. C. de deſertoribus & occultatoribus eorum. Vbi quæſtionem notabilem mouet. An qui tantum ſemel perſonas prohibitas, vt latrones, prædatores, bannitos, &c. recipit, receptatoris pœnas incurrat. Pro parte affirmatiua faciunt leges. L. Raptores. §. fin. ibi: vel eos ſuſceperint: vel quancunque opem eis intulerint: ſiue maſculi, ſiue fœminæ ſint cuiuſcunque conditionis, vel gradus, vel dignitatis: pœnæ capitali tantummodo ſubijcimus, &c. & L. 1. de raptu virgin. §. Pœnas, & in d. L. 1. De his qui latrones & in L. Si quis in graui. §. Si quiſquam. ff. ad Sillen. & alibi, & dicitur quis percuſſores, ex vna percuſsione. 45. d. cap. 1. & c. Epiſcopum, & fur ex vnico furto. L. Quod ſi nolit. §. 1. ff. de edilit. edict. In contrarium videtur quod actus geminati, & frequentia requiratur. d. L. 1. de deſertor. in principio, quando dicit: Si quis forte deſertorem in agro tectoue ſuſceperit, atque apud ſe diu deliteſcere auſus fuerit, &c. illud aduerbium, diu, notus continuationē denotat, & in L. Metrodorum. ff. de pœnis: Metrodorū: cum hoſtem fugientē ſciens ſuſceperit: in inſulā deportari Phylothetē: quod qui occultari eum non ignorans diu diſsimulauerit: in inſulā relegari placet. Deinde receptare frequentatiuum eſt, & idem eſt quod frequenter recipere: ſi-
 cut

cut factitare eſt frequenter facere, latius de his Lucas de Penna, qui diſtinctionem adhibet, & deinde reſoluit: Aut quis perſonas prohibitas receptari, abſcondit cauſa refugij, vel conſeruat, aut celat, vt conſeruatus manus iudicis euadat; vel eum ſuſcipit, vel defendit, & tunc ſi vnica vice hoc faciat, punietur, & ſic intelligenda iura pro hac parte inducta: Aut præmiſſa non facit, & tunc exigitur, quod diu retineat, & frequenter recipiat, vt in contrarijs iuribus. Archidiacon. cap. 2. de hæretic. in 6. & poſt eum Dominicus Geminian. ibidem. Angelus in ſumma. verb. Hæreticus. numero 21. & Syluester in verb. Hæreſis 1. q. 7. Oldrad. in conſilio 36. incip. Infra ſcripti ſunt articuli, dicunt quod ex vno actu, quis dicatur receptator: Quia licet ſecundum grammaticos (recepto) ſit verbum frequentatiuum, in iure tamen pro ſimplici verbo ponitur, vt in L. fin. ff. de receptat. Sicut etiam pulſare dicitur cedere ſine dolore quamuis ibi nulla ſit frequentia. L. Lex Cornelia. §. Item pulſatione. ff. de iniur. Non eſt multum curandum de verbis quando de re conſtat. Qui enim ſemel tantum ſcienter recipit latronem, aut alium malefactorem, ita vt auxilium, defenſionem, opem, aut fauorem ei præſtet, aut in re, aut crimine participet, aut participare præſumatur, poteſt puniri pœna receptatorum licet non ſemper mortis pœna inferenda ſit, ſed criminis & circumſtantia-

ſtantiarum conſideratio adhibenda ſit, vt bene Lucas de Penna docet. Concluſio in primis eſt intelligenda, quando quis ſcienter recipit malefactores, latrones, aut prædones, vt in iuribus allegatis pro probatione concluſionis patet, & clarè docent Bartol. in L. Omnes. C. de agric. & Cenſit. Lucas de Penna loc. cit. Decius in conſ. 62. in fine. Bald. in cap. A nobis, num. 1. de except. Roland. à Valle in conſil. 45. lib. 1. num. 1. & ſeq. & ex recentioribus Menoch. de arbitr. iudic. qq. caſ. 348. num. 15. Andreas Gaill. lib. 2. de pace publica. cap. 10. Ioſephus Maſcardus vol. 3. de probat. concluſ. 1258. Et in hoc caſu qui allegat ſcientiam eam probare debet, vt poſt alios docet Maſcardus ibidem, numero 3. cum ignorantia præſumatur, niſi ob notitiam publicam pro ſcientia præſumptio militet, vt in exule publicato, ſi ab aliquo receptetur ex mente Gloſſ. Bartol. & aliorum, in d. L. 1. §. 1. de recept. Nolli in tract. de bannitis in tertia parte ſecundi temporis, numero 20. Marſil. in conſilio 107. Deinde non eſt locus ordinariæ pœnæ receptatorum, quando aliquis recipit filium, patrem, fratrem, aut propinquos, aut cognatione adhærentes ſecundum communem DD. opinionem ex L. 2. ff. de recept. vt poſt plurimos memoriæ prodiderunt Menoch. Gaill. & Maſcard. loc. cit. Quia hi non tam ratione participationis criminis, quam ob naturalem ſanguinis & amicitiæ af-

fectum præſumuntur ſuos recipere, niſi probatio ſit in contrarium. In d. enim L. 2. de recept. text. dicit: Eos apud quos affinis, vel cognatus latro conſeruatus eſt, neque abſoluendos, neque ſeuerè admodum puniendos: Non enim eſt par eorum delictum, & eorum qui nihil ad ſe pertinentes latrones recipiunt, hæc in L. His addo eos excuſari etiam à pœna receptatorum qui prædones, bannitos aut alios coactè recipiunt, vi aut iuſto metu moti & non libenter. Roland. à Valle. in d. conſ. 45. num. 70. Baldus in L. in delictis ff. de noxal. & in conſ. 48. vol. 3. Ma[illegible]ſil. in conſ. 25. Crauet. in conſ. 309. numero 5. Menoch. Gaill. & Maſcardus loc. cit. Ex hoc capite excuſantur noſtris temporibus multi in prouincijs, vbi magnus eſt prædonũ, raptorum, & bannitorũ numerus, quos multi recipiunt, quibus eorum aduentus ingratus, & diſceſſus iucundus, poſtremo etiam excuſantur hoſpites qui paſſim & generaliter omnes tranſeuntes recipere ſolent & tenentur, & alimenta pro pecunia miniſtrare & ex ſententia Bartol. in L. Omnes C. de agric. & Cenſit. lib. 11. Alexand. in additionibus ad Bartol. in L. 1. ff. de receptat. Ludouic. Carrer. in pract. §. 2. num. 168. Maſcard. & Gaill. loc. cit. Alia tamen eſt ratio, quando caupones cooperantur in crimine vtpote ſunt cõſilio & directione traditores viatorũ & aliorũ vt aliquando experientia compertum eſt, Tunc enim morte digni ſunt.

SEPTI-

SEPTIMA QVAESTIO.

An quis poſsit, & etiam aliquando teneatur proximum defendere ab iniuria inferenda, & damno dando?

QVONIAM in præcedentibus quæſtionibus tractatum eſt de eis qui poſitiuè concurrunt ad iniuriam inferendam, & damna, nunc vlterius declarandum de tribus modis aut cauſis negatiuè ſe habentibus: Negatiuè autem ſe habent Mutus, nõ obſtans, non manifeſtans.

Prima Concluſio. *Quiſq; etiam priuatus non ſolum ſanguine iunctos, ſed etiam extraneos poteſt defendere ab iniuria, & etiam propulſare.* Concluſio eſt communis DD. & eam tenent S. Antonin. in 3. part. tit. 4. cap. 3. §. 1. Angel. in verb. Defenſio. num. 3. Aurea Armilla ibidem num. 4. Sylueſt. in verb. Bellum. 2. q. 6. Turrecrẽ. & Archidiac. in cap. Non in inferenda. 23. q. 3. DD. iuris canonici cum Gloſſ. in cap. Quãtæ, de ſentent. excomm. & in cap. Dilecto. lib. 6. eodem tit. Didac. Couarr. in Clem. Si furioſus. par. 3. §. 1. num. 5. Mart. Nauar. ad longũ in manuali confeſſar. cap. 24. à nũ. 16. & multis Vaſquius Illuſtr. controuerſ. lib. 1. cap. 41. num. 2. Bartol. Bald. Iaſon. Fortunius, & alij communiter in L. Vt vim. ff. de iuſtitia & iure, verſus finem. Et hæc concluſio vera

eſt

eſt in conſcientia, & in vtroque foro exteriori canonico & ciuili. Nunc probatur in primis ex præcepto de diligendo proximum ſicut noſmetipſos. Ergo ſicut noſtram iniuriam licitum eſt nobis ex lege naturali propulſare: ita etiam licitum erit proximorum depellere violentiam: & à contrario legis illius naturalis: Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris. Ergo quod tibi vis fieri, alteri feceris. Cum ergo quiſque cupiat in neceſſitate pro iniuria auertenda, quando ſibi non eſt ſufficiens, alterius auxilium; Eadem lege poteſt & alteri impendere. Ad hanc iuris naturalis legem videtur alludere Ouidius, dum ſic canit.

Et caret auxilio, qui non tulit, vtq; reliquit: *(ipſe.*
Sic linquendus erit, legem ſibi dixerat

Et text. eſt in d. cap. Non in inferenda, quod deſumptum eſt ex D. Ambroſio lib. 1. officior. cap. 36. & ſic habet: Non in inferenda, ſed in depellenda iniuria lex virtutis eſt. Qui enim non repellit à ſocio iniuriam, ſi poteſt, tam in vitio eſt, quam ille qui facit. Vnde S. Moyſes: hinc prius orſus eſt tentamenta bellicæ fortitudinis. Nam cum vidiſſet Hebræum ab AEgyptio iniuriam accipientem: defendit, ita vt AEgyptium proſterneret, atque in arena abſconderet. Salomon quoque ait: Eripe eum, qui ducitur ad mortem, & in d. cap.

d. cap. Dilecto. de ſent. excomm. in 6. §. fin. ſic dicitur: Et quidem cum liceat cuilibet ſuo vicino, vel proximo pro repellenda ipſius iniuria ſuum impertiri auxilium; imo ſi poteſt & negligit videtur iniuriantem fouere, ac eſſe particeps ipſius culpæ; & fundatur etiam in d. L. Vt vim. & alijs multis allegatis ibidem à Gloſſ. & DD. Hinc nunc infertur.

Secunda Concluſio. *Licitum eſt etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ priuato occidere in defenſionem alterius non ſolum ſanguine iuncti, ſed etiam extranei, quando iniuſtè inuaditur ab inimico.* Hanc tenent S. Antonin. Angel. Sylueſter, Aurea Armilla locis cit. Nauarrus in manuali confeſſar. cap. 15. num. 2. Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtitut. cap. 3. num 418. Innocent. Panormitan. & alij in cap. Si vero. 1. de ſent. excom. Couarr. loco cit. Bartol. Fortun. Iaſ. & alij in d. L. Vt vim. vbi ait Decius num. 31. communem eſſe opinionem. Iulius Clarus lib. 5. §. Homicidium. num. 27. & ſeq. & poſt multos alios, Antonius Gomez. tomo tertio, capite tertio, numero 21. Hæc concluſio innititur iuribus adductis in prima concluſione. Ratio etiã eſſe poteſt. Pro defenſione rerũ & bonorum licitum eſt alium defendere & iuuare. Ergo multo magis pro defenſione perſonæ. Hanc rationem facit Bartol. & poſt eum alij quæ fortius cõfirmabitur per cõcluſionem 4. & teſtatur Andr. Alciat. lib. 7. reſponſor. cõſ. 27. ꝙ hæc cõcluſ. ab omnib. DD. ſit approbata.

Tertia

Tertia Concluſio. *Occidens, aut mutilans in caſu præcedentis concluſionis cum moderamine inculpatæ tutelæ licet non peccet, tamen incurrit irregularitatem.* Hæc eſt etiam communis opinio, quam tenent Gloſſa, Cardin. q. 28. & alij in Clem. Si furioſus, de homicid. Panormit. & alij in d. cap. Si vero, idem Panormitan. in cap. Olim. 1. de reſtitution. ſpoliator. Marian. Socin. in cap. Ad audientiam. num. 36. de homicid. Iaſ. in d. L. Vt vim. S. Antonin. loco cit. Angel. in verb. Homicidium. 3. num. 3. Sylueſt. in verb. Homicidium. 1. q. 9. Nauarrus in d. cap. 15. numero 5. & hæc eſt communis, vt atteſtantur Didacus loco cit. & Nauarrus. Ratio eſt ex d. Clem. Si furioſus, vbi excipitur ſolum ab irregularitate occidens, aut mutilans in propriæ vitæ defenſionem. Didacus tamen in dubium reuocat illam cōmunem ſententiam de irregularitate, hac ratione motus quod ſic occidens aut mutilans non peccet, nec ſic defendendo cōſanguineū, ſi percutiat clericum eſt excommunicatus, vt Innocentius, Panormitanus, Ancharanus, & alij in d. cap. Si vero, de ſent. excommunic. Didacum Petrus à Nauarra in d. cap. 3. num. 419. ſequitur. Hæc ratio Didaci eſt fragilis, vt ait Nauarr. Non ſequitur. Non peccat. Ergo non ſit irregularis. Quia iudices, & miniſtri iuſtitiæ condemnando aliquém ad mortem, aut mutilationem & talem pœnam exequentes poſſunt mereri in his actibus ſi in gratia

Dei conſtituti ob debitum finem ex Zelo iuſtitiæ operentur, & tamen fiunt irregulares ſecundum omnium mentem. Eſt enim irregularitas alia non ex delicto deſcendens, & ita ratio non valet allegata à Didaco.

Quarta Concluſio. *Pro defenſione & conſeruatione rerum temporalium proximi, qui iniuſtè inuaditur, licitum etiam vnicuique percutere, aut etiam occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ.* Hanc docent S. Antonin. loco cit. Innocent. Panormitan. & Felinus in cap. Si vero 1. de ſentent. excommunic. Ancharanus & Philippus Franciſcus in cap. Dilecto. eod. tit. in 6. Bartol. & Angel. in L. Si quis in ſeruitute. ff. de furt. idem Bartol. in d. L. Vt vim. Bald. ibidem. q. 6. Iaſ. num. 29. Bartol. & Lucas de Penna in L. Prohibitum. C. de iure Fiſci. libro 10. idem Bartol. & Ioann. de Platea in L. Deuotum. C. de metatis. lib. 12. Anton. Gomez. tom. 3. cap. 3. num. 21. Maranta in diſputat. 1. numero 27. Petrus à Nauarra libro ſecundo de reſtitution. cap. 3. numero 419. Pro hac concluſione ſunt iura text. in c. Olim. 1. de reſtit. ſpoliat. & in d. cap. Dilecto. de ſent. excomm. in 6. text. cum Gloſſ. in L. 3. §. Cum igitur. ff. de vi & vi armata, & in d. L. Si quis in ſeruitute, & in L. Cum fundum ibidem, & in d. L. Deuotum, vbi Bartol. dicit textum eſſe expreſſum quod ſi quis vult me de poſſeſsione mea expellere amici mei & vicini mei poſſunt percutere volentem me

me expellere, ne expellat. His accedunt iura allegata in prima cõcluſione, quæ docent aliquem poſſe à proximo violentiam & iniuriam repellere. Quis autem dubitat proximo vim & violentiam inferri poſſe in rebus. Quod ſatis conſtat ex d. cap. Dilecto. vbi ex illo iuris naturalis principio. Vim vi repellere licet dicit quem ſuam poſſeſsionem poſſe defendere per auxilium etiam aliorum. Hinc quando milites vagantes, aut prædones cateruatim villam inuadunt ad ſpoliandum & rapiendum, incolæ poſſunt vicinos ſuos in auxilium inuocare pro defenſione ſi ſatis potentes per ſe non ſint; imo ipſi vicini & proximi non vocati poſſunt in auxilium concurrere, & manus adiutrices porrigere, percutere, imo & occidere iniuſtè inuadentes, ſi aliter res non poſsint defendere & conſeruare à damno & direptione iuxta doctrinã Bartoli in d. L. Deuotum receptam ab alijs ibidem, & in d. L. Vt vim. Illa L. Deuotum, loquitur de militibus, qui colonos & incolas villarum iniurioſè inuadunt & ſpolia auferunt, & tribuit facultatem colonis reſiſtendi & ſe defendendi. Cũ enim talis defenſio procedat à iure naturali, & ſit veluti bellum defenſiuum, quilibet poteſt ſe ſine ſuperioris licentia & poteſtate defendere ſi poſsit, & aliorum etiam ſubſidium inuocare; qui etiam vt dictum eſt, vltro poſſunt ſubuenire cum ſuis armis, ſi neceſſarium ſit ad defenſionem.

Imo

Imo Dominus ſuperior ſi prohibeat talē defenſionem naturali iure conceſſam, tenetur ad reſtitutionem damnorum, ſi quæ ruſtici incurrant ob ſuam prohibitionem, vt bene docet Gabriel in 4. d. 15. q. 5. concluſ. 5. argū. huius noſtri cap.

Quinta Concluſio. *In foro conſcientiæ quilibet priuatus tenetur proximum ſuum ab iniuria defendere, & eius damna impedire, quando id commodè, & ſine detrimento honoris, vitæ aut fortunarum, aut notabili periculo poteſt.* Hæc eſt communis DD. S. Thomæ 2.2. q. 73. art. 4. ad primum, Adrian. in 4. de reſtitut. q. 1. non longius à fine, & in quodlibeto 11. q. 2. Dominici à Soto lib. 5. de iuſtit. & iure, lib. 4. q. 7. art. 3. Turrecrem. in d. cap. Non in inferenda, & cap. ſeq. & alibi. Victoriæ in relect. de homicid. num. 25. Greg. de Valentia, & Petri de Aragon. in 2.2. S. Thomæ. q. 62. art. 7. Petri de Nauarra. lib. 2. de reſtitut. cap. 3. à num. 421. Nauarr. latè in manuali confeſſar. cap. 24. à num. 6. DD. iuris canonici in cap. 1. de offic. deleg. & in cap. Quantæ, de ſentent. excommunic. Concluſio probatur in primis ex ſacris literis Exod. 23. Si occurreris boui inimici tui: aut aſino erranti, reduc ad eum: Si videris aſinum odientis te iacere ſub onere: non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo. Et latius Deuter. 22. Non videbis bouem fratris tui, aut ouem errantem, præteribis: ſed reduces fratri tuo, etiamſi non eſt propinquus frater tuus, nec tu noſti eum:

duces in domum tuam, & erunt apud te quam diu quærat ea frater tuus, & recipiat. Similiter facies de aſino, & de veſtimento, & de omni re fratris tui quæ perierit: ſi inueneris eam ne negligas quaſi alienam, &c. Prouerbiorum 24. Eripe eos (intellige innocentes) qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum liberare ne ceſſes, & Eccleſiaſt. 4. Libera eum qui iniuriam patitur de manu ſuperbi, & in canonibus. d. 83. in principio. Non eſt grandis differentia, an letum inferas, vel admittas, mortem enim lãguentibus probatur infligere: qui hanc cum poſsit, non excludit, & ibidem. c. Error. Negligere quippe cum poſsis perturbare peruerſos: nihil aliud eſt quam fouere. Nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ qui manifeſto facinori deſinit obuiare; & in d. cap. Non in inferenda, & ibidem c. Qui poteſt obuiare & perturbare peruerſos & non facit, nihil aliud eſt quam fauere impietati eorum. Nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ; &c. & d. cap. Quantæ. & cap. Dilecto. eod. tit. in 6. Hæc autem obligatio defendendi proximum ab iniuria, & liberandi à damno, quando ſine periculo noſtro fieri poteſt nõ ex præcepto iuſtitiæ ſed charitatis naſcitur, vt ex teſtimonijs ſcripturæ patet, & communis Theologorum ſententia habet. An obligatio etiam ſit in foro canonico & ciuili diſſentiunt DD. Quidam negant de iure canonico

ali-

aliquem teneri defendere proximum, & ab iniuria liberare, & hanc communem ſententiam exiſtimant Iaſon. in d. L. Vt vim. num. 33. & poſt alios Iulius Clarus lib. 5. §. fin. q. 87. num 3. & Menoch. de arbitr. iudic. qq. lib. 2. caſ. 355. Franciſcus Viuius in libro commun. opinionum, in verbo. Defendere offenſum. In contrarium de iure canonico etiam eſſe cõmunẽ opinionem quod quis teneatur defendere proximũ quando ſine ſuo periculo poteſt ſentiunt Hieronym. Cagnolus in L. Culpa caret. ff. de reg. iuris, & Decius ibid. Vaſq. Illuſtr. cõtrouerſ. lib. 1. cap. 41. num. 22. Dicit etiam Decius in cap. 1. de offic. deleg. in contrarium eſſe, cõmunem moderniorum opinionem, ideo non conuenit inter DD. de communi opinione, ſed quicquid ſit de hac re etſi quidã diſtinguant de iure canonico in foro pœnitentiæ & cõtentioſo tamen puto cum alijs indiſtinctè quod de iure canonico quis teneatur defendere proximũ quando ſine ſuo notabili periculo poteſt, vt volunt Cagnol. in d. L. Culpa caret. Dec. in d. cap. 1. num. 8. Boer. in deciſ. 83. Felin. in cap. Quę alios, de hęretic. Gloſſ. in d. L. Culpa caret Couar. in reg. Peccatũ. de reg. iur. in 6. par. 2. §. 3. nũ. 4. Damh. in praxi crimin. cap. 80. num. 11. & Vaſq. loc. cit. & alij al bi. Quia quãdo iura canonica aliter volunt diſponere in foro conſcientiæ quã in foro cõtentioſo, hoc clarè & ſeparatim ſolẽt exprimere. cap. Quicunq; vult. 17. q. 4. Dec.

lo. cit. Deinde nulla eſt neceſsitas diſtinguendi, & iura canonica ſunt aperta vt ex ſuperioribus patet & dicit etiam Panormit. in d. cap. 1. de offic. deleg. num. 5. de iure canonico communiter dictum Gloſſæ ibidem teneri, ſicut etiam Felin. ibidem num. 5. prope finē. 2. Quod quis teneatur impedire damnū alterius quando poteſt, & quod mitius puniendus, ſi omittat, quam faciens. De iure autē ciuili ſecundum cōmuniorem ſententiam aliquis non tenetur alium defendere ab iniuria, & à damno, ſi priuata perſona ſit nec de lege ciuili punitur, niſi in certis caſibus, de quibus infra concluſ. 8. Atque hanc communem ſententiam atteſtantur poſt alios plures Iul. Clarus libro quinto, §. fin. q. 87. numero 3. Didacus & Damhauderius loc. cit. Quod autem etiam de iure ciuili quis alium teneatur defendere docent alij nonnulli Adrianus quodlibeto 1. art. 2. in Lit. G. Couarruuias & Vaſquius loc. cit. Albericus in L. Metum. §. Sed licet. ff. Quod met. cauſ. Fortun. in d. L. Vt vim. col. fin. Decius in capite primo, numero 7. de offic. deleg. Ioannes Igneus in L. 1. §. Serui appellatione. numero 125. ff. ad Syllan. & alij quidam, quorum ſententia fundatur in L. Culpa caret. ff. de regul. iuris. Culpa caret, qui ſcit ſed prohibere non poteſt. Ergo à contrario ſenſu huius regulæ. Culpa non caret, qui ſcit, & prohibere poteſt. Hinc ſecundum Igneum loc. cit. numero 136.

in Gallia ſeruatur, vt ſi in conſpectu multorum, qui rixantes prohibere & impedire potuerunt, ne ſe offenderent, homicidiũ committatur, omnes à principe teneantur obtinere literas innocentiæ: alias præſumuntur in culpa. Argumenta pro contraria opinione ſoluunt Decius, Couarruuias & alij. Circa hanc concluſionem dubium eſſe poteſt. *An cum detrimento proprio quis teneatur proximum ab iniuria, vt occiſione, aut vulneratione, vel alio damno liberare in cõſcientia?* Reſpondetur in primis cum detrimento propriæ ſubſtantiæ temporalis quis tenetur liberare proximũ ab iniuſta morte & defendere in extrema vitæ neceſsitate. Sic Adrian. quodlibeto 1. art. 2. ſub. liter. D. Nauarr. in manuali confeſſar. cap. 24. num. 17. Sylueſt. in verb. Homicidium 1. q. 6. Aurea Armilla in eodem verb. num. fin. Turrecrem. in cap. Non ſatis. num. 9. d. 86. Gloſſ. in 83. d. in princ. & in c. Non in inferenda. 23. q. 3. Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtit. cap. 3. à num. 423. & alij alibi. Hæc reſponſio ſatis probatur 1. Ioann. 3. Qui viderit fratrem ſuum neceſsitatẽ patientem, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Sed qui videt fratri ſuo iniuſtè mortem inferri, aût in extrema mortis neceſsitate eum conſtitutum eſſe, & poteſt ei ſine proprij corporis periculo ſubuenire, ſed negligit, claudit viſcera ſua ab eo. Ergo charitas Dei non manet in eo, & ſic peccat grauiſsimè contra

charitatem. Accedit illud D. Ambroſij in d. cap. Non ſatis. Si cum quis rapitur ad mortem (intellige iniuſtam) plus apud te pecunia tua valeat, quam vita morituri, non eſt leue peccatum. Præterea iubemur proximum diligere opere & veritate. 1. Ioann. cap. 3. & non ſolum verbo & lingua. Sed quo pacto opere & veritate diligit, qui eius vitæ non ſuccurrit cum facultatibus & temporali ſubſtantia non neceſſaria ad vitæ propriæ conſeruationem. Secundo reſpondeo pro latiori dubij reſolutione neminem teneri cum propriæ vitæ periculo alium liberare, & defendere à morte iniuſta & vitæ periculo. Hanc tenent communiter DD. Adrian. Nauarr. Turrecrem. & alij: D. Thom. & ſui commentatores 2. 2. q. 64. art. 7. dum docent, quod quis plus tenetur ſuæ vitæ prouidere, quam alienæ. Petrus Paludanus in 4. d. 15. q. 3. art. 2. Durand. in 4. d. 17. q 6. ad ſecund. & alij alibi. Hæc concluſio in primis conſtat ex ordine charitatis, quo corpus noſtrum præfertur corpori proximi, vt apparet ex D. Auguſtino lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 23. & 26. & S. Thoma. 2. 2. q. 25. art. 8. & q. ſeq. Hinc illud Auguſtini in libro de mendacio. cap. 6. dicentis: Si quis exponat vitam corporalem propriam pro vita corporali alterius, iam non diligit proximum ſicut ſeipſum ſed plus quàm ſeipſum, quod doctrinæ regulam excedit. Vnde communia illa dicta procedunt. Ordinata charitas incipit

pit à ſeipſo, & proximus ſum egomet mihi. Facit & illud Senecæ lib. 2. de beneficijs, cap. 15. Summa amicitia eſt, æquare ſibi amicū. Sed vtriq; cōſulendū eſt. Dabo egenti, ſed vt ipſe non egeam, cōſulam perituro, ſed vt ipſe non peream. Huic tamen ordini charitatis non repugnat quod quis aliquādo ex charitate amore virtutis, & charitatis fraternæ vitā exponat pro vita corporali alterius, vt ſupra diximus.

Sexta Concl. *Priuatus qui tantū ex præcepto charitatis tenetur ad impediendum damnum proximi, aut amouendam iniuriam ſi negligat, aut omittat facere: nō tenetur ad reſtitutionē damnorū quæ proximus incurrit ex ſuâ negligentia & omiſsione.* Hæc cōcluſio quæ eſt cōmunis DD. eſt cōtra Richardū in 4. d. 15. art. 5. q. 4. quem ſequuntur Angel. in verb. Furtum. num. 26. & Tabien. in verb. Reſtitutio. §. 25. ſentientes eum qui doloſè & malitioſe non impedit damnum proximi, quando ſine ſuo damno & periculo poteſt, etiā teneri ad reſtitutionem, Caietanus in ſummula, verb. Reſtitutio. cap. 1. verſ. Non manifeſtans. ibi: Aduerte quod in his tribus indiſtinctè tenet, quod qui tenetur in neceſsitatis articulo occurrere, ſi poteſt ſine periculo ſuo, & damno, & non facit, teneatur etiam ad reſtitutionem, quia eſt indirecta cauſa iniuſtæ actionis. Concluſionem noſtram contra prædictorum DD. opinionem apprehendunt poſt alios D. Antoninus in 2. part. tit. 1. cap. 12. §. 13. Alexand. Alenſis in 4. part. q. 86. art.

4. §. 7. in fine. Adrian. in 4. de reſtitut. q. 1. de concurrentibus cum fure, & in quodlibeto 11. q. 2. præpoſit. 3. Syluest. in verb. Reſtitutio. 3. q. 6. dicto 2. Ioannes à Medina in C. de reſtitut. q. 9. Dominicus à Soto lib. 4. de iuſtitia & iure. q. 7. art. 3. Petrus de Aragon. & Gregor. de Valentia in 2. 2. S. Thomæ q. 62. art. 7. Didacus Couarruuias in reg. Peccatum de regul. iuris in 6. part. 2. §. 3. num. 5. Martinus Nauarr. in manuali confeſſariorum, cap. 17. num. 18. & alibi, & latius cap. 24. num. 19. & ſeq. Ioſeph. Angles in florib. Theolog. qq. in 4. ſentent. part. 2. in q. Quis reſtituere teneatur. 9. difficultate. Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. cap. 4. num. 131. & communiter recentiores Theologi nunc in ſcholis & ſcriptis. Ratio huius concluſionis eſt quia nemo tenetur ad reſtitutionem, qui tantum tranſgreditur præceptum charitatis, & non violat iuſtitiæ legem vt oſtenſum eſt in 2. part. Rubricæ notab. 5. At priuatus non impediens damnum proximi, aut non defendens ab iniuſta morte peccat tantum contra charitatem, vt omnes confitentur. Ergo ad nullam reparationem tenetur. Quis enim dixerit eum obligatum ad reſtitutionem, qui extremè indigenti eleemoſyna non ſubuenit, vnde vel moritur, vel in grauem incidit ægritudinem, occaſione cuius multa damna patitur. Iura autem quæ videntur docere eum homicidij reum, qui poteſt & non defendit à morte & damno,

damno, vt 86. d. ex Ambroſio, cap. paſce fame morientem: ſi non pauiſti, occidiſti, & 83. diſt. in principio: Nihil refert mortem inferas, vel admittas, & 22. q. 5. cap. Hoc videtur. Tenemur fratrem à periurio, alioúe peccato, cum poſſumus reuocare; alioqui ſi tacemus, portabimus iniquitaté, & cap. Qui cum, de furt. particeps furti dicitur, qui furem nõ indicat, & ſimilia intelligenda ſunt, quantum ad Deú & conſcientiam tales eſſe reos homicidij. & culpæ; non autem obligatos ad damni & iniuriæ reparationem.

Septima Concluſio. *Omnes qui ex debito iuſtitiæ, vt ſunt reges, principes, alijq́, in poteſtate publica conſtituti, obligantur defendere proximum à damno, & ab iniuria liberare, non ſolum grauiſsimè, ſi omittant & negligant, peccant, ſed etiam tenentur ad reſtitutioné omnium damnorum, quæ ſequuntur ex omiſsione & negligentia defenſionis.* Hæc eſt communis opinio, tam Theologorum quam iuriſperitorum, eamq; tradunt Theologi communiter locis allegatis in 6. concluſione, nec eſt inter eos qui diſſentiat. Panormit. Felin. Cardin. Dec. & cómunis in cap. 1. de offic. deleg. & in cap. Quantæ, de ſentent. excõ. Decius & Cagnol. in L. Culpa caret. ff. de reg. iur. Couar. & Nauarr. loc. cit. Ratio, quia regibus, principibus, & alijs præſidentibus in publicis officijs, ex munere iniuncto cõuenit ꝓuidere cõmunib. vtilitatibus, damna amouere, & iniurias ſubditorũ prohibere. arg. cap. Regum. & c. Ad-

miniſtratores. 23. q. 5. & d. cap. Quantæ. & cap. 1. de offic. deleg. & L. Ita vulneratus ff. ad leg. Aquil. L. Congruit. ff. de offic. præſid & alibi. Imo Hieronymus Cagnol. in d. L. Culpa caret, & eo relato Vaſquius Illuſtr. controuerſ. lib. 1. cap. 41. num. 21. ex communi opinione reſoluunt defenſionem ſubditorũ magiſtratui competere etiamſi immineat periculum vitæ: Cui & illud Euangelicum apud Ioannem congruit cap. 10. Bonus paſtor animã ſuam ponit pro ouibus ſuis. Et Cicero ethnicus in oratione pro Caio Rabirio. Eſt boni magiſtratus cum auxilia reipublicæ labefactari conuelliq; videt, ferre opem patriæ, ſuccurrere ſaluti, fortuniſq; communibus, ſuam ſalutem poſteriorem ſalute communi ducere, & in orat. pro Sextio: Sudandum eſt eis qui magiſtratum gerunt pro cõmunibus commodis, adeundæ inimicitiæ, ſubeundæ ſæpè pro republica tẽpeſtates, cum multis audacibus, improbis, nõnunquam etiam potentibus dimicandum. His accedit, quod principes reditus ꝓ ſtipendijs inſtitutos à republica habent, vt iuſtitiam in terra conſeruent, ad cuius conſeruationem ſpectat ſubditos à damnis, iniurijs, & vexationibus defendere. Nec principibus multum periculi ex defenſione imminere poteſt, cũ publica poteſtate potiantur, & potentia multorum muniantur ad hoc vt prorumpere poſsint in iniquitates hominum, & iniurias aliorum propulſare. Dicta concluſio
non

non ſolum habet locũ in principibus, & magiſtratibus, quia à Deo conſtituti ſunt miniſtri iuſtitiæ, & vltores ſcelerum, ſed etiam in alijs qui obligatiōne & officio deputati ſunt ad curam cuſtodiamq; ſingularem aliquarum rerũ ab habentibus legitimam poteſtatem ex iuſta & neceſſaria cauſa. Sic cuſtodes & vigiles ciuitatum ſtipendio deputati, vt inuigilent ad capiendum & puniendum ſceleratos, & malefactores, ſi ex eorum culpa, & negligentia ciues damna patiantur tenentur de damnis ſecutis. Sic famuli ſpecialiter conſtituti, & ad hoc ordinati, vt agros & frumenta in eis ſeminata, cuſtodiant, ne beſtiæ & animalia aliorum lædant, & depaſcant, ſi ſuo muneri deſint, & dominus eorũ culpa dãna ſentiat, tenētur ad reparationē: Et de ſimilibus ſimilis eſt cenſura.

Octaua Concluſio. *De iure ciuili etſi regulariter priuatus conſcius criminis non teneatur crimen imminens impedire clamando, denunciando, accuſando, admonendo, & ſimilibus modis, id tamen fallit in aliquibus caſibus.* Quantum ad primam partem quod priuatus de iure ciuili ad id non teneatur ſub pœna ſatis ſupra concluſione quinta oſtenſum eſt, nunc ſecunda pars declaratur. Primus caſus eſſe poteſt in crimine læſæ maieſtatis, vt ſi quis ſciat crimen committendum contra principem, aut inſtituendam proditionem contra rempublicam, aut patriam, tunc enim reuelare & quantum in ipſo eſt impedire tenetur, & hanc ſen-

tentiam

tentiam in ſummo rigore tenet Bartol. in L. Vtrum. & in L. Si ſciente. ff. ad leg. Pomp. de parricid. & in L. 1. §. Occiſorum. ff. ad Syllan in quibus locis vult quod ſi quis ſciat cómittenda contrà principem, aut tractatus cótra ciuitatem ſuam, aut rempubl. vel in patré, aut dominum, & non indicet, ſit puniendus pœna legis, id eſt, mortis. Hanc Bart. opinionem communem atteſtantur Petrus Placa lib. 1. delictorum, cap. 22. Vaſq. illuſtr. controuerſ. lib. 1. cap. 16. & poſt hos Iulius Clarus lib. 5. Sententiarum. §. fin. q. 87. fundatur hæc Bartoli doctrina in L. Quiſquis. §. Id quod. C. ad leg. Iul. maieſt. & in dictis ll. Bartol. opinionem in practica obſeruari atteſtantur Angel. in tract. malefic. in verb. Che hai tradito la tua patria, num. 10. & Auguſtin. in addit. ad Angel. ibidem in practica & facti contingentia obſeruari. Ita etiam Mediolani obſeruatum meminit Boſſ. in practica in tit. de crimine læſæ maieſtatis. Bald. & alij multi ſunt contra Bartol. & clamant quod anima ipſius, & omnium qui ipſum ſequuntur crucietur in inferno: eo quod ſint homicidæ, & ita alij tenent ſic ſcientem, & non reuelantem, aut impedientem puniendum quidem pœna graui ſed non mortis. Felin. Decius & Andr. Barbat. in cap. 1. de offic. iudic. deleg. Idem Felin. in cap. Quantæ. de ſentent. excomm. Cagnol. in L. Culpa caret. num. 21. ff. de regul. iuris. Roland. in conſil. 88. num. 10. lib. 2. &

alij

alij de quibus Iul. Clarus loc. cit. & Menoch. de arbitr. iudic. qq. lib. 2. caſ. 355. numero 13. ſed quicquid ſit de pœna, omnes conueniunt quod teneatur, quantum poteſt impedire, & ſi nõ faciat, ſit puniendus. Neutiquam tamen in hoc caſu tenetur accuſare cõſcius criminis, niſi habeat probandi facultatem: Cum alias in defectu probationis, periculo ſe exponeret. Quando autem probatio deeſt, ſufficit detegere, quod ſcit, & eo modo, quo ipſe ſcit, vt ij quos periculum concernit ſibi prouideant, & remedium in tempore adhibeant, vt poſt alios Menochius loc. cit. à num. 11. & Vaſquius num. 1. prope finem declarant. Andreas Alciat. lib. 8. parergon iuris, cap. 9. plura adfert exempla pro praxi opinionis Bartoli. Secundus caſus eſſe poterit in filio reſpectu patris: Si enim filius ſciret aliquem machinari mortem patris, & non indicaret patri, aut pro poſſe, impediret, parricidij reus foret Bartol. in d. L. Vtrum. & in d. §. Occiſorum. Dec. in d. L. Culpa caret. num. 8. Marſilius in L. Diuus. in fine. ff. ad leg. Pomp. de parric. Panormitanus in cap. 1. de reſtit. ſpoliat. Damhaud. in pract. crim. cap. 80. numero 10. Martinus Nauarrus in manuali confeſſariorũ, cap. 24. numero 20. prope finem. Menochius loco cit. à num. 15. & alij paſsim alibi. Eadem ratio foret, ſi pater conſcius eſſet conſpirationis factæ in filium, & non detegeret. Nec eſt conſtituenda hic differentia, an filius ſit in poteſta-

poteſtate patris, vel emancipatus: aut naturalis vel legitimus, vt Menoch. allegato Mantua in cap. 1. numero 28. & 29. de offic. deleg. oſtendit. Hic caſus etiam habet locum in patre ſpirituali vt proprio Epiſcopo, & ſacerdote. Panormitanus loco cit. numero 9. Marſil. in d. L. Diuus. Menoch. numero 16. Tertius, in ſeruo reſpectu domini, tenetur enim detegere machinationem intentatam in necem, & iniuriam ſui domini L. 1. §. Seruus & § Occiſorũ, & ad Syllan. Bartol. & Marſil. in d. L. Vtrum. & alij DD. loc. cit. Quartus eſſe poterit ſi vxor ſciuerit homicidium in maritum ſuũ committendum, & non reuelet, aut in quantũ poteſt impediat, vt docent Boërius in deciſione 262. num. 9. & poſt eum Menoch. & fundat ſe Boer. in doctrina Bartol. & Marſil. in d. L. Vtrum. Gloſſ. in d. L. Culpa caret. Felin. in cap. 1. col. 2. verſ. Secundo fallit, de offic. deleg. & aliorum, qui licet expreſſè hunc caſum non ponant, ex ratione tamen ſimili colligitur; In alijs dictis ratio obligationis deſumitur ex ſubiectione. At vxor etiam ſubiecta eſt viro. Geneſ. 3. & ad Epheſ. 5. Præterea non poteſt eſſe maior coniunctio duorum quam viri & vxoris. Sunt enim duo in carne vna. Geneſ. 2. & cap. Gaudemus, de diuort. & ſic iniuria facta vxori tangit etiam maritũ, & is eam defendere tenetur, vt alibi in hoc commentario traditum. Quintus & vltimus, in hoc loco Vaſſallus tenetur denunciare tractatũ contra dominum

minũ ſuum,cuius cõſcius eſt, & domini necẽ, aut iniuriã impedire. Bartol. & Marſil. in d. L. Vtrum. Panormit. loc. cit. & poſt alios plures Menoch. Vaſallus enim eſt obligatus defendere dominũ ſuum, & tenetur ei denunciare iniurias, & damna impedentia vt patet ex cap. 1. Quibus modis feud. amitt. & ex forma iuramenti fidelitatis cap. 1. de forma fidelit. & 22. q. 5. cap. De forma. Nauarr. loco cit. reddit rationẽ quarẽ hi tam ſtrictè teneãtur, & nõ quicunq; alij: Quia alij ſolum regulariter delinquunt cõtra præcepta charitatis: hi vero cõtra pręcepta iuſtitiæ, quæ iubet vt ſuperiores defendãt inferiores, & cõtra inferiores ſuperiores. Quam rationem, ait Nauarr. Bald. ſi cõnſideraſſet, & qui eum ſequuntur, non tam acerbè in Bartolum inuectus eſſet.

OCTAVA QVAESTIO.

An dominus territorij teneatur de dãno dato in ſuo dominio & territorio per raptores & prædones?

PRIMA Concluſio. *Ad principis officium ſpectat prouinciam ſuam purgare malis hominibus, latronibus, raptoribus, & prædonibus, nec non ponere cuſtodias maximè circa fines & clauſuras prouinciarũ, vt hoſtibus & prædonibus auferatur licentia ingrediendi, ac deuaſtandi ſubditorum loca.* Hęc cõcluſiõ fatis fundatur in iure: cap. Adminiſtratores. 23. q. 5. & L. 3. & L. Congruit, ff. de offic. præſid. & in-

& in L. In nomine Domini. §. Pro limitaneis & §. Item in Sardinia. C. de offic. Præfect. Prætor. Afric. & arg. tit. C. de cuſtod. itiner. & littor. lib. 12. DD. in his locis Felin. in cap. Licet cauſam. numero. 12. de probat. Bartol. in L. Ne quid. ff. de incend. ruina, naufrag. doctè & latè Zaſius in conſ. 14. & 15. lib. 1. Andreas Gaill. practic. obſeruat. lib. 2. obſeruat. 64. Secundo. Principes & alij prȩſides prouinciarum ex debito iuſtitiæ tenentur ſubditos, defendere ab iniurijs, & damnis vt multis probatum eſt in q. præcedenti, concl. 7. & prohibere, ne ſubditi offendantur, ſed permaneant in ſua ſecuritate & pace. Ergo tenentur ad cuſtodiam ponendam: Quia quando aliquis tenetur prohibere aliquem facientem certũ actum, non ſolum tenetur prohibere quod ille actus non fiat, ſed etiam debet adhibere cuſtodiam & diligentiam, ne ille actus fiat, arg. L. Locationis. ff. Locati. & Gloſſ. in verb. intereſt, circa princip. in L. Si quis ita promiſerit. §. Ea lege. ff. de verbor. oblig. Bartol. in L. Metum. 2. §. Sed licet. ff. Quod metus cauſ. Bald. in L. Nullus. verſ. Item eſt argumentũ contra poteſtatem. C. de ſum. Trinit. Addit. ad Panormit. in cap. Quantæ, de ſentent, excommunic. Præterea ad excellentiam & eminentiam regalium pertinet vias publicas ſecuras & liberas conſeruare. Viæ enim publicæ, & earum cuſtodia ex regalibus procedunt. cap. 1. Quæ ſint regalia. Bald. & alij ibidem, &

poſt

poſt alios Zaſius & Gaill. loc. cit. Et publicè intereſt ſine metu & periculis per itinera commeari per text. in L. 1. §. Summam. ff. de his qui eiecerint, vel effud. & L. 1. C. de nauicul. lib. 11. & in d. L. In nomine DOMINI: Quando ergo aliquis tenetur ad præſtandam ſecuritatem in vijs publicis & ſuo territorio ex eminentia & cõceſsione regaliũ, etiã obligatur ad ponendã militum cuſtodiã qui inuigilent, & in neceſsitate defendant: Cum cuſtodia & ſecuritas ſint connexa, & cuſtodia adhibeatur pro ſecuritate. Qui autem tenetur ad vnum connexorum tenetur etiam ad aliud cui illud indiuiſibiliter adhæret. Gloſſ. in cap. Sicut CHRISTVS. 1. q. 1. & arg. L. illud. ff. de acquirend. hæred. Nec mirum videri hoc debet quod dominus territorij, ad hoc obligetur & quidem ſuis proprijs ſumptibus: cum etiam omnia commoda ſentiat quæ regalia de iure & conſuetudine comitantur: Commoda autem qui ſentit iungat onus emolumentis æquitas ſuadet: & regula iuris docet. c. Qui ſentit. de regul. iuris. in 6. & L. Secundum naturam. ff. eod. & non eſt ferendum vt qui lucrum amplectitur, onus ſubire recuſet. L. 1. §. Pro ſecundo. C. de caduc. tollend. & cap. Qui Epiſcopatum 8. q. 1. & alibi. Contingit autem non raro & malè quod domini territorij & prouinciæ ſint diligentiſsimi & vigilantiſsimi in cura commodorum & aliorum quæ priuatam vtilitatem concernunt: &

tardiſsimi in curãda ſalute reipub. & promouẽdã prouinciarũ & viarum ſecuritate: vnde grauiſsimè peccant, & ſui officij obliuiſcũtur cum ſubditorum maximo damno, & publica omniũ perturbationẽ. Ad principes autem Eccleſiaſticos maximè pertinet, magna ſolicitudine ad hoc intendere vt apud ſuos omnia ſint tutiſsima. c. 1. d. 86. cap. 1. §. Epiſcopos, & ibi. Aluarot. de pac. iurament. firmand. Cardin. in Clem. 1. notab. 10. de offic. ordinar. Zaſius in d. conſ. 15. num. 10. & hoc meritò, quanto enim eorũ poteſtas & dignitas maior eſt ſeculari, cap. Solitæ. de maiorit. & obed. tanto diligentiores eſſe debent in ſui officij exercitio, & cõmuni bono prouinciæ, cui præficiuntur, procurando. Atq; etiam in Eccleſiaſticis maior eminentiorq; æquitas & iuſtitia deſideratur ob excellentiorem ſtatũ, quo à Deo donati ſunt iuxta ea quæ poſt alios tradit Fernand. Vaſquius illuſtr. controuerſ. lib. 1. cap. 51. num. 55. His accedit quod principatus iutueri debet meram ſubditorum vtilitatem, & non propriam commoditatem, vt rectè ex Platone Cicero libro primo officiorum docet, & ſentit Ariſtotel. 3. polytic. cap. 11. & pluribus alleg. Vaſq. lib. 1. cap. 1. num. 10. & Alphonſ. Guerrerius in theſauro Chriſtianæ religionis. cap. 54.

Secunda Concluſio. *Dominus territorij & prouinciæ colligens & ſubleuans vectigalia & pedagia, ſi in ſuo territorio ſiue per ſuos, ſiue per extraneos rapina exer-*

exerceatur, tenetur derobatis & damno affectis ad reſtitutionem & recompenſationem omnium damnorum, quæ incurrerunt. Hæc concluſio eſt communis Theologorum & Iuriſperitorum S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 13. §. 7. Angel. in verb. Pedagium. Syluest. in verb. Gabella 3. q. 6. Gabriel. in 4. d. 15. q. 5. art. 2. concluſ. 8. Ioann. à Medina in C. de reſtitut. q. 14. Petri à Nauarra libro tertio de reſtitut. capite primo à numero 252. Archidiac. & Turrecremat. in cap. Si quis Romipetas & perigrinos. 24. q. 3. Hoſtienſ. in ſumma de cenſibus. §. Ex quibus, penult. col. Panormitan. in capite primo de reſtitutionibus ſpoliatorum, numero 8. & dicit quod communiter ita tenetur. Anton. ibidem numero 18. Felin. in c. poſtulaſti; de foro competenti. numero 8. Bald. in cap. 1. §. Conuenticulas, de pac. iurament. firmand. & in tit. Qui feuda dare poſſ. §. Marchio. Cæpol. de ſeruitut. ruſticorum prædior. in capite tertio de via. q. 25. Laurent. Calcan. in conſilio 38. & ibidem conſilio quadrageſimo. Franciſci de capit. Zaſ. & Andr. Gaili. locis citatis, & multis Bertachin. in repert. in prima parte, in verb. Damnum, nec eſt in ea re dubium. Addunt tamen pleriq; DD. iuris, quod dominus territorij tenetur, aut ad emendationẽ damnorũ in hoc caſu, aut ad exhibendũ ſiue præſentãdum malefactorẽ. Intelligitur cõcluſio, quod dominus territorij potuerit prohibere & non prohi-

buerit, id eſt, ponere potuerit,& debuerit cuſtodiam pro ſecuritate viarum & non fecerit, vt communiter DD. ſentiunt. Si enim repente in territorium, magna raptorum, ſiue bannitorum, aut prædonum copia, rueret,& prędam raperet, quibus occurri ex tempore non poſsit, nec præuideri caſus potuiſſet, tum dominus territorij non teneretur; cum nemo ad impoſsibile obligetur. Da hac re Angel. in L. Ne quid. ff. de incendiorum, & naufrag. Bartol. ibid. latè, & addit. in eodē loco, idem Bartol. in L. 1. §. Occiſorum. ff. ad Syllan. Ratio concluſionis, quoniam vectigalia & pedagia ſoluuntur pro cuſtodia & ſecuritate viarum. Imo vt Bartol. Angel. & alij in d. L. Ne quid. per text. ibidem: rectè docent dominus adhuc teneretur ad emendationē damnorū, ſiue etiam pedagia & vectigalia non perciperet. Quia ratione officij & dominij tenetur purgare prouinciam malefactoribus, & prohibere, ne violentiæ & rapinæ in ſua ditione & territorio committantur, & hæc obligatio ſecundum communem tam Theologorum, quam iuriſperitorum ſententiam, quam q. præced. concl. 7. explicauimus, eſt iuſtitiæ particularis, cuius tranſgreſsio ad reſtitutionem obligat. Dominus enim territorij in hoc caſu tenetur, non de facto alieno, ſed ex proprio quaſi delicto, id eſt, propria negligentia, quia negligit, & omittit facere, ad quod ratione officij & ſtatus obligatur. Ex his ſatis elicitur

citur ad quid teneantur domini, qui hiſce tẽporibus infœlicibus permittunt in ſuis territorijs, & vt neutrales eorum more loquendi conniuent, raptores, prædones, & impunitos nebulones paſsim vagari, vbi etiam pedagia & vectigalia ſubleuant, à mercatoribus, & mercatores, peregrinos, extraneos & domeſticos ſpoliari, villas, oppidula, monaſteria, & templa deuaſtari, & etiam homines abduci, patiuntur & ſimilia non raro committuntur à paucisſimis ſceleratis & rebaldis cum maxima iactura ſubditorum, & aliorum, qui tutela & cuſtodia dominorum loci defendi deberent: Cum tamen impunè huiuſmodi prędones eundo & redeundo cum ſpolijs, ſacrilegijs, & captiuis ſæpè tranſeant per territoria trium, aut quatuor principum: aut dominorum, qui iure aut priuilegio regalium potiuntur, quibus tamen non regio modo vtantur ad ſecuritatẽ viarum regiarum, id eſt, publicarum. De his plura latius Zaſius doctè in dictis conſilijs congerit. Dubium, hic eſſe poteſt. *Quid ſi præda & direptio fuit facta in territorio vnius, & deinde tranſportata in prouinciã, aut dominium alterius & ibi diuiſa, aut captus fuit aliquis in dominio N. & ductus ſpoliatuſue in ditionem P. quis teneatur ad emendationem? cum delictũ initium ſumpſerit in primo loco & conſummatum ſit in ſecundo?* Bald. in L. Si quis non dicam rapere. numero 6. C. de Epiſcop. & Cleric. alleg. Iacob. & Bartolo ſentit, quod dominus vterq; quia vterq; fuit
 incul

in culpa. Quæ reſponſio ſatis ex ſuperioribus probatur. Quiſquis enim ſupremus magiſtratus, ſiue princeps ex officio tenetur prouidere, ne iniuriæ fiant in ſuo territorio, & prohibere acceſſum ſceleratorũ, aut eos cõprehẽdere ad vindictam, vt Bartol. Angel. Alberic. & communis cum text. in d. L. Ne quid. determinat, & ſatis ex ſuperioribus conſtat. Fures, prædones, ſacrilegi, & graſſatores vbique debent comprehendi, & ſeuère puniri, nec vllo in loco ſecurus eis cõcedendus tranſitus. Qui enim manifeſto eorum facinori deſinit obuiare, aut negligit, cum poſſit & teneatur, perturbarè facinoroſos, eos fouere cenſetur cap. Facientes. 86. d. & cap. Sicut dignum. §. 1. de homicid. cum ſimilib.

Tertia Concluſio. *Deprædatus in caſu huius quæſtionis allegans damnum, cõtra dominum territorij, illud teſtibus probare debet.* Bartol. in d. L. Ne quid. & in L. 1. per text. ibid. ff. Quando ex facto tutoris. Bald. in d. §. Conuenticulas. Panormitan. & Imolen. in cap. fin. Quod met. cauſa. Andr. Gaill in d. obſeru. 64. numero 9. & ſeq. Ioſephus Maſcardus de probationibus volum. 1. concl. 471. nũm. 21. Ratio concluſionis adfertur, quia licet damnum illatum per dolum & violentiam in odium delinquentis ob difficultatẽ probationis per iuramentũ ipſius qui damnũ paſſus eſt, probetur. L. Si quando. C. Vnde vi. & DD. ibid. & L. Semper. §. In hoc interdicto. ff. Quod vi, aut clam. L. in actio-

actionib. ff. de in litē iurand. tamen hoc non habet locū, quando aliquis cōuenitur ex dolo alterius. Bartol. loc. cit. & alij vbi ſupra, & Iaſ. in d. L. Si quando. nū. 38. teſtatur hanc communi ſcribentiū conſenſu eſſe cōprobatā opinionē, & in caſu noſtro dominus territorij nō conuenitur ratione doli ꝓprij, cum non deliquerit dolo, ſed tantū in culpa ſit, & teneatur ex quaſi delicto, vtpote quia non purgauerit ꝓuinciam malefactorib, nec ſatis bonā cuſtodiā adhibuerit ꝓ ſecuritate viarum, quam ratione regalium, & officij conſeruare debebat. Quandoquidē ergo hîc actio non inſtituitur in odiū delinquentis dolo, ꝓbatio priuilegiata illa per iuramentū non admittitur, ſed legitima & ordinaria per teſtes requiritur.

NONA QVAESTIO.

An domini, aut Vaſalli ſæuientes in ſubditos, eos iniurijs, & iniuſtè damnis afficientes, ſint tolerandi, nec coërcendi à talibus iniurijs?

PRIMVM vt titulus quæſtionis intelligatur, exemplū in forma refero cum Boër. in deciſ. 304. qui hanc quæſtionē latius perſequitur, & poſt eū etiā ex profeſſo Andr. Gaill. pract. obſer. lib. 1. obſer. 17. Quidā nobilis habens in ſuo caſtro iuriſdictionē & plures ſubditos, quos dictim ꝓ libito volūtatis incarcerabat & verberabat, à qb. bona eorū extorquebat, & aliquādo pedites, & armigeros ad eorū

domos mittebat, an veniat ſua priuandus iuriſdictione, vel alia plectendus pœna? Clarius adhuc ſubiungere placet. Eſt aliquis generoſus dominus Vaſallus regis, aut ducis, qui ſubditos habet, qui obligati ſunt ſuo domino ab immemorabili tempore, & ex conſuetudine antiquiſsima ad certos reditus ſiue cenſus, & ordinaria onera certis anni temporibus, dominus autẽ Vaſallus in otio & voluptate vitam degens rei familiari parum attendens, & prodigalitatis multum amans, ſubſtantiam ſuam diſsipat, & extenuat, proprio ingenio & neceſsitate motus, aut ſociorum in diſsipatione ſubſtantiæ adinuentione cruditus, ſuis ſubditis, colonis aut cenſitis auget cenſus, & ita onera multiplicat, vt viuere non poſsint, nec tempus habeant, ad laborem pro neceſſarijs quotidianis, ſi quis ſe opponat, eum vt perturbatorem, aut rebellẽ carceribus includit, aut milites ſubornat qui damna & iniurias inferant, quas per ſe aut ſuos inferre non audet, an dominus feudi, & ſupremus ſalua conſcientia poſsit tolerare talem Vaſallum, & dominum ſic crudeliter & iniurioſè dominantem in ſubiectos? Nunc ad reſolutionem deueniendum.

Prima Concl. *Dominus iure non poteſt ſubditis augere cenſum, aut reditum antiquum ipſis nolentibus, nec conſentientibus.* Hanc tenent Lucas de Penna, Iaſon. Rebuff. & Ioan. de Platea in L. 1. C. In quib. cauſis coloni domin. accuſare poſſunt.

lib.

lib. II. Specul. in tit. de cenſib. §. Nunc dicendum. verſ. Sæpè quoq;. Bald. in cap. I. Qualiter Vaſal. iura. debeat fidel. Stephan. Bertran. conſ. 238. vol. 2. & poſt alios plures Boer. in deciſ. 132. Vaſq. illuſtr. controuerſ. lib. I. cap. 8. à num. I. Andr. Gaill. in d. obſ. num. 3. & ita cõcluſum in facto atteſtãtur Boer. & Vaſq. Pro hac concluſione ſunt text. iuris. L. Cum ſatis. §. Caueant. C. de agricol. & cenſit. lib. II. & in d. L. I. C. In quib. cauſ. col. domin. & in cap. Cum Apoſtolus. §. Prohibemus, & cap. Prohibemus. de cenſibus.

Secunda Concl. *Domini, aut Vaſalli ſubditos grauantes nouis, indebitis, & non conſuetis ſeruitijs, aut oneribus, peccant contra iuſtitiam, & tenentur reſarcire læſionem & damna ſecuta.* Hanc concluſionem docent S. Antonin. 3. part. tit. 4. cap. 3. Angel. in verb. Tallia. Syluest. in verb. Dominium & dominus. q. 4. Aurea Armilla in eod. verbi. Gabr. in 4. d. 15. q. 5. art. 2. concl. 4. Lucas de Penna. Rebuff. Ioann. de Platea & alij in d. §. Caueant. & in d. L. I. C. In quibus cauſ. col. domin. & alij alibi. Concluſio in primis confirmatur ex d. §. Caueant, qui ſic habet: Caueant poſſeſsionum domini, in quibus tales coloni conſtituti ſunt, aliquam innouationem, vel violentiam eis inferre. Si enim hoc approbatum fuerit, & per iudicem pronunciatum. Ipſe prouinciæ moderator, in qua aliquid tale fuerit perpetratum, omnino prouideat, & læſionem ſi qua ſubſecuta eſt, eis reſarcire, & ſic

veterem conſuetudinem,&c. obſeruare,& in d.L.1. Prohibetur dominis vltra quam conſueuit exigere à colono, & in poſterũ, ne amplius fiat, mandatur. Prius reddito quod ſuper exactione perpetrata dignoſcitur extorſiſſe. Noua & indebita ſeruitia & grauamina præſumuntur per vim & impreſsionem extorta, vt poſt Bald. quem allegant, in d.cap.1. Qualiter Vaſ. iura debeat fidel. conſentiunt. Bertrand. in conſ. 17. vol. 1. Iacobin. de S. Georgio in qq. feudal. q.vlt. quæ habentur, poſt tit.ff. de iure dotium, & Boer. in deciſ. 132. num.4. Ratio etiam pro hac concluſione eſt manifeſta: Quicunque aliquem grauamine & damno afficit contra iuſtitiam, peccat contra eandem virtutem, & tenetur ad reſtitutionem damni illati, & reparationẽ grauaminis: Qui enim cauſam damni dat, damnum d. diſſe dicitur. At dominus ſiue Vaſallus inſolitis nouiſque ſeruitijs, & grauaminibus ſubditos moleſtans & emungens iniuſtè grauat, & iniquè damno afficit iuxta iura, & legem illam, Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, & ſicut tibi tuas cupis conſeruari libertates, iura, & bona: Ita etiam tuis, quibus fruuntur, & ſemper cum pace freti ſunt, relinquas eorum libertatem, & iura. Ex hac concluſione infertur cum Syluestro, & alijs eos dominos grauiter peccare, qui vſurpant ſibi ea quæ ſunt communitatis, & ſubditorum, vt ſyluas, & earum vſum, campos, paſcua, aut aquarum

vſum

vſum ſolitum, & ſimilia, tenentur ea reſignare, nec nō ceſſare à ſuo propoſito, & recōpenſare damnum datum. arg. cap. Si res. 14. q. 6. Hoc loco obſeruandum concluſiones has non eſſe intelligendas de principibus & ſupremis dominis quibus iure regalium & priuilegiorum competit vrgente neceſsitate ex iuſta cauſa vltra conſuetum aliquid exigere à ſubditis, & extraordinariè. Caſus autem inquibus id ſupremis dominis licitum colligunt D. Antoninus ſecunda parte titulo primo, capite decimotertio, §. 2. & poſt eum Gabriel. in d. quæſtione quinta, concluſione tertia, & alij alibi.

Tertia Concluſio. *Subditi qui à dominis, aut Vaſallis nouis grauaminibus premuntur, inſolitis ſeruitijs occupantur, aut angarijs, ſiue praangarijs, ſimilibusque modis nouis & exquiſitis moleſtantur, officium & protectionem ſuperioris domini implorare poſſunt, ne de cætero plus ſolito grauentur, & eis reparetur damnum iniuſtè illatum.* Hanc tenent DD. in d. §. Caueant. Speculat. in tit. de exactor. Boërius in deciſ. 304. Andreas Gaill. practic. obſeruat. libro primo obſeruat. 17. & alij alibi, & ſatis probatur in d. §. Caueant: ibi. Ipſe prouinciæ moderator, & in d. L. 1. ibi: adeat iudicem. & arg. L. Illicitas. §. Ne potentiores. ff. de offic. præſid. Imo etiamſi ſubditi non conquerantur, nec protectionē ſuperioris domini implorent, ſuperior tamen dominus ex officio, & munere iniuncto tenetur eis ꝓuidere,

& eo-

& eorũ protectioné ſubire. arg.cap.1.de offic. iud.deleg.& L.Illicitas,ſtatim in prin. & ibid. §.Ne potẽtiores,& ita docét Faber. in L.1.C.de offic. Comitis ſacrĩ palatij, & poſt eũ Boer. in d.deciſ.nũ.5.Gramat. in deciſ.104.Vaſq.illuſt. cõtrouerſ.lib.1.cap.8.nũ.18.Gaill. in d. obſeruat.17.num.7. in fine. His accedit quod princeps agere poteſt & debet pro vexatione, & damno ſuis ſubditis illato, non aliter atq; tutor pro læſione ſui pupilli; quia vtriuſque officium ad hoc eſt ordinatum, vt poſt Bald. in cap.1.§. Iudices, de pace tenenda, in tract. feud.Hoſtienſ.in cap.Licet. in fine de probat. Oldrad. in conſ.266. incip. In cauſa Carmonenſi. Vaſq. in d.c.8.num.14. deducit. Huic conſonum eſt quod reges, principes, & prouinciarũ præſides ex iuſtitia tenẽtur ſubditos ab iniuria & damnis iminentibus defendere vt latè ſupra in hoc cap. q.7.concl.7. demonſtratum eſt. Text.inſignis eſt pro hac concluſione in d. L. Illicitas. vbi ſtatim in princip. dicitur: Illicitas exactiones & violentias factas, &c. Prohibeat præſes prouinciæ: & ibidem in d.§. Ne potentiores, ſic legitur: Ne potentiores viri humiliores iniurijs afficiant: Neue defenſores eorum calumnioſis criminibus inſectentur innocentes, ad religionem præſidis prouinciæ pertinet: vbi Gloſſ. & Baldus notant quod præſes debet prohibere apprehenſiones, concuſsiones, & retorſiones, & quælibet nocendi prætextum habentia, & maximè

ximè potentioribus, & his qui aliquod prætendunt officium. & Bald. ibidem addit: Præſes non debet pati, quod potentes grauent, & opprimant minus potentes, & iterum ſubdit: Pauperibus maxima & capitalis iniuria eſt, auferre illud modicum quod habent, ac ſi eis oculus extraheretur. Facit etiam ad propoſitū illud Hieronymi in comment. ſuper Hieremiæ 2. relatum à Gratiano in cap. Regum 23. q. 5. Regum officium eſt proprium facere iudicium, atque iuſtitiam, & liberare de manu calumniantium vi oppreſſos: Quibus addendum eſt, quod ad officium prætidis & principis ſpectet prouidere vt prouincia malefactoribus, & ſceleratis hominibus purgetur. L. Congruit. ff. de offic. præſid. & D.D. ibidem, vt ſubditi in tranquillitate, pace & ſua libertate viuant. Sed nulli ſunt ſceleratiores eis qui ſubditorum ſubſtantiam exhauriunt; tales enim domini ſunt Tyranelli ait Boërius rectè in d. deciſ. 304. num. 4. qui pellem populorum excoriant, & ſanguinem emungunt, ac vix precarium eis dimittunt ſpiritum, vt inquit Bald. in L. Ex hoc iure. ff. de iuſtit. & iure. Procuratores enim generales, ſiue Fiſcales, qui ex ſuo officio cōſtituuntur ad hoc vt ſint cuſtodes & vigiles in prouincia, ne maleficia impunita maneant, in conſcientia tenentur inquirere, & ſuo officio fungi quando cognoſcunt ſubditos iniuriosè tractari à dominis, aut Vaſallis, & ſubiectos ex timore & metu ſæ-

Reſcriptū. C. de precib. imperatori offerend. idem Bald. cum Bartol. Paulo Caſtren. & cōmuni in L. fin. C. de leg:b. Ioan. Imolen. in cap. Dilectus 1. de præbend. Card. Alexand. in cap. Si Papa. d. 40. Turrecrem. & alij in cap. Alius. 15. q. 6. Martin. Lauden. in tract. de principibus. q. 35. in vol. 6. Oceani iuris. Ioann. de Selua in tract. de beneficio. 4. part. q. 8. verſ. incip. Decimoſexto. Andreas Alciat. L. Inter claras, C. de ſumma Trinit. & fide cathol. Martinus Nauarrus in repet. cap. Nouit. de iudic. notab. 3. num. 3. & 5. Alphonſ. Guerrerius in ſpeculo principum, cap. 31. & alibi. Vaſquius in d. cap. 8. latè à num. 20. & alij paſsim alibi. Nec deſunt huius facti exempla. Pontifex nempe Leo III. Imperium à Græcis ad Germanos tranſtulit anno à nato Saluatore 776. iuxta Gloſſ. receptam in cap. Venerabilem, de elect. Innocentius Quartus, Federicum Imperatorem in Concilio Lugdunen. ab imperio remouit. cap. Ad Apoſtolicæ, de re iudic. in 6. Zachar. Papa depoſuit regem Gallorum Childericum, & Pipinum Caroli Imperatoris patrem in eius locum ſubſtituit. cap. Alius. 15. q. 6. ex epiſtola Gelaſij Papæ, ad Nicolaum Imperatorem, & in Concilio Lugdunen. Innocent. 4. Luſitaniæ Regi coadiutorem aſsignauit. cap. Grandi. de ſupplend. neglig. Prælat. in 6. Plura exempla congeſsit ad propoſitum ex hiſtorijs Vaſq. loc cit. & colligit latius Robertus Bellarmin.

lib.

lib. 5. de Romano Pontifice, cap. 8. tom. 1. controuerſ. Præterea pro concluſione facit; quod Vaſallus quodammodo æquiparatur vſufructuario. Angel. in conſ. 321. alias 324. incip. Illuſtris & magnificus dominus Nicolaus Curtius iunior, Zaſius, loc. cit. & alij. Vſufructuarius autem abutendo re, in qua vſumfructũ habet, debet priuari vſufructu; Paulus Caſtrenſis & Guilhelm. de Cuneo, in d. Auctent. Qui rem. Alexand. in d. L. Diuortio. §. Si fundum. Curtius Iunior, & Zaſius locis citatis, & allegantur ad propoſitum. L. Cognouimus. C. de mancip. & colonis. & L. Eos. C. de Aquæduct. lib. 11. princip. & L. Hoc amplius, in ff. de damno infect. Poſtremo arctior & maior eſt coniunctio viri & vxoris vnitorum vinculo matrimonij, cum ſint duo in carne vna ex ſacris literis, quam Vaſalli & ſuorũ ſubditorũ. Sed matrimonium poteſt ſeparari (intellige quãtum ad thorũ) & vxor poteſt recedere à viro propter eius ſæuitiam & nimis durã tractationem cap. Ex tranſmiſſa, & c. Literas, de reſtit. ſpoliator. Panormit. Cardin. Petr. Ancharan. & alij in d. c. Literas. Anton. cum Card. in c. Ex tranſmiſſa. Bald. in L. 1. C. de Legat. num. 9. Iaſ. ibid. num. 4. & alij paſsim alibi. Ergo ſi Vaſallus male tractet ſubditos, & in eos iniurioſe ſæuiat poterit ſeparari à ſubditis & eximi à iuriſdictione in eos: Et ſicut mulier, quãdo indebite à marito tractatur, nec eſt ſpes

tardiſsimi in curãda ſalute reipub. & promouẽndi prouinciarum & viarum ſecuritate: vnde grauiſsimè peccant, & ſui officij obliuiſcũtur cum ſubditorum maximo damno, & publica omniũ perturbationẽ. Ad principes autem Eccleſiaſticos maximè pertinet, magna ſolicitudine ad hoc intendere vt apud ſuos omnia ſint tutiſsima. c. 1. d. 86. cap. 1. §. Epiſcopos, & ibi. Aluarot. de pac. iurament. firmand. Cardin. in Clem. 1. notab. 10. de offic. ordinar. Zaſius in d. conſ. 15. num. 10 & hoc meritò, quantò enim eorũ poteſtas & dignitas maior eſt ſeculari, cap. Solitæ. de maiorit. & obed. tanto diligentiores eſſe debent in ſuî officij exercitio, & cõmuni bono prouinciæ, cui præficiuntur, procurando. Atq; etiam in Eccleſiaſticis maior eminentiorq; æquitas & iuſtitia deſideratur ob excellentiorem ſtatũ, quo à Deo donati ſunt iuxta ea quæ poſt alios tradit Fernand. Vaſquius illuſtr. controuerſ. lib. 1. cap. 51. num. 55. His accedit quod principatus intueri debet meram ſubditorum vtilitatem, & non propriam commoditatem, vt rectè ex Platone Cicero libro primo officiorum docet, & ſentit Ariſtotel. 3. polytic. cap. 11. & pluribus alleg. Vaſq. lib. 1. cap. 1. num. 10. & Alphonſ. Guerrerius in theſauro Chriſtianæ religionis. cap. 54.

Secunda Concluſio. *Dominus territorij & prouinciæ colligens & ſubleuans vectigalia & pedagia, ſi in ſuo territorio ſiue per ſuos, ſiue per extraneos rapina*

exer-

exerceatur, tenetur de robatis & damno affectis ad reſtitutionem & recompenſationem omnium damnorum, quæ incurrerunt. Hæc concluſio eſt communis Theologorum & Iuriſperitorum S. Antonin. 2. part. tit. 1. cap. 13. §. 7. Angel. in verb. Pedagium. Syluest. in verb. Gabella 3. q. 6. Gabriel. in 4. d. 15. q. 5. art. 2. concluſ. 8. Ioann. à Medina in C. de reſtitut. q. 14. Petri à Nauarra libro tertio de reſtitut. capite primo à numero 252. Archidiac. & Turrecremat. in cap. Si quis Romipetas & perigrinos. 24. q. 3. Hoſtienſ. in ſumma de cenſibus. §. Ex quibus, penult. col. Panormitan. in capite primo de reſtitutionibus ſpoliatorum, numero 8. & dicit quod communiter ita tenetur. Anton. ibidem numero 18. Felin. in c. poſtulaſti, de foro competenti. numero 8. Bald. in cap. 1. §. Conuenticulas, de pac. iurament. firmand. & in tit. Qui feuda dare poſs. §. Marchio. Cæpol. de ſeruitut. ruſticorum prædior. in capite tertio de via. q. 25. Laurent. Calcan. in conſilio 38. & ibidem conſilio quadrageſimo. Franciſci de capit. Zaſ. & Andr. Gaili. locis citatis, & multis Bertachin. in repert. in prima parte, in verb. Damnum; nec eſt in ea re dubium. Addunt tamen pleriq; DD. iuris, quod dominus territorij tenetur, aut ad emendationẽ damnorũ in hoc caſu, aut ad exhibendũ ſiue præſentãdum malefactorẽ. Intelligitur cõcluſio, quod dominus territorij potuerit prohibere & non prohi-

buerit, id eſt, ponere potuerit,& debuerit cuſtodiam pro ſecuritate viarum & non fecerit, vt communiter DD. ſentiunt. Si enim repente in territorium, magna raptorum, ſiue bannitorum, aut prædonum copia, rueret,& prędam raperet, quibus occurri ex tempore non poſsit, nec præuideri caſus potuiſſet, tum dominus territorij non teneretur; cum nemo ad impoſsibile obligetur. Da hac re Angel. in L. Ne quid. ff. de incendiorum, & naufrag. Bartol. ibid. latè, & addit. in eodē loco, idem Bartol. in L. 1. §. Occiſorum. ff. ad Syllan. Ratio concluſionis, quoniam vectigalia & pedagia ſoluuntur pro cuſtodia & ſecuritate viarum. Imo vt Bartol. Angel. & alij in d. L. Ne quid. per text. ibidem: rectè docent dominus adhuc teneretur ad emendationē damnorū, ſiue etiam pedagia & vectigalia non perciperet. Quia ratione officij & dominij tenetur purgare prouinciam malefactoribus, & prohibere, ne violentiæ & rapinæ in ſua ditione & territorio committantur, & hæc obligatio ſecundum communem tam Theologorum, quam iuriſperitorum ſententiam; quam q. præced. concl. 7. explicauimus, eſt iuſtitiæ particularis, cuius tranſgreſsio ad reſtitutionem obligat. Dominus enim territorij in hoc caſu tenetur, non de facto alieno, ſed ex proprio quaſi delicto, id eſt, propria negligentia, quia negligit, & omittit facere, ad quod ratione officij & ſtatus obligatur. Ex his ſatis elicitur

citur ad quid teneantur domini, qui hiſce tẽporibus infœlicibus permittunt in ſuis territorijs, & vt neutrales eorum more loquendi conniuent, raptores, prædones, & impunitos nebulones paſsim vagari, vbi etiam pedagia & vectigalia ſubleuant, à mercatoribus, & mercatores, peregrinos, extraneos & domeſticos ſpoliari, villas, oppidula, monaſteria, & templa deuaſtari, & etiam homines abduci, patiuntur & ſimilia non raro committuntur à paucisſimis ſceleratis & rebaldis cum maxima iactura ſubditorum, & aliorum, qui tutela & cuſtodia dominorum loci defendi deberent: Cum tamen impunè huiuſmodi prędones eundo & redeundo cum ſpolijs, ſacrilegijs, & captiuis ſæpè tranſeant per territoria trium, aut quatuor principum: aut dominorum, qui iure aut priuilegio regalium potiuntur, quibus tamen non regio modo vtantur ad ſecuritatẽ viarum regiarum, id eſt, publicarum. De his plura latius Zaſius doctè in dictis conſilijs congerit. Dubium, hic eſſe poteſt. *Quid ſi preda & direptio fuit facta in territorio vnius, & deinde tranſportata in prouinciã, aut dominium alterius & ibi diuiſa, aut captus fuit aliquis in dominio N. & ductus ſpoliatuſue in ditionem P. quis teneatur ad emendationem? cum delictũ initium ſumpſerit in primo loco & conſummatum ſit in ſecundo?* Bald. in L. Si quis non dicam rapere. numero 6. C. de Epiſcop. & Cleric. alleg. Iacob. & Bartolo ſentit, quod dominus vterq; quia vterq; fuit

in culpa. Quæ reſponſio ſatis ex ſuperioribus probatur. Quiſquis enim ſupremus magiſtratus, ſiue princeps ex officio tenetur prouidere, ne iniuriæ fiant in ſuo territorio, & prohibere acceſſum ſceleratorũ, aut eos cõprehẽdere ad vindictam, vt Bartol. Angel. Alberic. & communis cum text. in d. L. Ne quid. determinat, & ſatis ex ſuperioribus conſtat. Fures, prædones, ſacrilegi, & graſſatores vbique debent comprehendi, & ſeuère puniri, nec vllo in loco ſecurus eis cõcedendus tranſitus. Qui enim manifeſto eorum facinori deſinit obuiare, aut negligit, cum poſſit & teneatur, perturbare facinoroſos, eos fouere cenſetur cap. Facientes. 86. d. & cap. Sicut dignum. §. 1. de homicid. cum ſimilib.

Tertia Concluſio. *Deprædatus in caſu huius quæſtionis allegans damnum, cõtra dominum territorij, illud teſtibus probare debet.* Bartol. in d. L. Ne quid. & in L. 1. per text. ibid. ff. Quando ex facto tutoris. Bald. in d. §. Conuenticulas. Panormitan. & Imolen. in cap. fin. Quod met. cauſa. Andr. Gaill in d. obſeru. 64. numero 9. & ſeq. Ioſephus Maſcardus de probationibus volum. 1. concl. 471. num. 21. Ratio concluſionis adfertur, quia licet damnum illatum per dolum & violentiam in odium delinquentis ob difficultatẽ probationis per iuramentũ ipſius qui damnũ paſſus eſt, ꝓbetur. L. Si quando. C. Vnde vi. & DD. ibid. & L. Semper. §. In hoc interdicto. ff. Quod vi, aut clam. L. in actio-

actionib. ff. de in litē iurand. tamen hoc non habet locū, quando aliquis cōuenitur ex dolo alterius. Bartol. loc. cit. & alij vbi ſupra, & Iaſ. in d. L. Si quando. nū. 38. teſtatur hanc communi ſcribentiū conſenſu eſſe cōprobatā opinionē, & in caſu noſtro dominus territorij nō conuenitur ratione doli ꝓprij, cum non deliquerit dolo, ſed tantū in culpa ſit, & teneatur ex quaſi delicto, vtpote quia non purgauerit ꝓuinciam malefactorib. nec ſatis bonā cuſtodiā adhibuerit ꝑ ſecuritate viarum, quam ratione regalium, & officij conſeruare debebat. Quandoquidē ergo hîc actio non inſtituitur in odiū delinquentis dolo, ꝓbatio priuilegiata illa per iuramentū non admittitur, ſed legitima & ordinaria per teſtes requiritur.

NONA QVAESTIO.

An domini, aut Vaſalli ſæuientes in ſubditos, eos iniurijs, & iniuſtè damnis afficientes, ſint tolerandi, nec coërcendi à talibus iniurijs?

PRIMVM vt titulus quæſtionis intelligatur, exemplū in forma refero cum Boër. in deciſ. 304. qui hanc quæſtionē latius perſequitur, & poſt eū etiā ex profeſſo Andr. Gaill. pract. obſer. lib. 1. obſer. 17. Quidā nobilis habens in ſuo caſtro iuriſdictionē & plures ſubditos, quos dictim ꝑ libito volūtatis incarcerabat & verberabat, à qb. bona eorū extorquebat, & aliquādo pedites, & armigeros ad eorū

domos mittebat, an veniat ſua priuandus iuriſdictione, vel alia plectendus pœna? Clarius adhuc ſubiungere placet. Eſt aliquis generoſus dominus Vaſallus regis, aut ducis, qui ſubditos habet, qui obligati ſunt ſuo domino ab immemorabili tempore, & ex conſuetudine antiquiſsima ad certos reditus ſiue cenſus, & ordinaria onera certis anni temporibus, dominus autẽ Vaſallus in otio & voluptate vitam degens rei familiari parum attendens, & prodigalitatis multum amans, ſubſtantiam ſuam diſsipat, & extenuat, proprio ingenio & neceſsitate motus, aut ſociorum in diſsipatione ſubſtantiæ adinuentione eruditus, ſuis ſubditis, colonis aut cenſitis auget cenſus, & ita onera multiplicat, vt viuere non poſsint, nec tempus habeant, ad laborem pro neceſſarijs quotidianis, ſi quis ſe opponat, eum vt perturbatorem, aut rebellẽ carceribus includit, aut milites ſubornat qui damna & iniurias inferant, quas per ſe aut ſuos inferre non audet, ân dominus feudi, & ſupremus ſalua conſcientia poſsit tolerare talem Vaſallum, & dominum ſic crudeliter & iniurioſè dominantem in ſubiectos? Nunc ad reſolutionem deueniendum.

Prima Concl. *Dominus iure non poteſt ſubditis augere cenſum, aut reditum antiquum ipſis nolentibus, nec conſentientibus.* Hanc tenent Lucas de Penna, Iac. [illegible] Rebuff. & Ioan. de Platea in L. 1. C. In quib. cauſis coloni domin. accuſare poſſunt. lib.

lib. 11. Specul. in tit. de cenſib. §. Nunc dicendum. verſ. Sæpè quoq;. Bald. in cap. 1. Qualiter Vaſal. iura. debeat fidel. Stephan. Bertran. conſ. 238. vol. 2. & poſt alios plures Boër. in deciſ. 132. Vaſq. illuſtr. controuerſ. lib. 1. cap. 8. à num. 1. Andr. Gaill. in d. obſ. num. 3. & ita cóclusum in facto atteſtãtur Boer. & Vaſq. Pro hac concluſione ſunt text. iuris. L. Cum ſatis. §. Caueant. C. de agricol. & cenſit. lib. 11. & in d. L. 1. C. In quib. cauſ. col. domin. & in cap. Cum Apoſtolus. §. Prohibemus, & cap. Prohibemus. de cenſibus.

Secunda Concl. *Domini, aut Vaſalli ſubditos grauantes nouis, indebitis, & non conſuetis ſeruitijs, aut oneribus, peccant contra iuſtitiam, & tenentur reſarcire læſionem & damna ſecuta.* Hanc concluſionem docent S. Antonin. 3. part. tit. 4. cap. 3. Angel. in verb. Tallia. Syluest. in verb. Dominium & dominus. q. 4. Aurea Armilla in eod. verb. Gabr. in 4. d. 15. q. 5. art. 2. concl. 4. Lucas de Penna. Rebuff. Ioann. de Platea & alij in d. §. Caueant. & in d. L. 1. C. In quibus cauſ. col. domin. & alij alibi. Concluſio in primis confirmatur ex d. §. Caueant, qui ſic habet: Caueant poſſeſsionum domini, in quibus tales coloni conſtituti ſunt, aliquam innouationem, vel violentiam eis inferre. Si enim hoc approbatum fuerit, & per iudicem pronunciatum. Ipſe prouinciæ moderator, in qua aliquid tale fuerit perpetratum, omnino prouideat, & læſionem ſi qua ſubſecuta eſt, eis reſarcire, & ſic

veterem conſuetudinem,&c. obſeruare,& in d. L. 1. Prohibetur dominis vltra quam conſueuit exigere à colono, & in poſterũ, ne amplius fiat, mandatur. Prius reddito quod ſuper exactione perpetrata dignoſcitur extorſiſſe Noua & indebita ſeruitia & grauamina præſumuntur per vim & impreſsionem extorta, vt poſt Bald. quem allegant, in d. cap. 1. Qualiter Vaſ. iura debeat fidel. conſentiunt. Bertrand. in conſ. 17. vol. 1. Iacobin. de S. Georgio in qq. feudal. q. vlt. quæ habentur, poſt tit. ff. de iure dotium, & Boer. in deciſ. 132. num. 4. Ratio etiam pro hac concluſione eſt manifeſta: Quicunque aliquem grauamine & damno afficit contra iuſtitiam, peccat contra eandem virtutem, & tenetur ad reſtitutionem damni illati, & reparationé grauaminis: Qui enim cauſam damni dat, damnum d. diſſe dicitur. At dominus ſiue Vaſallus inſolitis nouiſque ſeruitijs, & grauaminibus ſubditos moleſtans & emungens iniuſtè grauat, & iniquè damno afficit iuxta iura, & legem illam, Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, & ſicut tibi tuas cupis conſeruari libertates, iura, & bona: Ita etiam tuis, quibus fruuntur, & ſemper cum pace freti ſunt, relinquas eorum libertatem, & iura. Ex hac concluſione infertur cum Syluestro, & alijs eos dominos grauiter peccare, qui vſurpant ſibi ea quæ ſunt communitatis, & ſubditorum, vt ſyluas, & earum vſum, campos, paſcua, aut aquarum vſum

vſum ſolitum, & ſimilia, tenentur ea reſignare, nec nō ceſſare à ſuo propoſito, & recōpenſare damnum datum. arg. cap. Si res. 14. q. 6. Hoc loco obſeruandum concluſiones has non eſſe intelligendas de principibus & ſupremis dominis quibus iure regalium & priuilegiorum competit vrgente neceſsitate ex iuſta cauſa vltra conſuetum aliquid exigere à ſubditis, & extraordinariè. Caſus autem in quibus id ſupremis dominis licitum colligunt D. Antoninus ſecunda parte titulo primo, capite decimotertio, §. 2. & poſt eum Gabriel. in d. quæſtione quinta, concluſione tertia, & alij alibi.

Tertia Concluſio. *Subditi qui à dominis, aut Vaſallis nouis grauaminibus premuntur, inſolitis ſeruitijs occupantur, aut angarijs, ſiue praangarijs, ſimilibusque modis nouis & exquiſitis moleſtantur, officium & protectionem ſuperioris domini implorare poſſunt, ne de cætero plus ſolito grauentur, & eis reparetur damnum iniuſtè illatum.* Hanc tenent DD. in d. §. Caueant. Speculat. in tit. de exactor. Boërius in deciſ. 304. Andreas Gaill. practic. obſeruat. libro primo obſeruat. 17. & alij alibi, & ſatis probatur in d. §. Caueant: ibi. Ipſe prouinciæ moderator, & in d. L. 1. ibi: adeat iudicem. & arg. L. Illicitas. §. Ne potentiores. ff. de offic. præſid. Imo etiamſi ſubditi non conquerantur, nec protectionē ſuperioris domini implorent, ſuperior tamen dominus ex officio, & munere iniuncto tenetur eis prouidere, & eo-

& eorũ protectioné ſubire. arg. cap. 1. de offic. iud. deleg. & L. Illicitas, ſtatim in prin. & ibid. §. Ne potétiores, & ita docét Faber. in L. 1. C. de offic. Comitis ſacrí palatij, & poſt eũ Boër. in d. deciſ. nũ. 5. Gramat. in deciſ. 104. Vaſq. illuſt. cõtrouerſ. lib. 1. cap. 8. nũ. 18. Gaill. in d. obſeruat. 17. num. 7. in fine. His accedit quod princeps agere poteſt & debet pro vexatione, & damno ſuis ſubditis illato, non aliter atq; tutor pro læſione ſui pupilli; quia vtriuſque officium ad hoc eſt ordinatum, vt poſt Bald. in cap. 1. §. Iudices, de pace tenenda, in tract. feud. Hoſtienſ. in cap. Licet. in fine de probat. Oldrad. in conſ. 266. incip. In cauſa Carmonenſi. Vaſq. in d. c. 8. num. 14. deducit. Huic conſonum eſt quod reges, principes, & prouinciarũ præſides ex iuſtitia tenétur ſubditos ab iniuria & damnis iminentibus defendere vt latè ſupra in hoc cap. q. 7. concl. 7. demonſtratum eſt. Text. inſignis eſt pro hac concluſione in d. L. Illicitas. vbi ſtatim in princip. dicitur: Illicitas exactiones & violentias factas, &c. Prohibeat præſes prouinciæ: & ibidem in d. §. Ne potentiores, ſic legitur: Ne potentiores viri humiliores iniurijs afficiant: Neue defenſores eorum calumnioſis criminibus inſectentur innocentes, ad religionem præſidis prouinciæ pertinet: vbi Gloſſ. & Baldus notant quod præſes debet prohibere apprehenſiones, concuſsiones, & retorſiones, & quælibet nocendi prætextum habentia, & maximè

ximè potentioribus, & his qui aliquod prætendunt officium. & Bald. ibidem addit: Præſes non debet pati, quod potentes grauent, & opprimant minus potentes, & iterum ſubdit; Pauperibus maxima & capitalis iniuria eſt, auferre illud modicum quod habent, ac ſi eis oculus extraheretur. Facit etiam ad propoſitũ illud Hieronymi in comment. ſuper Hieremiæ 2. relatum à Gratiano in cap. Regum 23. q. 5. Regum officium eſt proprium facere iudicium, atque iuſtitiam, & liberare de manu calumniantium vi oppreſſos: Quibus addendum eſt, quod ad officium præſidis & principis ſpectet prouidere vt prouincia malefactoribus, & ſceleratis hominibus purgetur. L. Congruit. ff. de offic. præſid. & D.D. ibidem, vt ſubditi in tranquillitate, pace & ſua libertate viuant. Sed nulli ſunt ſceleratiores eis qui ſubditorum ſubſtantiam exhauriunt; tales enim domini ſunt Tyranelli ait Boërius rectè in d. deciſ. 304. num. 4. qui pellem populorum excoriant, & ſanguinem emungunt, ac vix precarium eis dimittunt ſpiritum, vt inquit Bald. in L. Ex hoc iure. ff. de iuſtit. & iure. Procuratores enim generales, ſiue Fiſcales, qui ex ſuo officio cõſtituuntur ad hoc vt ſint cuſtodes & vigiles in prouincia, ne maleficia impunita maneant, in conſcientia tenentur inquirere, & ſuo officio fungi quando cognoſcunt ſubditos iniuriosè tractari à dominis, aut Vaſallis, & ſubiectos ex timore & me-
tu ſæ-

tu ſæuientium dominorum non conqueri apud præſidem prouinciæ, & ſuperiorem dominum: Qui enim diligentes ſunt ante omnẽ admonitionem, quando agitur de euacuanda crumena ſubditorum: diligentiores eſſe deberent, ne pauperes, pupilli, & viduæ, ac inferioris ſortis ſubditi deglutirentur à maioribus & potentioribus: Sicuti enim iudices pręſideſque ſine reſpectu perſonarum tenentur obſtare potentioribus, & inferiores defendere ab iniurijs: Sic procuratores generales obligantur cognitis talibus ſubditorum iniurijs quas patiuntur, excluſo omni timore & formidine potentis; ad præſidem prouinciæ deferre, vt remedium adhibeatur; & defenſio ſubditorum procuretur.

Quarta Concluſio. *Dominus ſeu Vaſallus ſæuiens in ſubditos, eos indebitè grauans iniurijs & damnis contra iuſtitiam afficiens, aut alios male tractans, ſi admonitus ſuperiori, non deſiſtit à malo propoſito, poteſt priuari ſuo feudo.* Hæc eſt communis & recepta concluſio quam tenent Bald. in tract. feudor. de pace tenend. §. Publici latrones. Aluarot. ibidem in §. Quicunq; 1. Iacobin. de S. Georgio in tract. feud. verb. Dictiq; Vaſalli promiſerunt non committere: Duodecima cauſa. Iaſ. in prælud. feudor. num. 69. Bartol. So. in conſ. 272. col. 5. verſic. Iſta concluſio. vol. 2. Ioan. Fab. in §. fin. Inſtit. Qui ſunt ſui, vel alieni iuris. Guido Papæ in deciſ. 62. Boer. latè in d. deciſ. 304. Paulus Caſtren. in Authent.

Qui

Qui rem. C. de ſacroſ. Eccleſijs. Curtius iunior in conſ. 137. Gramat. in d. deciſ. 104. Zaſius in tit. de feud. par. 10. concl. 8. num. 55. Vaſq. in d. cap. 8. Andreas Gaill. in d. obſeruat. 17. & alij alibi. Ratio huius concluſionis in hoc fundamentum communiter reſoluitur. Qui re ſua videlicet dominio & iuriſdictione abutitur, reddit ſe indignum, & meretur ea priuari argum. L. Imperator. ff. ad Trebell. L. Cum dotem. §. Si vero. ff. ſoluto matrimon. text. & DD. in L. 2. ff. De his qui ſunt ſui, vel alieni iuris, & §. fin. Inſtit. eod. & cap. fin. de accuſat. Bald. in capite primo. Qualiter domin. propriet. priuetur. Roman. & Alexand. in L. Diuortio. §. Si fundum. ff. Soluto matrim. Socin. & Curtius iunior in dictis conſil. & alijs locis citatis. Sed Vaſallus & dominus male tractans ſubditos, & eos iniurijs damniſque afficiens, aut inſolitis ſeruitijs oneribuſque opprimens dominio & iuriſdictione abutitur: Cum dominium, & iuriſdictio ſecundum omnium recte ſentientium mentem ordinata ſint in defenſionem ſubditorum, & ad eorum tranquillitatem & vtilitatem. Qui enim alium molientem damna & iniurias cótra ſuos ſubditos ex officio prohibere & impedire debent, à ſimilibus abſtineant, neceſſe eſt. Sic ſummus in Eccleſia Pótifex Imperatores & reges imperio & principatu abutentes poteſt priuare, & deponere ex DD. recepta ſententia. Bald. in L. Reſcrip-

lib. 5. de Romano Pontifice, cap. 8. tom. 1. controuerſ. Præterea pro concluſione facit; quod Vaſallus quodammodo æquiparatur vſufructuario. Angel. in conſ. 321. alias 324. incip. Illuſtris & magnificus dominus Nicolaus Curtius iunior, Zaſius, loc. cit. & alij. Vſufructuarius autem abutendo re, in qua vſumfructũ habet, debet priuari vſufructu, Paulus Caſtrenſis & Guilhelm. de Cuneo, in d. Auctent. Qui rem. Alexand. in d. L. Diuortio. §. Si fundum. Curtius Iunior; & Zaſius locis citatis, & allegantur ad propoſitum. L. Cognouimus. C. de mancip. & colonis. & L. Eos. C. de Aquæduct. lib. 11. princip. & L. Hoc amplius, in ff. de damno infect. Poſtremo arctior & maior eſt coniunctio viri & vxoris vnitorum vinculo matrimonij, cum ſint duo in carne vna ex ſacris literis, quam Vaſalli & ſuorũ ſubditorũ. Sed, matrimonium poteſt ſeparari (intellige quãtum ad thorũ) & vxor poteſt recedere à viro propter eius ſæuitiam & nimis durã tractationem cap. Ex tranſmiſſa, & c. Literas, de reſtit. ſpoliator. Panormit. Cardin. Petr. Ancharan. & alij in d. c. Literas. Anton. cum Card. in c. Ex tranſmiſſa. Bald. in L. 1. C. de Legat. num. 9. Iaſ. ibid. num. 4. & alij paſſim alibi. Ergo ſi Vaſallus male tractet ſubditos, & in eos iniurioſe ſæuiat poterit ſeparari à ſubditis & eximi à iuriſdictione in eos: Et ſicut mulier, quãdo indebite à marito tractatur, nec eſt ſpes

emendationis etiam poſt admonitionem poteſt adire iudicem eiuſq; auxilium implorare pro ſeparatione: Ita ſubditi domini ſiue Vaſalli nimium ſęuientis, & contra iuſtitiam grauantis ſi poſt admonitioné nulla ſpes melioris propoſiti effulgeat, poſſunt accedere ſuperioré dominũ, & petere liberationé exemtionemq;. Superior autem non debet admittere querelam & petitioné ſubditorũ, niſi probata iniuria, & mala tractatione, quando aliter nõ cõſtat: Quia regulariter præſumptio militat pro magiſtratu. cap. In præſentia, de renunc. & cap. Sicut nobis, de ſentent. & re iudic. L. 2. C. de offic. ciuil. iudic. & docet Andreas Gaill. in d. obſeruat. 17. num. 7. niſi alia coniectura ſit in contrarium, vtpote quod dominus ſolitus ſit iniuſtè facere, ſubditos grauare, concutere, & excoriare: tunc enim præſumptio eſt contra talem magiſtratum, per tradita ab Innocent. in cap. Diuerſis. numero 3. de cler. coniug. & arg. c. Conquerente. de reſtitut. ſpoliat. & L. Prohibitum eſt. C. de iure Fiſci. lib. 10. Gaill. loco cit. Quod confirmari poteſt ex regula illa. Semel malus, præſumitur adhuc malus. Quod intelligendum niſi conſtet de reſipiſcentia iuxta tradita à Bartol. in L. in confirmando. ff. de confirmat. tutor. Alexand. in L. 1. numero 33. ff. ſoluto matrim. Iaſ. in L. Si prius numero 42. ff. de operis noui nunciat. & alijs alibi, & à communiter accidentibus Valet etiam argumentum in

Iure.

iure, & materia morali Gloſſ. & Bald. in L. Neq; natales. C. de probationibus. Gloſſ. & DD. in L. Non hoc. C. Vnde cog. Marſil. in practica criminalium. §. Secunda. numero 36. Boer. in deciſ. 288. num. 1. Ex quo capite ſequitur, quod ſi quis ſolitus ſit ſæuire in ſubditos, præſumptionem habeat contra ſe, niſi appareat oppoſitum. Sunt enim aliqui domini & officiales ita habendi cupiditate imflammati, & auaritia pleni quam de die cogitant, & de nocte ſomniant, vt verbis Petri Antiboli in tract. de muneribus parte vltitma, fol. penult. 1. & Boer. in d. deciſ. num. 4. vtar, vt ſemper ſint hominibus ſuis infeſti. Nunquam deſiſtunt adinueuire nouas adinuentiones, & ſceleratas practicas quibus excorient miſeros rùſticos, quorum tamen opera viuunt. Vtinam multi potentes, multi nobiles, multi diuites, multa publica priuataque auctoritate pollentes ſæpè perpenderent, quã nobile neceſſariumque genus hominum ſit, quod communiter ruſticum appellamus, & ruri vitam degit. Quot potentes ſua induſtria & labore ruſtici enutriunt? Quot magnates ſua cura ornant? Quot guloſos ſuo ſudore paſcunt? Quot otio & voluptati deditos, ſplendide ſua cultura, ac diurnis nocturniſq; laboribus implent? Quam multos pigros & inertes ſua diligentia, & indefeſſa ſolicitudine iuuant? Multi profectò miſerrimam vitam agerent, niſi miſerorũ ruſticorũ ſudoribus &

 dolo-

doloribus alerentur. Vnde profectò Deo & hominibus ingrati ſunt, qui eos iniuſtè grauãt ſupprimuntq;, quos merito beneficijs, amore & honore proſequi deberent, propter beneficia, & bona quæ auxilio eorum cõſequũtur. Sanè dolendum eſt homines inueniri, qui erga ſuos conſortes, & membra Chriſti omnẽ videntur humanitatem quandoq; exuiſſe, ita inhumaniter & dirè tractant eos, qui eorũ dominio ſubduntur. Etſi enim aliquis ſit Dominus propriorum hominum, qui ad arbitrium dominorum indiſtinctè tenentur operas præſtare, & toties quoties domini exigunt, tamen non ſunt ita aſsiduis laboribus & angarijs grauandi, vt non ſuppetat eis tempus ſe ſuoſque alendi. argum. L. Cum patronus. & L. Non audiendus. ff. de oper. libert. Quod vtinam ætas noſtra attenderet, ait, Zaſius lib. 1. cap. 3. num. 8. Singularium reſponſorum, vbi latiſſimè materiam de operis, & obſequijs libertorum & earundem ſpeciebus perſequitur, ac etiam oſtẽdit quibus operibus homines proprij occupandi, & quibus non.

DECIMA QVAESTIO.

Vtrum quis ad reſtitutionem teneatur de damno dato culpa leui, vel leuiſſima?

HAEC queſtio poteſt intelligi tam de foro cõſcientiæ, quam de foro exteriori.

Dein-

Deinde in memoriã reducenda, quæ in 2. par. Rubr. tradita ſunt, de culpa lata, leui & leuiſſima. Præterea in hac quæſtione nunc non quæritur quando quis ratione contractus, aut officij ſit obligatus ad reſtitutionẽ, ſed ratione delicti, & culpæ pręter intentionem, & per accidens, ita tamen vt aliqua culpa interueniat: e. g. proijcis ex tuo cubiculo ſuperiori lapidem in plateam, vt euacuetur cubiculum, tranſit puer, cui vulnus iactu lapidis infers.

Prima Concluſio. *Qui caſu mero fortuito damnum infert in nullo foro tenetur ad reſtitutionem.* Hęc eſt communis Theologorum & Iuriſperitorum: nec poteſt in ea eſſe dubium, & probatur ex hoc noſtro cap. ibi: Licet, qui occaſionem dat, damnum dediſſe videatur: ſecus tamẽ eſt de illo dicendũ, qui vt non accideret, de contingentibus nihil omiſit, & cap. vnico, de cõmod. & in L. Si ex plagis. §. fin. ff. ad legem Aquil. & ibidem in L. Occidit. §. In hac quoque actione.

Secunda Concluſio. *Qui culpa lata occaſionem damni dedit, etiam in vtroque foro tenetur ad emendationem.* Hæc eſt etiam communis DD. vtriuſque facultatis, & fundatũr etiam in hoc cap. & cap. Sicut dignum. de homicidio, & in dictis legibus, & paſſim alibi.

Tertia Concluſio. *In foro conſcientiæ, ſiue interiori, qui ex leui, aut leuiſsima culpa damnum intulit, non tenetur ad illius reparationem.* Hæc

concluſio eſt contra Panormitan. in hoc cap. Angel. in ſumma. in verb. Culpa. in fine. Adrian. in 4. de reſtitut. in q. Vtrum in foro conſcientiæ. Gloſſ. in cap. Conſuluiſti. ſuper verb. Homicidij. 2 q. 5. Cui etiam videtur adhærere Didac. Couarruu. ſuper 4. Decretal. de matrim. 2. part. §. 8. num. 16. & Vaſq. illuſtr. controuerſ. libro primo cap. 28. numero 19. quantum ad culpam leuem. Syluester in verb. Incendiarius. q. 1. & alibi etiam videtur eiuſdem opinionis, ſed tum loquitur ex aliorum opinione. Horum DD. ſententia eſt damnum etiam datum ex culpa leui, & leuiſsima in foro conſcientiæ eſſe reparandum, cuius contrarium concluſio noſtra aſtruit, quam apprehendunt Innocentius in d. cap. Sicut dignum. de homicid. & poſt eum Panormitanus in cap. Cum cauſam. col. 5. de teſtibus, & in cap. Dilecti, de arbit. & in cap. Si egreſſus ſuper hoc tit. vbi tamen dubitatiuè loquitur. Ioannes ab Anania, & Felin. in d. c. Sicut dignum. 5. fin. Decius in c. Quoniam contra, de probat. numero 31. & in cap. 1. de conſtitut. numero 10. in 2. lect. Roman. in ſing. 105. Anton. Corſetus in ſing. in verb. Forum conſcientiæ. Antonius Gomez. reſolut. variar. tom. 3. cap. 2. numero 5. verſic. Item etiam damnum. Iulius Clarus libro quinto ſententiarum. §. fin. q. 62. numero 5. & ex Theologis Gabr. in 4. d. 15. q. 14. art. 3. dub. 2. Sylueſter in verb. Culpa. q. 4. vbi dicit

dicit quod dictum Innocentij magis placet, & eſt opinio communior. Roſella in verb. Aduocatus. §. 24. Petrus à Nauarra libro ſecundo de reſtitut. cap. 1. numero 58. & alij alibi, & hæc eſt communis opinio, vt atteſtantur Corſetus, Vaſquius, Iulius Clarus, Didacus loc. cit. & alij quidam. Fundamenta pro hac concluſione. Primùm Innocentij ex cap. Inebriauerunt. 15. q. 1. deſumptum ex Auguſtino lib. 22. contra Fauſtum, cap. 44 vbi habetur: Inebriauerunt Loth filiæ eius & ſe neſcienti miſcuerunt. Propterea culpatus eſt, non quantum ille inceſtus, ſed quantum illa ebrietas meretur. Ex mente ergo Auguſtini, etſi imputanda culpa homini, ex qua aliud damnum ſuccedit præter intentionem operantis, non tamen eſt imputandum damnum ex illa ſubſecutum. Ergo à ſimili in noſtro propoſito quamuis culpa leuis, vel leuiſsima debeat imputari eam cõmittenti, damnũ tamẽ ex illa ſequens non obligabit illũ in cõſientia, nec imputabitur culpã cõmittẽti. Innoc. quidem ſolum allegat. d. cap. Inebriauerunt: ſed argumenti ab eo intenti hic videtur neruus. Secundũ. In foro conſcientiæ voluntas attendenda eſt, quæ tamen in culpa leui & leuiſsima deficit in ꝓpoſito: Quod enim voluntarium non eſt nec etiam imputatur ad culpam 15. q. 1. cap. 1. in principio & ibidem in multis canon. Accedit quod iura, quæ loquuntur de culpa leui, aut leuiſsima fundantur

in præſumptione cui non eſt locus in foro cóſcientiæ. Poſtremo vbi nullum peccatum injuſtitiæ intercedit, ibi nulla naſcitur reſtitutionis obligatio, aut damni neceſſaria reparatio ratione iniurioſæ actionis, vt alibi ex receptiſsima DD. ſententia traditum eſt. At poteſt contingere, quod damnum ex leui, aut leuiſsima culpa oriatur ſine peccato mortali iniuſtitię: Quia culpa leuis, aut leuiſsima apud iuriſperitos, vt nunc loquimur in propoſitione non habet neceſſario adiunctā ſemper culpam etiam venialem apud Theologos, vt etiam ipſemet Adrian. in d. q. libenter confitetur, & ſatis colligitur ex differentia quæ eſt inter peccatum ſecundum Theologos, & inter culpam iuxta iuriſtarum mentem. Peccatum enim ſecundum Theologiā eſt deuiatio actus à rectitudine ea quæ ſecundum rectam rationem, aut legem ineſſe debet. Vnde omnis culpa ſic ſumpta ſemper aut eſt contra rectam rationem, aut aliquam legem naturalem, aut poſitiuam. Sed culpa apud iuriſtas eſt deuiatio ab eo, quod bonum eſt, quodq; potuit per hominis prouidentiam & diligentiam vitari: Hinc non tam defectum rationis quam diligentiæ & curæ alicuius, quæ impendēda erat, continet. Talis autem diligentię omiſsio abſque peccato eſſe poteſt in leui, aut leuiſsima culpa. Quia nullus ſecundum rectam rationem, aut aliquam legem in omni ſua actione tenetur eſſe prudentior, aut prudentiſsimus,

ſatis

ſatis enim eſt, vt aliquis ſit prudens, aut prouidus, vt ſubtiliter Petrus à Nauarra loco cit. deducit. Accedit quod homo naturaliter ſæpè obliuiſcitur maioris diligentiæ & prouidentiæ impendendæ, nec tum dicendum aliquem peccare: Ergo ſatis conſtat leuem aut leuiſsimā culpā ſine peccato eſſe poſſe. Obijcitur contra cōncluſionem præſens cap. quādo dicitur: *Si tua culpa datum eſt damnum, vel iniuria irrogata, vel ſi hæc tua negligentia & imperitia venerunt, iure ſuper his ſatisfacere te oportet, nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo iniuriam veriſimiliter poſſe contingere: Secus de illo, qui nihil ex contingentibus omiſit.* Reſpondetur hoc cap. probare, quod quando peccatum intercedit, oriatur reſtituendi obligatio. Id enim nomine negligentiæ & imperitiæ intelligitur: Cum enim ſubdatur: (nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo iniuriam veriſimiliter poſſe contingere) Hæc enim dicta ſunt, de culpa lata & ignorantia craſſa, vt ex ſequentibus elicitur.

Quarta Concluſio. *In foro exteriori, & contentioſo etiam quis tenebitur ad emendationem damni dati ex culpa leui aut leuiſsima.* Hæc eſt communis DD. in locis vt plurimum in præcedenti concluſione allegatis, & text. eſt clarus in L. In lege Aquilia 2. vbi ſic dicitur. In lege Aquilia & leuiſsima culpa venit. Illud tamen obſeruandum, quod quando hic aſſeritur aliquē teneri ad ſatisfactionem damni ex cul-

veterem conſuetudinem,&c. obſeruare, & in d. L. 1. Prohibetur dominis vltra quam conſueuit exigere à colono, & in poſterũ, ne amplius fiat, mandatur. Prius reddito quod ſuper exactione perpetrata dignoſcitur extorſiſſe Noua & indebita ſeruitia & grauamina præſumuntur per vim & impreſsionem extorta, vt poſt Bald. quem allegant, in d. cap. 1. Qualiter Vaſ. iura debeat fidel. conſentiunt. Bertrand. in conſ. 17. vol. 1. Iacobin. de S. Georgio in qq. feudal. q. vlt. quæ habentur, poſt tit. ff. de iure dotium, & Boer. in deciſ. 132. num. 4. Ratio etiam pro hac concluſione eſt manifeſta: Quicunque aliquem grauamine & damno afficit contra iuſtitiam, peccat contra eandem virtutem, & tenetur ad reſtitutionem damni illati, & reparationẽ grauaminis: Qui enim cauſam damni dat, damnum d. diſſ dedicitur. At dominus ſiue Vaſallus inſolitis nouiſque ſeruitijs, & grauaminibus ſubditos moleſtans & emungens iniuſtè grauat, & iniquè damno afficit iuxta iura, & legem illam, Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, & ſicut tibi tuas cupis conſeruari libertates, iura, & bona: Ita etiam tuis, quibus fruuntur, & ſemper cum pace freti ſunt, relinquas eorum libertatem, & iura. Ex hac concluſione infertur cum Syluestro, & alijs eos dominos grauiter peccare, qui vſurpant ſibi ea quæ ſunt communitatis, & ſubditorum, vt ſyluas, & earum vſum, campos, paſcua, aut aquarum
vſum

vſum ſolitum, & ſimilia, tenentur ea reſignare, nec nō ceſſare à ſuo propoſito, & recōpenſare damnum datum. arg. cap. Si res. 14. q. 6. Hoc loco obſeruandum concluſiones has non eſſe intelligendas de principibus & ſupremis dominis quibus iure regalium & priuilegiorum competit vrgente neceſsitate ex iuſta cauſa vltra conſuetum aliquid exigere à ſubditis, & extraordinariè. Caſus autem inquibus id ſupremis dominis licitum colligunt D. Antoninus ſecunda parte titulo primo, capite decimotertio, §. 2. & poſt eum Gabriel. in d. quæſtione quinta, concluſione tertia, & alij alibi.

Tertia Concluſio. *Subditi qui à dominis, aut Vaſallis nouis grauaminibus premuntur, inſolitis ſeruitijs occupantur, aut angarijs, ſiue praangarijs, ſimilibusque modis nouis & exquiſitis moleſtantur, officium & protectionem ſuperioris domini implorare poſſunt, ne de catero plus ſolito grauentur, & eis reparetur damnum iniuſtè illatum.* Hanc tenent DD. in d. §. Caueant. Speculat. in tit. de exactor. Boërius in deciſ. 304. Andreas Gaill. practic. obſeruat. libro primo obſeruat. 17. & alij alibi, & ſatis probatur in d. §. Caueant: ibi. Ipſe prouinciæ moderator, & in d. L. 1. ibi: adeat iudicem. & arg. L. Illicitas. §. Ne potentiores. ff. de offic. præſid. Imo etiamſi ſubditi non conquerantur, nec protectionē ſuperioris domini implorent, ſuperior tamen dominus ex officio, & munere iniuncto tenetur eis prouidere, & eo-

& eorũ protectioné ſubire. arg.cap.1.de offic. iud.deleg.& L.Illicitas,ſtatim in prin. & ibid. §.Ne potẽtiores,& ita docẽt Faber. in L.1.C.de offic. Comitis ſacrĩ palatij, & poſt eũ Boer. in d.deciſ.nũ.5.Grãmat. in deciſ.104.Vaſq.illuſt. cõtrouerſ.lib.1.cap.8.nũ.18. Gaill. in d. obſeruat.17.num.7. in fine. His accedit quod princeps agere poteſt & debet pro vexatione, & damno ſuis ſubditis illato, non aliter atq; tutor prõ læſione ſui pupilli; quia vtriuſque officium ad hoc eſt ordinatum, vt poſt Bald. in cap.1.§. Iudices, de pace tenenda, in tract. feud.Hoſtienſ.in cap.Licet. in fine de probat. Oldrad. in conſ.266. incip. In cauſa Carmonenſi. Vaſq. in d. c.8.num.14. deducit. Huic conſonum eſt quod reges, principes, & prouinciarũ præſides ex iuſtitia tenẽtur ſubditos ab iniuria & damnis iminentibus defendere vt latè ſupra in hoc cap. q.7.concl.7. demonſtratum eſt. Text. inſignis eſt pro hac concluſione in d. L. Illicitas. vbi ſtatim in princip. dicitur: Illicitas exactiones & violentias factas, &c. Prohibeat præſes prouinciæ: & ibidem in d.§. Ne potentiores, ſic legitur: Ne potentiores viri humiliores iniurijs afficiant: Neue defenſores eorum calumnioſis criminibus inſectentur innocentes, ad religionem præſidis prouinciæ pertinet: vbi Gloſſ. & Baldus notant quod præſes debet prohibere apprehenſiones, concuſsiones, & retorſiones, & quælibet nocendi prætextum habentia, & maximè

ximè potentioribus, & his qui aliquod prætendunt officium. & Bald. ibidem addit: Præſes non debet pati, quod potentes grauent, & opprimant minus potentes, & iterum ſubdit: Pauperibus maxima & capitalis iniuria eſt, auferre illud modicum quod habent, ac ſi eis oculus extraheretur. Facit etiam ad propoſitũ illud Hieronymi in comment. ſuper Hieremiæ 2. relatum à Gratiano in cap. Regum 23. q. 5. Regum officium eſt proprium facere iudicium, atque iuſtitiam, & liberare de manu calumniantium vi oppreſſos. Quibus addendum eſt, quod ad officium prætidis & principis ſpectet prouidere vt prouincia malefactoribus, & ſceleratis hominibus purgetur. L. Congruit. ff. de offic. præſid. & D.D. ibidem, vt ſubditi in tranquillitate, pace & ſua libertate viuant. Sed nulli ſunt ſceleratiores eis qui ſubditorum ſubſtantiam exhauriunt; tales enim domini ſunt Tyranelli ait Boërius rectè in d. deciſ. 304. num. 4. qui pellem populorum excoriant, & ſanguinem emungunt, ac vix precarium eis dimittunt ſpiritum, vt inquit Bald. in L. Ex hoc iure. ff. de iuſtit. & iure. Procuratores enim generales, ſiue Fiſcales, qui ex ſuo officio cõſtituuntur ad hoc vt ſint cuſtodes & vigiles in prouincia, ne maleficia impunita maneant, in conſcientia tenentur inquirere, & ſuo officio fungi quando cognoſcunt ſubditos iniuriosè tractari à dominis, aut Vaſallis, & ſubiectos ex timore & metu ſæ-

tu ſæuientium dōminorum nōn conqueri apud præſidem prouinciæ, & ſuperiorem dominum: Qui enim diligentes ſunt ante omnē admonitionem, quando agitur de euacuanda crumena ſubditorum: diligentiores eſſe deberent, ne pauperes, pupilli, & viduæ, ac inferioris ſortis ſubditi deglutirentur à maioribus & potentioribus: Sicuti enim iudices prę ſideſque ſine reſpectu perſonarum tenentur obſtare potentioribus, & inferiores defendere ab iniurijs: Sic procuratores generales obligantur cognitis talibus ſubditorum iniurijs quas patiuntur, excluſo omni timore & formidine potentis; ad præſidem prouinciæ deferre, vt remedium adhibeatur, & defenſio ſubditorum procuretur.

Quarta Concluſio. *Dominus ſeu Vaſallus ſæuiens in ſubditos, eos indebitè grauans iniurijs & damnis contra iuſtitiam afficiens, aut alios male tractans, ſi admonitus ſuperiori, non deſiſtit à malo propoſito, poteſt priuari ſuo feudo.* Hæc eſt communis & recepta concluſio quam tenent Bald. in tract. feudor. de pace tenend. §. Publici latrones. Aluarot. ibidem in §. Quicunq; 1. Iacobin. de S. Georgio in tract. feud. verb. Dictiq; Vaſalli promiſerunt non committere: Duodecima cauſa. Iaſ. in prælud. feudor. num. 69. Bartol. Socin. in conſ. 272. col. 5. verſic. Iſta concluſio. vol. 2. Ioan. Fab. in §. fin. Inſtit. Qui ſunt ſui, vel alieni iuris. Guido Papæ in deciſ. 62. Boër. latè in d. deciſ. 304. Paulus Caſtren. in Auctent.

Qui

Qui rem. C. de ſacroſ. Eccleſijs. Curtius iunior in conſ. 137. Gramat. in d. deciſ. 104. Zaſius in tit. de feud. par. 10. concl. 8. num. 55. Vaſq. in d. cap. 8. Andreas Gaill. in d. obſeruat. 17. & alij alibi. Ratio huius concluſionis in hoc fundamentum communiter reſoluitur. Qui re ſua videlicet dominio & iuriſdictione abutitur, reddit ſe indignum, & meretur ea priuari argum. L. Imperator. ff. ad Trebell. L. Cum dotem. §. Si vero. ff. ſoluto matrimon. text. & DD. in L. 2. ff. De his qui ſunt ſui, vel alieni iuris, & §. fin. Inſtit. eod. & cap. fin. de accuſat. Bald. in capite primo. Qualiter domin. propriet. priuetur. Roman. & Alexand. in L. Diuortio. §. Si fundum. ff. Soluto matrim. Socin. & Curtius iunior in dictis conſil. & alij locis citatis. Sed Vaſallus & dominus male tractans ſubditos, & eos iniurijs damniſque afficiens, aut inſolitis ſeruitijs oneribuſque opprimens dominio & iuriſdictione abutitur: Cum dominium, & iuriſdictio ſecundum omnium recte ſentientium mentem ordinata ſint in defenſionem ſubditorum, & ad eorum tranquillitatem & vtilitatem. Qui enim alium molientem damna & iniurias cōtra ſuos ſubditos ex officio prohibere & impedire debent, à ſimilibus abſtineant, neceſſe eſt. Sic ſumus in Eccleſia Pōtifex Imperatores & reges imperio & principatu abutentes poteſt priuare, & deponere ex DD. recepta ſententia. Bald. in L.

Reſcrip-

lib. 5. de Romano Pontifice, cap. 8. tom. 1. controuerſ. Præterea pro concluſione facit; quod Vaſallus quodammodo æquiparatur vſufructuario. Angel. in conſ. 321. alias 324. incip. Illuſtris & magnificus dominus Nicolaus Curtius iunior, Zaſius, loc. cit. & alij. Vſufructuarius autem abutendo re, in qua vſumfructū habet, debet priuari vſufructu, Paulus Caſtrenſis & Guilhelm. de Cuneo, in d. Auctent. Qui rem. Alexand. in d. L. Diuortio. §. Si fundum. Curtius Iunior, & Zaſius locis citatis, & allegantur ad propoſitum. L. Cognouimus. C. de mancip. & colonis. & L. Eos. C. de Aquæduct. lib. 11. princip. & L. Hoc amplius, in ff. de damno infect. Poſtremo arctior & maior eſt coniunctio viri & vxoris vnitorum vinculo matrimonij, cum ſint duo in carne vna ex ſacris literis, quam Vaſalli & ſuorū ſubditorū. Sed, matrimonium poteſt ſeparari (intellige quātum ad thorū) & vxor poteſt recedere à viro propter eius ſæuitiam & nimis durā tractationem cap. Ex tranſmiſſa, & c. Literas, de reſtit. ſpoliator. Panormit. Cardin. Petr. Ancharan. & alij in d. c. Literas. Anton. cum Card. in c. Ex tranſmiſſa. Bald. in L. 1. C. de Legat. num. 9. Iaſ. ibid. num. 4. & alij paſsim alibi. Ergo ſi Vaſallus male tractet ſubditos, & in eos iniurioſe ſæuiat poterit ſeparari à ſubditis & eximi à iuriſdictione in eos: Et ſicut mulier, quādo indebite à marito tractatur, nec eſt ſpes

emendationis etiam poſt admonitionem po-
teſt adire iudicem eiuſq; auxilium implorare
pro ſeparatione: Ita ſubditi domini ſiue Va-
ſalli nimium ſęuientis, & contra iuſtitiam gra-
uantis ſi poſt admonitioně nulla ſpes melio-
ris propoſiti effulgeat, poſſunt accedere ſupe-
riorě dominũ, & petere liberationě exemtio-
nemq;. Superior autem non debet admittere
querelam & petitioně ſubditorũ, niſi probata
iniuria, & mala tractatione, quando aliter nõ
cõſtat: Quia regulariter præſumptio militat
pro magiſtratu. cap. In præſentia, de renunc.
& cap. Sicut nobis, de ſentent. & re iudic. L.
2. C. de offic. ciuil. iudic. & docet Andreas
Gaill. in d. obſeruat. 17. num. 7. niſi alia con-
iectura ſit in contrarium, vtpote quod domi-
nus ſolitus ſit iniuſtè facere, ſubditos grauare,
concutere, & excoriare: tunc enim præſump-
tio eſt contra talem magiſtratum, per tradita
ab Innocent. in cap. Diuerſis. numero 3. de
cler. coniug. & arg. c. Conquerente. de reſti-
tut. ſpoliat. & L. Prohibitum eſt. C. de iure
Fiſci. lib. 10. Gaill. loco cit. Quod confirma-
ri poteſt ex regula illa. Semel malus, præſu-
mitur adhuc malus. Quod intelligendum ni-
ſi conſtet de reſipiſcentia iuxta tradita à Bar-
tol. in L. in confirmando. ff. de confirmat. tu-
tor. Alexand. in L. 1. numero 33. ff. ſoluto ma-
trim. Iaſ. in L. Si prius numero 42. ff. de ope-
ris noui nunciat. & alijs alibi, & à communi-
ter accidentibus Valet etiam argumentum in
iure

iure, & materia morali Gloſſ. & Bald. in L. Neq; natales. C. de probationibus. Gloſſ. & DD. in L. Non hoc. C. Vnde cog. Marſil. in practica criminalium. §. Secunda. numero 36. Boer. in deciſ. 288. num. 1. Ex quo capite ſequitur, quod ſi quis ſolitus ſit ſæuire in ſubditos, præſumptionem habeat contra ſe, niſi appareat oppoſitum. Sunt enim aliqui domini & officiales ita habendi cupiditate imflammati, & auaritia pleni quam de die cogitant, & de nocte ſomniant, vt verbis Petri Antiboli in tract. de muneribus parte vltitma, fol. penult. 1. & Boer. in d. deciſ. num. 4. vtar, vt ſemper ſint hominibus ſuis infeſti. Nunquam deſiſtunt adinueuire nouas adinuentiones, & ſceleratas practicas quibus excorient miſeros ruſticos, quorum tamen opera viuunt. Vtinam multi potentes, multi nobiles, multi diuites, multa publica priuataque auctoritate pollentes ſæpè perpenderent, quā nobile neceſſariumque genus hominum ſit, quod communiter ruſticum appellamus, & ruri vitam degit. Quot potentes ſua induſtria & labore ruſtici cnutriunt? Quot magnates ſua cura ornant? Quot guloſos ſuo ſudore paſcunt? Quot otio & voluptati deditos, ſplendide ſua cultura, ac diurnis nocturniſq; laboribus implent? Quam multos pigros & inertes ſua diligentia, & indefeſſa ſolicitudine iuuant? Multi profecto miſerrimam vitam agerent, niſi miſerorū ruſticorū ſudoribus & dolo-

doloribus alerentur. Vnde profecto Deo & hominibus ingrati ſunt, qui eos iniuſtè grauāt ſupprimuntq; , quos merito beneficijs, amore & honore proſequi deberent, propter beneficia, & bona quæ auxilio eorum cōſequūtur. Sanè dolendum eſt homines inueniri, qui erga ſuos conſortes, & membra Chriſti omnē videntur humanitatem quandoq; exuiſſe, ita inhumaniter & dirè tractant eos, qui eorū dominio ſubduntur. Etſi enim aliquis ſit Dominus propriorum hominum, qui ad arbitrium dominorum indiſtinctè tenentur operas præſtare, & toties quoties domini exigunt, tamen non ſunt ita aſsiduis laboribus & angarijs grauandi, vt non ſuppetat eis tempus ſe ſuoſque alendi. argum. L. Cum patronus. & L. Non audiendus. ff. de oper. libert. Quod vtinam ætas noſtra attenderet, ait, Zaſius lib. 1. cap. 3. num. 82 Singularium reſponſorum, vbi latiſſimè materiam de operis, & obſequijs libertorum & earundem ſpeciebus perſequitur, ac etiam oſtēdit quibus operibus homines proprij occupandi, & quibus non.

DECIMA QVAESTIO.

Vtrum quis ad reſtitutionem teneatur de damno dato culpa leui, vel leuiſsima?

HAEC quęſtio poteſt intelligi tam de foro cōſcientiæ, quam de foro exteriori. Dein-

Deinde in memoriã reducenda, quæ in 2. par. Rubr. tradita ſunt, de culpa lata, leui & leuiſſima. Præterea in hac quæſtione nunc non quæritur quando quis ratione contractus, aut officij ſit obligatus ad reſtitutioné, ſed ratione delicti, & culpæ prçter intentionem, & per accidens, ita tamen vt aliqua culpa interueniat: e. g. proijcis ex tuo cubiculo ſuperiori lapidem in plateam, vt euacuetur cubiculum, tranſit puer, cui vulnus iactu lapidis infers.

Prima Concluſio. *Qui caſu mero fortuito damnum infert in nullo foro tenetur ad reſtitutionem.* Hçc eſt communis Theologorum & Iuriſperitorum: nec poteſt in ea eſſe dubium, & probatur ex hoc noſtro cap ibi: Licet, qui occaſionem dat, damnum dediſſe videatur: ſecus tamẽ eſt de illo dicendu, qui vt non accideret, de contingentibus nihil omiſit, & cap. vnico, de cómod. & in L. Si ex plagis, §. fin. ff. ad legem Aquil. & ibidem in L. Occidit. §. In hac quoque actione.

Secunda Concluſio. *Qui culpa lata occaſionem damni dedit, etiam in vtroque foro tenetur ad emendationem.* Hæc eſt etiam communis DD. vtriuſque facultatis, & fundatũr etiam in hoc cap. & cap. Sicut dignum. de homicidio, & in dictis legibus, & paſsim alibi.

Tertia Concluſio. *In foro conſcientiæ, ſiue interiori, qui ex leui, aut leuiſsima culpa damnum intulit, non tenetur ad illius reparationem.* Hæc con-

concluſio eſt contra Panormitan. in hoc cap. Angel. in ſumma. in verb. Culpa. in fine. Adrian. in 4. de reſtitut. in q. Vtrum in foro conſcientiæ. Gloſſ. in cap. Conſuluiſti. ſuper verb. Homicidij. 2 q. 5. Cui etiam videtur adhærere Didac. Couarruu. ſuper 4. Decretal. de matrim. 2. part. §. 8. num. 16. & Vaſq. illuſtr. controuerſ. libro primo cap. 28. numero 19. quantum ad culpam leuem. Syluester in verb. Incendiarius. q. 1. & alibi etiam videtur eiuſdem opinionis, ſed tum loquitur ex aliorum opinione. Horum DD. ſententia eſt damnum etiam datum ex culpa leui, & leuiſsima in foro conſcientiæ eſſe reparandum, cuius contrarium concluſio noſtra aſtruit, quam apprehendunt Innocentius in d. cap. Sicut dignum. de homicid. & poſt eum Panormitanus in cap. Cum cauſam. col. 5. de teſtibus, & in cap. Dilecti, de arbit. & in cap. Si egreſſus ſuper hoc tit. vbi tamen dubitatiuè loquitur. Ioannes ab Anania, & Felin. in d. c. Sicut dignum. 5. fin. Decius in c. Quoniam contra, de probat. numero 31. & in cap. 1. de conſtitut. numero 10. in 2. lect. Roman. in ſing. 105. Anton. Corſetus in ſing. in verb. Forum conſcientiæ. Antonius Gomez. reſolut. variar. tom. 3. cap. 2. numero 5. verſic. Item etiam damnum. Iulius Clarus libro quinto ſententiarum. §. fin. q. 62. numero 5. & ex Theologis Gabr. in 4. d. 15. q. 14. art. 3. dub. 2. Syluester in verb. Culpa. q. 4. vbi dicit

dicit quod dictum Innocentij magis placet, & eſt opinio communior. Roſella in verb. Aduocatus. §. 24. Petrus à Nauarra libro ſecundo de reſtitut. cap. 1. numero 58. & alij alibi, & hæc eſt communis opinio, vt atteſtantur Corſetus, Vaſquius, Iulius Clarus, Didacus loc. cit. & alij quidam. Fundamenta pro hac concluſione. Primùm Innocentij ex cap. Inebriauerunt. 15. q. 1. deſumptum ex Auguſtino lib. 22. contra Fauſtum, cap. 44 vbi habetur: Inebriauerunt Loth filiæ eius & ſe neſcienti miſcuerunt. Propterea culpatus eſt, non quantum ille inceſtus, ſed quantum illa ebrietas meretur. Ex mente ergo Auguſtini, etſi imputanda culpa homini, ex qua aliud damnum ſuccedit præter intentionem operantis, non tamen eſt imputandum damnum ex illa ſubſecutum. Ergo à ſimili in noſtro propoſito quamuis culpa leuis, vel leuiſsima debeat imputari eam cõmittenti, damnũ tamẽ ex illa ſequens non obligabit illũ in cõſcientia, nec imputabitur culpã cõmittẽti. Innoc. quidem ſolum allegat. d. cap. Inebriauerunt: ſed argumenti ab eo intenti hic videtur neruus Secundũ. In foro conſcientiæ voluntas attendenda eſt, quæ tamen in culpa leui & leuiſsima deficit in ꝓpoſito: Quod enim voluntarium non eſt nec etiam imputatur ad culpam 15. q. 1. cap. 1. in principio & ibidem in multis canon. Accedit quod iura, quæ loquuntur de culpa leui, aut leuiſsima fundantur

ſatis enim eſt, vt aliquis ſit prudens, aut prouidus, vt ſubtiliter Petrus à Nauarra loco cit. deducit. Accedit quod homo naturaliter ſæpè obliuiſcitur maîoris diligentiæ & prouidentiæ impendendæ, nec tum dicendum aliquem peccare: Ergo ſatis conſtat leuem aut leuiſsimã culpã ſine peccato eſſe poſſe. Obijcitur contra conclusionem præſens cap. quãdo dicitur: *Si tua culpa datum eſt damnum, vel iniuria irrogata, vel ſi hac tua negligentia & imperitia venerunt, iure ſuper his ſatisfacere te oportet, nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo iniuriam veriſimiliter poſſe contingere: Secus de illo, qui nihil ex contingentibus omiſit.* Reſpondetur hoc cap. probare, quod quando peccatum intercedit, oriatur reſtituendi obligatio. Id enim nomine negligentiæ & imperitiæ intelligitur: Cum enim ſubdatur: (nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo iniuriam veriſimiliter poſſe contingere) Hæc enim dicta ſunt, de culpa lata & ignorantia craſſa, vt ex ſequentibus elicitur.

Quarta Concluſio. *In foro exteriori, & contentioſo etiam quis tenebitur ad emendationem damni dati ex culpa leui aut leuiſsima.* Hæc eſt communis DD. in locis vt plurimum in præcedenti concluſione allegatis, & text. eſt clarus in L. In lege Aquilia 2. vbi ſic dicitur. In lege Aquilia & leuiſsima culpa venit. Illud tamen obſeruandum, quod quando hic aſſeritur aliquẽ teneri ad ſatisfactionem damni ex cul-

paleuiſsima, intelligendum de culpa leuiſsima in committendo ſiue faciendo, & non in omittendo, iuxta Gloſſam in d. L. In lege Aquilia. Alberic. ibidem. Paul Caſtren. & Alexand. in L. Si mora. ff. Soluto matrimonio. Corſet. in ſing. in verbo Pœna. Marant. in ſpeculo in 4. part. numero 90. & allegat etiam deciſionem 57. Conſ. Neapolit. Didac. Conarruuias in 4. decret. de matrim. 2. part. §. 8. numero 17. & alios alibi. Ratio eſt quoniam maius eſt crimen, quod facto committitur, quam quod omiſsione perpetratur, vt latius declaratum ſupra cap. Si quis domum, vel aream cuiuſque incenderit &c. q. 1. de incendio dato culpa. concl. 7. Hinc ſatis colligitur non obtinere illud dictum generale traditum ab Angelo in verb. Culpa. numero 6: Quod quis teneatur de omni damno ex quacunque culpa ſua, de qua tenetur tam de iure ciuili quam canonico. Secundo loco elicitur ex dictis non recte docuiſſe & diſtinxiſſe Gabrielem in d. q. 14. dub. 2. dum vult quod aliquis teneatur reſtituere damnũ proximo, quando ex ſuo actu natum eſt etiam omni adhibita diligentia, ſi dabat operam rei illicitæ, vt ſi clericus proijcit lapidem, aut emittit ſagittam, & caſu occidit hominem tranſeuntem etiam in loco vbi non ſolet eſſe tranſitus: Secus autem qui in talibus fecit quantum ſecundum communem curſum fieri ſolet ad cauendum damna & pericula, & non dedit operam

ram rei illicitæ, tunc non tenetur ad reſtitutionem damni: Hæc enim diſtinctio impertinens eſt; Licet enim ad irregularitatem faciat, iuxta multorum ſententiam, quæ tamen nunc frequentiori etiam recentiorum doctorum calculo reijcitur, non tamen inſeruit ad obligationem reſtituendi, ſi ea diligentia adhibita eſt, quæ in ſimili caſu ſecundum communem hominum curſum ſolet adhiberi, quæque culpam latam, excludit, & damnum ſecutum ex actu omnino reddit, inuoluntarium, & id obtinet in foro conſcientiæ iuxta tradita in tertia concluſione.

VNDECIMA QVAESTIO.

An & quomodo medicus teneatur de imperitia & negligentia in curando?

NOTANDVM in primis quod medicus tripliciter poteſt culpam committere circa ægrotum. Ante factũ, in facto, & poſt factum. Ante factum, ſi ſit imperitus & ſe intromittat de curatione. In facto, vt licet ſit peritus in arte, non tamen in curatione artis præcepta ſequitur. Poſt factum, vt ſi derelinquat infirmum, antequam integræ & firmæ valetudini reſtituatur. Hanc diſtinctionem ponunt Angel. in ſumma verb. Medicus & alij Gabriel in 4. d. 15. q. 15. art. 3. dub. 3. & fundatur eliciturque ex §. Præterea. Inſtit. de lege Aquil. & Gloſſ. in L. Idẽ iuris, in princ. ff. ad leg. Aquil.

tu ſæuientium dominorum non conqueri apud præſidem prouinciæ, & ſuperiorem dominum: Qui enim diligentes ſunt ante omnẽ admonitionem, quando agitur de euacuanda crumena ſubditorum: diligentiores eſſe deberent, ne pauperes, pupilli, & viduæ, ac inferioris ſortis ſubditi deglutirentur à maioribus & potentioribus: Sicuti enim iudices præſideſque ſine reſpectu perſonarum tenentur obſtare potentioribus, & inferiores defendere ab iniurijs: Sic procuratores generales obligantur cognitis talibus ſubditorum iniurijs quas patiuntur, excluſo omni timore & formidine potentis, ad præſidem prouinciæ deferre, vt remedium adhibeatur, & defenſio ſubditorum procuretur.

Quarta Concluſio. *Dominus ſeu Vaſallus ſæuiens in ſubditos, eos indebitè grauans iniurijs & damnis contra iuſtitiam afficiens, aut alios male tractans, ſi admonitus ſuperiori, non deſiſtit à malo propoſito, poteſt priuari ſuo feudo.* Hæc eſt communis & recepta concluſio quam tenent Bald. in tract. feudor. de pace tenend. §. Publici latrones. Aluarot. ibidem in §. Quicunq; 1. Iacobin. de S. Georgio in tract. feud. verb. Dictiq; Vaſalli promiſerunt non committere: Duodecima cauſa. Iaſ. in prælud. feudor. num. 69. Bartol. Socin. in conſ. 272. col. 5. verſic. Iſta concluſio. vol. 2. Ioan. Fab. in §. fin. Inſtit. Qui ſunt ſui, vel alieni iuris. Guido Papæ in deciſ. 62. Boer. latè in d. deciſ. 304. Paulus Caſtren. in Authent.

Qui

Qui rem. C. de ſacroſ. Eccleſijs. Curtius iunior in conſ. 137. Gramat. in d. deciſ. 104. Zaſius in tit. de feud. par. 10. concl. 8. num. 55. Vaſq. in d. cap. 8. Andreas Gaill. in d. obſeruat. 17. & alij alibi. Ratio huius concluſionis in hoc fundamentum communiter reſoluitur. Qui re ſua videlicet dominio & iuriſdictione abutitur, reddit ſe indignum, & meretur ea priuari argum. L. Imperator. ff. ad Trebell. L. Cum dotem. §. Si vero. ff. ſoluto matrimon. text. & DD. in L. 2. ff. De his qui ſunt ſui, vel alieni iuris, & §. fin. Inſtit. eod. & cap. fin. de accuſat. Bald. in capite primo. Qualiter domin. propriet. priuetur. Roman. & Alexand. in L. Diuortio. §. Si fundum. ff. Soluto matrim. Socin. & Curtius Iunior in dictis conſil. & alij locis citatis. Sed Vaſallus & dominus male tractans ſubditos, & eos iniurijs damniſque afficiens, aut inſolitis ſeruitijs oneribuſque opprimens dominio & iuriſdictione abutitur: Cum dominium, & iuriſdictio ſecundum omnium recte ſentientium mentem ordinata ſint in defenſionem ſubditorum, & ad eorum tranquillitatem & vtilitatem. Qui enim alium molientem damna & iniurias cõtra ſuos ſubditos ex officio prohibere & impedire debent, à ſimilibus abſtineant, neceſſe eſt. Sic ſummus in Eccleſia Põtifex Imperatores & reges imperio & principatu abutentes poteſt priuare, & deponere ex DD. recepta ſententia, Bald. in L.

Reſcrip-

lib. 5. de Romano Pontifice, cap. 8. tom. 1. controuerſ. Præterea pro concluſione facit, quod Vaſallus quodammodo æquiparatur vſufructuario. Angel. in conſ. 321. alias 324. incip. Illuſtris & magnificus dominus Nicolaus Curtius iunior, Zaſius, loc. cit. & alij. Vſufructuarius autem abutendo re, in qua vſumfructũ habet, debet priuari vſufructu, Paulus Caſtrenſis & Guilhelm. de Cuneo, in d. Auctent. Qui rem. Alexand. in d. L. Diuortio. §. Si fundum. Curtius Iunior, & Zaſius locis citatis, & allegantur ad propoſitum. L. Cognouimus. C. de mancip. & colonis. & L. Eos. C. de Aquæduct. lib. 11. princip. & L. Hoc amplius, in ff. de damno infect. Poſtremo arctior & maior eſt coniunctio viri & vxoris vnitorum vinculo matrimonij, cum ſint duo in carne vna ex ſacris literis, quam Vaſalli & ſuorũ ſubditorũ. Sed matrimonium poteſt ſeparari (intellige quãtum ad thorũ) & vxor poteſt recedere à viro propter eius ſæuitiam & nimis durã tractationem cap. Ex tranſmiſſa, & c. Literas, de reſtit. ſpoliator. Panormit. Cardin. Petr. Ancharan. & alij in d. c. Literas. Anton. cum Card. in c. Ex tranſmiſſa. Bald. in L. 1. C. de Legat. num. 9. Iaſ. ibid. num. 4. & alij paſsim alibi. Ergo ſi Vaſallus male tractet ſubditos, & in eos iniurioſe ſæuiat poterit ſeparari à ſubditis & eximi à iuriſdictione in eos: Et ſicut mulier, quãdo indebite à marito tractatur, nec eſt ſpes

emendationis etiam poſt admonitionem poteſt adire iudicem eiuſq; auxilium implorare pro ſeparatione: Ita ſubditi domini ſiue Vaſalli nimium ſęuientis,& contra iuſtitiam grauantis ſi poſt admonitionē nulla ſpes melioris propoſiti effulgeat,poſſunt accedere ſuperiorē dominū, & petere liberationē exemtionemq;. Superior autem non debet admittere querelam & petitionē ſubditorū, niſi probata iniuria,& mala tractatione, quando aliter nō cōſtat: Quia regulariter præſumptio militat pro magiſtratu. cap. In præſentia, de renunc. & cap. Sicut nobis, de ſentent. & re iudic. L. 2. C. de offic. ciuil. iudic. & docet Andreas Gaill. in d. obſeruat. 17. num. 7. niſi alia coniectura ſit in contrarium, vtpote quod dominus ſolitus ſit iniuſtè facere, ſubditos grauare, concutere, & excoriare: tunc enim præſumptio eſt contra talem magiſtratum, per tradita ab Innocent. in cap. Diuerſis. numero 3. de cler. coniug. & arg. c. Conquerente. de reſtitut. ſpoliat. & L. Prohibitum eſt. C. de iure Fiſci. lib. 10. Gaill. loco cit. Quod confirmari poteſt ex regula illa. Semel malus, præſumitur adhuc malus. Quod intelligendum niſi conſtet de reſipiſcentia iuxta tradita à Bartol. in L. in confirmando. ff. de confirmat. tutor. Alexand. in L. 1. numero 33. ff. ſoluto matrim. Iaſ. in L. Si prius numero 42. ff. de operis noui nunciat. & alijs alibi, & à communiter accidentibus Valet etiam argumentum in

iure.

iure, & materia morali Gloſſ. & Bald. in L. Neq; natales. C. de probationibus. Gloſſ. & DD. in L. Non hoc. C. Vnde cog. Marſil. in practica criminalium. §. Secunda. numero 36. Boer. in deciſ. 288. num. 1. Ex quo capite ſequitur, quod ſi quis ſolitus ſit ſæuire in ſubditos, præſumptionem habeat contra ſe, niſi appareat oppoſitum. Sunt enim aliqui domini & officiales ita habendi cupiditate imflammati, & auaritia pleni quam de die cogitant, & de nocte ſomniant, vt verbis Petri Antiboli in tract. de muneribus parte vltima, fol. penult. 1. & Boër. in d. deciſ. num. 4. vtar, vt ſemper ſint hominibus ſuis infeſti. Nunquam deſiſtunt adinueuire nouas adinuentiones, & ſceleratas practicas quibus excorient miſeros ruſticos, quorum tamen opera viuunt. Vtinam multi potentes, multi nobiles, multi diuites, multa publica priuataque auctoritate pollentes ſæpè perpenderent, quã nobile neceſſariumque genus hominum ſit, quod communiter ruſticum appellamus, & ruri vitam degit. Quot potentes ſua induſtria & labore ruſtici enutriunt? Quot magnates ſua cura ornant? Quot guloſos ſuo ſudore paſcunt? Quot otio & voluptati deditos, ſplendide ſua cultura, ac diurnis nocturniſq; laboribus implent? Quam multos pigros & inertes ſua diligentia, & indefeſſa ſolicitudine iuuant? Multi profectò miſerrimam vitam agerent, niſi miſerorũ ruſticorũ ſudoribus & dolo-

doloribus alerentur. Vnde profectò Deo & hominibus ingrati ſunt, qui eos iniuſtè grauát ſupprimuntq; , quos merito beneficijs, amore & honore proſequi deberent, propter beneficia, & bona quæ auxilio eorum cóſequútur. Sanè dolendum eſt homines inueniri, qui erga ſuos conſortes, & membra Chriſti omné videntur humanitatem quandoq; exuiſſe, ita inſaniter & dirè tractant eos, qui eorú dominio ſubduntur. Etſi enim aliquis ſit Dominus propriorum hominum, qui ad arbitrium dominorum indiſtinctè tenentur operas præſtare, & toties quoties domini exigunt, tamen non ſunt ita aſsiduis laboribus & angarijs grauandi, vt non ſuppetat eis tempus ſe ſuoſque alendi. argum. L. Cum patronus. & L. Non audiendus. ff. de oper. libert. Quod vtinam ætas noſtra attenderet, ait, Zaſius lib. 1. cap. 3. num. 82 Singularium reſponſorum, vbi latiſſimè materiam de operis, & obſequijs libertorum & earundem ſpeciebus perſequitur, ac etiam oſtédit quibus operibus homines proprij occupandi, & quibus non.

DECIMA QVAESTIO.

Vtrum quis ad reſtitutionem teneatur de damno dato culpa leui, vel leuiſsima?

HAEC quęſtio poteſt intelligi tam de foro cóſcientiæ, quam de foro exteriori. Dein-

Deinde in memoriã reducenda, quæ in 2. par. Rubr. tradita ſunt, de culpa lata, leui & leuiſſima. Præterea in hac quæſtione nunc non quæritur quando quis ratione contractus, aut officij ſit obligatus ad reſtitutionẽ, ſed ratione delicti, & culpæ pręter intentionem, & per accidens, ita tamen vt aliqua culpa interueniat: e. g. proijcis ex tuo cubiculo ſuperiori lapidem in plateam, vt euacuetur cubiculum, tranſit puer, cui vulnus iactu lapidis infers.

Prima Concluſio. *Qui caſu mero fortuito damnum infert in nullo foro tenetur ad reſtitutionem.* Hęc eſt communis Theologorum & Iuriſperitorum: nec poteſt in ea eſſe dubium, & probatur ex hoc noſtro cap. ibi: Licet, qui occaſionem dat, damnum dediſſe videatur: ſecus tamẽ eſt de illo dicendũ, qui vt non accideret, de contingentibus nihil omiſit, & cap. vnico, de cõmod. & in L. Si ex plagis. §. fin. ff. ad legem Aquil. & ibidem in L. Occidit. §. In hac quoque actione.

Secunda Concluſio. *Qui culpa lata occaſionem damni dedit, etiam in vtroque foro tenetur ad emendationem.* Hæc eſt etiam communis DD. vtriuſque facultatis, & fundatũr etiam in hoc cap. & cap. Sicut dignum. de homicidio, & in dictis legibus, & paſsim alibi.

Tertia Concluſio. *In foro conſcientiæ, ſiue interiori, qui ex leui, aut leuiſsima culpa damnum intulit, non tenetur ad illius reparationem.* Hæc con-

concluſio eſt contra Panormitan. in hoc cap. Angel. in ſumma. in verb. Culpa. in fine. Adrian. in 4. de reſtitut. in q. Vtrum in foro conſcientiæ, Gloſſ. in cap. Conſuluiſti. ſuper verb. Homicidij, 2 q. 5. Cui etiam videtur adhærere Didac. Couarruu, ſuper 4. Decretal. de matrim. 2. part. §. 8. num. 16. & Vaſq. illuſtr. controuerſ. libro primo cap. 28. numero 19. quantum ad culpam leuem. Sylueſter in verb. Incendiarius. q. 1. & alibi etiam videtur eiuſdem opinionis, ſed tum loquitur ex aliorum opinione. Horum DD. ſententia eſt damnum etiam datum ex culpa leui, & leuiſsima in foro conſcientiæ eſſe reparandum, cuius contrarium concluſio noſtra aſtruit, quam apprehendunt Innocentius in d. cap. Sicut dignum. de homicid. & poſt eum Panormitanus in cap. Cum cauſam. col. 5. de teſtibus, & in cap. Dilecti, de arbit. & in cap. Si egreſſus ſuper hoc tit. vbi tamen dubitatiuè loquitur. Ioannes ab Anania, & Felin. in d. c. Sicut dignum. 5. fin. Decius in c. Quoniam contra, de probat. numero 31. & in cap. 1. de conſtitut. numero 10. in 2. lect. Roman. in ſing. 105. Anton. Corſetus in ſing. in verb. Forum conſcientiæ. Antonius Gomez. reſolut. variar. tom. 3. cap. 2. numero 5. verſic. Item etiam damnum. Iulius Clarus libro quinto ſententiarum. §. fin. q. 62. numero 5. & ex Theologis Gabr. in 4. d. 15. q. 14. art. 3. dub. 2. Syluester in verb. Culpa. q. 4. vbi

dicit

dicit quod dictum Innocentij magis placet, & eſt opinio communior. Roſella in verb. Aduocatus. §. 24. Petrus à Nauarra libro ſecundo de reſtitut. cap. 1. numero 58. & alij alibi, & hæc eſt communis opinio, vt atteſtantur Corſetus, Vaſquius, Iulius Clarus, Didacus loc. cit. & alij quidam. Fundamenta pro hac concluſione. Primùm Innocentij ex cap. Inebriauerunt. 15. q. 1. deſumptum ex Auguſtino lib. 22. contra Fauſtum, cap. 44 vbi habetur: Inebriauerunt Loth filiæ eius & ſe neſcienti miſcuerunt. Propterea culpatus eſt, non quantum ille inceſtus, ſed quantum illa ebrietas meretur. Ex mente ergo Auguſtini, etſi imputanda culpa homini, ex qua aliud damnum ſuccedit præter intentionem operantis, non tamen eſt imputandum damnum ex illa ſubſecutum. Ergo à ſimili in noſtro propoſito quamuis culpa leuis, vel leuiſsima debeat imputari eam cõmittenti, damnũ tamẽ ex illa ſequens non obligabit illũ in cõſientia, nec imputabitur culpã cõmittẽti. Innoc. quidem ſolum allegat. d. cap. Inebriauerunt: ſed argumenti ab eo intenti hic videtur neruus. Secundũ. In foro conſcientiæ voluntas attendenda eſt, quæ tamen in culpa leui & leuiſsima deficit in ꝓpoſito: Quod enim voluntarium non eſt nec etiam imputatur ad culpam 15. q. 1. cap. 1. in principio & ibidem in multis canon. Accedit quod iura, quæ loquuntur de culpa leui, aut leuiſsima fundantur

ſatis enim eſt, vt aliquis ſit prudens, aut prouidus, vt ſubtiliter Petrus à Nauarra loco cit. deducit. Accedit quod homo naturaliter ſæpè obliuiſcitur maioris diligentiæ & prouidentiæ impendendæ, nec tum dicendum aliquem peccare: Ergo ſatis conſtat leuem aut leuiſsimã culpã ſine peccato eſſe poſſe. Obijcitur contra cõcluſionem præſens cap. quãdo dicitur: *Si tua culpa datum eſt damnum, vel iniuria irrogata, vel ſi hæc tua negligentia & imperitia venerunt, iure ſuper his ſatisfacere te oportet, nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo iniuriam veriſimiliter poſſe contingere: Secus de illo, qui nihil ex contingentibus omiſit.* Reſpondetur hoc cap. probare, quod quando peccatum intercedit, oriatur reſtituendi obligatio. Id enim nomine negligentiæ & imperitiæ intelligitur: Cum enim ſubdatur: (nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo iniuriam veriſimiliter poſſe contingere) Hæc enim dicta ſunt, de culpa lata & ignorantia craſſa, vt ex ſequentibus elicitur.

Quarta Concluſio. *In foro exteriori, & contentioſo etiam quis tenebitur ad emendationem damni dati ex culpa leui aut leuiſsima.* Hæc eſt communis DD. in locis vt plurimum in præcedenti concluſione allegatis, & text. eſt clarus in L. In lege Aquilia 2. vbi ſic dicitur. In lege Aquilia & leuiſsima culpa venit. Illud tamen obſeruandum, quod quando hic aſſeritur aliquẽ teneri ad ſatisfactionem damni ex cul-

ram rei illicitæ, tunc non tenetur ad reſtitutionem damni: Hæc enim diſtinctio impertinens eſt; Licet enim ad irregularitatem faciat, iuxta multorum ſententiam, quæ tamen nunc frequentiori etiam recentiorum doctorum calculo reijcitur, non tamen inſeruit ad obligationem reſtituendi, ſi ea diligentia adhibita eſt, quæ in ſimili caſu ſecundum communem hominum curſum ſolet adhiberi, quæque culpam latam, excludit, & damnum ſecutum ex actu omnino reddit, inuoluntarium, & id obtinet in foro conſcientiæ iuxta tradita in tertia concluſione.

VNDECIMA QVAESTIO.

An & quomodo medicus teneatur de imperitia & negligentia in curando?

NOTANDVM in primis quod medicus tripliciter poteſt culpam committere circa ægrotum. Ante factũ, in facto, & poſt factum. Ante factum, ſi ſit imperitus & ſe intromittat de curatione. In facto, vt licet ſit peritus in arte, non tamen in curatione artis præcepta ſequitur. Poſt factum, vt ſi derelinquat infirmum, antequam integræ & firmæ valetudini reſtituatur. Hanc diſtinctionem ponunt Angel. in ſumma verb. Medicus & alij Gabriel in 4. d. 15. q. 15. art. 3. dub. 3. & fundatur eliciturque ex §. Præterea. Inſtit. de lege Aquil. & Gloſſ. in L. Idē iuris, in princ. ff. ad leg. Aquil,

Secun-

Secundo hic loquimur de medici imperitia, & negligentia, vtpote ſi medicus præter intentionem & propoſitum infirmo præſtet cauſam mortis, aut grauis infirmitatis, aut dāni: Siquidem medicus ſi doloſè alicui medicinam porrigat, quæ mortis cauſam ægroto præbeat, mortis reus exiſtit, & vt homicida damnandus. text. in L. Neceſſarios. §. fin. ff. ad Syllan. & in L. 1. §. Diuus. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. Gloſſ. in d. §. Præterea. in verb. Imperitia. Iulius Clar. lib. 5. §. Homicidium. num. 17. Damhaud. in rerum crimin. praxi, num. 25. & alij paſsim. Poſtremo de iure paria ſunt adhibere medicum imperitum, & adhibere nullum. arg. L. & Gloſſ. L. Quid ſi nolit. §. Culpam. ff. de ædilit. edict. ſecundum Angel. ibid. in §. Mancipium, & in L. Si ab hoſtibus. Bartol. ibid. Damhaud. loco cit. num. 15. Maſcard. de probat. vol. 2. cōcl. 1038. Bertach. in repertorio. verb. Medicus.

Prima Concluſio. *Medicus qui per imperitiam ægroti ſaluti obeſt, aut ei notabile damnum infert, non ſolum mortaliter peccat, ſed etiam tenetur ad reſtitutionem omnium damnorum, quorum cauſa eſt ſua imperitia, & id in vtroq; foro obtinet.* Quantum ad forum conſcientiæ eam tradunt S. Antonin. 3. par. tit. 7. cap. 2. Angel. Syluеſt. Aurea Armil. Caiet. & alij in verb. Medicus. Gabr. in d. dub. 3. Innocent. Panorm. Anton. & cōmunis in c. Tua nos. de homicid. Martin. Nauar. in manuali confeſſ. cap. 25. à num. 60. Quantum ad forum

forum exterius ſunt communiter etiam DD. in d.cap. Tua nos. Panormit. & alij in hoc cap. Bartol. in L. Illicitas. §. Sicuti. ff. de offic. præſid. Florian. in L. Qua actione. §. Proculus. ff. ad leg. Aquil. Bald. Alber. & alij cum Gloſſ. in d. §. Sicuti. Iul. Clar. loc. cit. Angel. Faber. & alij in d. §. Præterea. Inſtit. de lege Aquil. & alij alibi. In primis quod medicus imperitus mortaliter peccet curando, non poteſt eſſe dubium. Cum prohibitum ſit ne quis artem quam ignorat, exerceat. cap. Non eſt ſine culpa, de reg. iuris in 6. & arg. cap. 1. Non eſt putanda. 1. q. 1. Præterea imperitia culpæ annumeratur. arg. huius cap. & L. Imperitia. ff. de reg. iuris. His accedit, quod medicus imperitus immiſcens ſe curationibus infirmorũ, in re grauiſsima exponit ſe probabili periculo damnificandi proximum in bono corporis maximo & omnium cariſsimo. Quod etiam in vtroque foro teneatur ad reſtitutionem probat hoc cap. & etiam regula ſæpè repetita. Qui cauſam damni dat, &c. & in legib. d. §. Sicuti & in L. Qua actione. §. fin. his verbis. Proculus ait: Si medicus ſeruum imperitia ſecuerit, vel ex locato, vel ex lege Aquilia, cõpetere actionem, & in d. §. Præterea. & alibi. Non enim ſufficit medico ad opinionem ſuæ ſcientiæ vt doctoratũm, aut lauream in medicinæ facultate habeat, ſi alias ſufficienti ſcientia non eſt præditus: Cum multi hodiè, inquit, D. Antoninus in d. cap. 2. ſtatim à principio,

cipio, in omni facultate magiſtrentur, & doctorentur indigni, in damnationem ſui, & promouentium eos: Nec etiam medico neceſſarium eſt, vt gradum in medicina adeptus ſit, quando ſufficientem in ſua arte tenet ſcientiam, ita vt præcepta artis non tranſgrediatur. Quia medicis etiam non doctoratis adhibetur fides, quando ex communi loquendi conſuetudine medici dicuntur, & à peritis illius facultatis communiter pro ſufficienter doctis habentur iuxta tradita à Ioanne ab Anania in Rubr. de magiſtris. Felin. in cap. Propoſuiſti. in fine. de probationibus. Bartol. in L. Sciendum. §. Illud. ff. de ædilitio edict. Alexand. in conſil. 15. lib. 1. & poſt eum Boër. in deciſ. 323. num. 20. Maſcard. de probat. vol. 2. concluſ. 1037. numero 11. Nec ſolum ſcientia ſpeculatiua deſideratur in medico, ſed etiam practica, quæ longa experientia acquiritur, exigitur; Hinc puto illud natum, quod dicunt medicum nouellum præſumi imperitum Angel. in L. 1. §. Pueritiam. ff. de poſtul. Bertachin. in repertorio, verb. Medicus. Maſcard. loc. cit. num. 28.

Secunda Concluſio. *Medicus quando ſine dolo, per imperitiam culpam latam committit, pœna extraordinaria punitur ad arbitrium iudicis.* Bartol. & Angel. in L. In lege. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. Bertach. in d. verb. Medicus. Albert. de Ferrarijs in tract. de horis canonicis [illegible] 58. Alberic. in d. §. Sicuti. Damhauder. in d. cap.

77.

77. num. 28. & ita communiter concludunt DD. vt teſtis eſt Andreas Gaill. practic. obſeruat. lib. 2. obſeruat. 111. num. 26. Argum. ſumi poteſt ex regula illa. Quando pœna à lege, aut ſtatuto expreſſa non eſt, tunc imponenda eſt iudicis arbitrio L. 1. §. Expilatores. ff. de effrac. & expil. L. Hodie. & L. Reſpiciendum. §. Delinquunt. ff. de pœnis.

Tertia Concluſio. *Medicus dubitans de aliquo medicamento, an ſit futurum ſanum, & vtile infirmo, vel nocumentum illaturum eidem, mortaliter delinquit ſi tale medicamentum infirmo præbeat, vt eius vim experiatur, aut aliquid lucretur, aut ob alium finem.* Hanc concluſionem docent Innocent. Panormit. Antonius & alij in d. cap. Tua nos. S. Antonin. Angel. & Nauar. loc. cit. Ratio quia qui in dubio talem medicinam præberet in re magni momenti exponeret ſe probabili periculo mortaliter peccandi, & inferendi damnum proximo. His accedit quod in dubio tutior pars eſt eligenda. cap. Illud. de præſumpt. & c. Petitio. de homicid. Sed ſecurius & tutius eſt, relinquere hominem in manu & poteſtate Dei, quam præbere medicinam dubiam, de qua non conſtat, an obſit, vel proſit. Quia non præbendo omittitur peccatum, & periculum peccandi euitatur. Alia autem ratio eſſet, quando foret probabilius de vtilitate quam nocumento.

Quarta Concluſio. *Medicus ſi in curando infirmum negligens ſit, & non adhibeat debitã diligentiam, pec-*

peccat, & tenetur infirmo ad emendationem damnorum quæ ex negligentia ſequuntur. Hanc tenent cōmuniter DD. in d. cap. Tua nos, & alij locis cit. Concluſio ſatis ex hoc cap. probatur: & ex d. regula. Qui cauſam damni dat, &c. Tum etiam quia negligentia culpa eſt. Dicitur autem medicus omnem quam debet, adhibuiſſe diligentiam, ſecundum Antonium à Butrio in d. cap. Tua nos. num. 14. & alios poſt eum, quando ſequitur traditiones artis, viſitat perſonaliter, & dictat regimen infirmo: Non tamen tenetur ad cuſtodiam perſonalem continuam.

Quinta Concluſio. *Medicus qui ægrotum in ſuam curam recepit, ſi eum poſtea deſerat, & ideo mors ſequatur, aut graue corporis damnum, tenetur ad damni recompenſationem.* Gabr. loco cit. Sylueſt. in verb. Medicus. Nauarr. loc. cit. num. 61 allegando etiam Aſtenſem in ſumma lib. 6. tit. 14. art. 8. q. 14. DD. in d. §. præterea. Inſtit. de lege Aquil. per text. ibidem. & Gloſſ. in L. Idē iuris, in princ. eod. tit. Imputatur enim medico ad culpam, etiamſi bonam medicinam exhibuit, & diligentem curam impendit, ſi relinquit ægrotum, antequam priſtinæ ſanitati reſtitutus ſit. Concluſio eſt amplianda vt etiam locum habeat, quando ab initio infirmum gratis curandum ſuſcepit, iuxta Gloſſ. in d. L. Idem iuris; & Fabr. in d. §. Præterea. Nec etiam ob defectum ſolutionis debet deſerere, ſed curata valetudine ꝓ ſalario agere.

Faber.

Faber in d.§. Præterea. Bartol. per text. in L. Archiatri. C. de profeſſor. & medic. Bertach. in repertorio. verb. Medicus. Angel. in ſumma eod. verb. num. 6. D. Antonin. loc. cit. §. 3. Non eſt autem debitum ſalarium medico, niſi ægrotus ſit reſtitutus priſtinæ valetudini ſecundum Bartol. & Bertachin. loc. cit. Ad quod propoſitum facit L. Medicus. ff. de varijs & extraord. cogn. Si tamen medicus omnem impendit diligentiam, etiamſi infirmus moriatur, ſuam poteſt exigere, & recipere mercedem, ſufficit enim quod ſuo officio diligenter functus eſt; & vtiliter cœperit agere, licet effectus non ſit ſecutus. Non eſt in medico ſemper releuetur vt æger. Interdum docta plus valet arte malum. His addendũ, quod quando infirmitas curata in continenti, vel ex eadem cauſa quæ nec dum ſublata, reuertitur, medico non debetur ſalarium. Præſumitur autem eadem cauſa ſi in continenti infirmus reincidat. Speculat. in tit. de ſalarijs medicorum. Bartol. poſt Gloſſ. in L. Maritus. ff. locati. Alexand. & Ioann. Imolen. in L. Et ideo. ff. de verb. obligat. Alia autem ratio foret, ſi ex noua cauſa, aut ex interuallo morbus rediret; tunc enim medico non imputatur, quando ſuo officio probè, & diligenter ſatisfecit.

Sexta Concluſio. *Medicus ſi ex induſtria curam extendit, & morbum prolongat, vt plus lucri & ſalarij acquirat, mortaliter peccat, & tenetur reſtituere omne*

illud quod vltra iuſtum acquirit. S. Antonin. loco cit. Syluest. in verb. Medicus. q. 1. dicto 3. & alij alibi. Ratio concluſionis eſt, quia illud plus iniquè acquirit, & furtum committendo accipit. Ergo tenetur ad reſtitutionem. Eadem eſt ratio, ſi medicus efficit, vt infirmus plura quam opus eſt, emat medicamenta, propter conuentionem, inter eum & pharmacopolam, vtpote quia in lucro participat ſecundum Nauarr. loc. cit. nũ. 64. poſt Aſtenſ. lib. 6. tit. 4. Simile eſt judicium ſi permittat pharmacopolam in cõfectione medicinæ, aut permiſtione ſpecierum ponere & miſcere ſpecies corruptas vetuſtate, aut ob antiquitaté virib. exhauſtas, quæ aut nullius ſunt virtutis, aut tardiſsimæ operationis, vnde ægroto damnũ aggrauatur in corpore, & iactura ſequitur in crumena. Si auté medicus omné adhibuit diligẽtiam, & aromatarius appoſuit corruptas ſpecies, aut nõ à medico aſsignatas & præſcriptas, tunc medicus in nullo tenetur iuxta Innocent. Anton. Petr. Ancharã. Hoſtien. & alios cõmuniter in d. cap. Tua nos. Poſtremo iuxta doctrinam Panormitani in d. cap. Tua nos, ab alijs receptam quatuor debent concurrere ad hóc vt medico non imputetur mors infirmi. Primum vt nõ excedat limites ſuæ profeſsionis, cum culpa ſit imiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti. L. Culpa eſt. ff. de reg. iur. Secundum vt ſit peritus in arte: quandoquidem imperitia culpę annumeratur, prout ſupra oſtenſum eſt.

eſt. Tertium vt ſit diligens, in curando infirmum, necnon viſitando eundem, nec eum deſerat, donec priſtina fruatur valetudine, vt dictum eſt. Quartum vt infirmum informet, admoneatque de his, quæ eius ſaluti & ægritudini contraria ſunt, cap. Ad aures, de ætate & qual. & cap. fin. de homic. Quibus conuenit, quod tum culpa abeſt, ſi omnia facta ſunt, quæ diligentiſsimus quiſq; obſeruaturus fuiſſet. L. Si merces. §. Qui columnam. ff. Locati. Ex quib. omnib. ſatis clarũ eſt, medicũ qui p̃ mercede & ſalario infirmo operã ſuã præſtat, teneri de dãno dato infirmo in foro exteriori ex culpa leui & leuiſsima. In multis alijs poſſunt medici excedere, quæ nõ ſpectant ad noſtrũ inſtitutũ, de quib. S. Antonin. in d. cap. 2. Angel. Syluester. Aurea Armilla, & alij in ſummis verb. Medicus. Nauarr. in manuali confeſsariorum, cap. 25. à numero 60.

DVODECIMA QVAESTIO.

Quomodo aduocatus aut doctor teneatur de damno dato ſua imperitia aut negligentia in aduocando & conſulendo?

ANTE reſolutionẽ aduertendũ, ꝙ in duplici genere eſſe poſſunt, qui cõſiliũ alicui pręſtant. Quidã enim ratione officij, dignitatis, aut ſtipẽdij cõſilia ſua & patrocinia alijs impẽdere tenẽtur. Alij autẽ ſunt qui ſuũ cõ-

ſilium, vt priuatæ perſonæ impartiuntur, ſi quis eos interroget de rebus, quarum cognitionem habent, & hi aut ſe ingerunt ad conſulendum & reſpondendum de caſibus occurrentibus in facto: aut non ſe ingerunt, ſed alij ab ipſis petunt, & amicitiæ cauſa poſtulant. Nunc ad reſolutionem deueniendum, & paulo altius repetenda doctrina; quæ propoſito inſeruit.

Prima Concluſio generalis. *Quiſque ſcire tenetur ea quæ pertinent ad officium, quod ex munere iniuncto, aut vocatione, exercere debet, aut ad ſtatum, quem aſſumere intendit.* Hanc docent S. Thomas 1. 2. q. 76. art. 2. & eius commentatores ibidem præſertim Bartol. Medina. Angelus in ſumma verb. Ignorantia. numero 2. Syluest. eod. verb. numero 6. Aurea Armilla numero 3. Adrian. quodlibet. 4. art. 1. Alphonſ. Caſtren. libro ſecundo de poteſtate legis pœnalis cap. 14. S. Antoninus ſecunda parte, tit. 3. cap. 6. §. 3. Turrecremata in §. Notandum. 1. q. 4. numero 8. & 9. Nauarrus in manuali cōfeſſariorum, cap. 23. numero 47. & communiter DD. ſic ſentiunt. Pro hac concluſione eſt quod non debet quis exercere artē, quam ignorat vt probant cap. Non eſt putanda, in fine 1. q. 1. cap. Non eſt ſine culpa. de reg. iuris in 6. L. latæ culpæ. ff. de verb. ſignificat. L. 2. ff. Quod quiſq; iuris, & paſsim alibi. Ratio etiam eſt clara. Quilibet tenetur ſatisfacere ſuo officio, & ea quæ ſui ſunt ſtatus debitè

exe-

exequi. Sed non poteſt ſatisfacere quis ſuo officio, aut ea quæ ſui ſtatus ſunt, debitè exequi, qui ea ignorat. Ergo. Vnde imperitia culpæ annumeratur. L. Imperitia. ff. de reg. iuris. §. Pręterea. Inſtitut. de leg. Aquil. Gloſſ. ibidem in verb. Imperitia, per multa iura, & arg. huius cap. & hoc verum eſt non ſolum in literatis hominibus, ſed etiam in illiteratis aliquod artificium aut officium profitentibus vſque ad caprarum, vel vitulorum cuſtodem ſecundum Angel. in d. §. Præterea. per L. Si quis fundum. §. Si quis vitulos. ff. Locati.

Secunda Concluſio. *Aduocatus notabili ſua negligentia, aut ignorantia cauſam præbens, vt ſua pars iuſtam cauſam fouens, eam perdat, tenetur tam in foro conſcientiæ, quam etiam exteriori, ad recompenſationem omnium damnorum parti.* Hanc tenent Hoſtienſis in cap. Calumniam, de pœnis. Panormitan. in hoc cap. & in cap. Tua nos de homicid. num. 3. Anton. de Butrio. ibid. num. 6. & 7. & in d. cap. Calumniam. cum Panormit. Angel. in verb. Aduocatus. num. 12. Syluest. eod. verb. q. 24. Caietan. & Aurea Armilla in eod. verb. Gabr. in 4. d. 15. q. 6. art. 2. concl. 9. Ioann. Medina in C. de reſtit. q. 7. Nauarrus in manuali confeſſariorum, cap. 25. numero 29. & alij alibi. Hæc concluſio probatur in primis per text. in hoc cap. ibi: *Aut hæc imperitia tua, ſiue negligētia euenerunt, &c.* cap. fin. de empt. & vendit. c. Ad aures, de ætat. & qualit. L. Illicitas. §. Sicuti. ff. de offic.

præſid. L. Idem iuris. ff. ad leg. Aquil. L. Cum in plures. §. Locator. ff. Locat. & conduc. Ratio etiam eſt ex regula in hoc cap. allegata & ſępè repetita. Qui cauſam damni dat, damnum dediſſe dicitur. Ex quali autem culpa quis teneatur de conſilio patet ex dictis ſupra in hoc cap. q. 10. Hæc concluſio intelligenda etiam de conſulente iuxta Medinam & alios, quando quis ratione ſtipendij, aut officij ſuam operam impendit, atque ſe pro docto & perito iactitat, & aſſerit. Eo autem ipſo, quod ſe officio conſulendi, aut aduocandi muneri aliquis ingerit, aut ſuas operas locat, videtur aſſerere ſe peritum iuxta doctrinam Baldi, Angeli, Aretini, & aliorum in §. Præterea. Inſtitut. de lege Aquil. Hinc qui ſuſcipit tale officium, aut munus tenetur ſtudere, leges perlegere, aut conſilium inquirere, & alia facere quæ prudentis & boni viri iudicio fieri debent in ſimili negotio, ad defenſionem iuſtæ cauſæ pro ſua parte, ne aut negligentia, aut imperitia culpabili pars ſuccumbat, ac damnum patiatur, & ſic ipſe ad emendationem teneatur. Ex his infertur in maximo periculo verſari aduocatos, qui cauſas partium aſſumunt, parum curantes de ſcientia & diligentia, nocte potitantes, aut ludentes, & interdiu in lecto uſque ad medium propemodum diem hærentes, & ſe voluentes: Partes huiuſmodi aduocatos ſcienter eligentes, recte cauſas

per-

perdunt, eo quod etiam ſint negligentes, & inconſideratæ, dum non inquirunt viros peritos, & in munere ſuo accuratos, quibus patrocinium cauſæ committant. Quando autem quis non ex officio, aut pro mercede ſuum conſilium impendit, nec ſe ingerit, ſed inuitatur ab alio pro conſilio dando, tunc etſi ex imperitia ſiue ignorantia impingat, non tenetur de damno ſecuto, iuxta Ioannem Medinam loco cit. Petrum de Aragon. in 2.2. S. Thomæ q. 62. art. 7. & alios alibi, & per ea quæ DD. canonum, de medico docent in d. cap. Tua nos, ſi bona fide ſuam ſententiam dicat. Cuius doctrinæ ratio redditur: quia in tali caſu damnum petentibus & inuitantibus imputatur, quod non elegerint doctos & expertos in ſua arte, & officio: aut ſi ignorarunt, magis exercitatos non interrogauerint.

Tertia Concluſio. *Aduocatus ſcienter iniuſtam cauſam defendens, ſi aduerſæ parti iuſtitiam ſequenti, damna inferat inutilibus dilationibus, aut alio colore, aut iniuſtè contra iuſtitiam quacunq; arte ſententiam obtineat, non ſolum peccat, ſed etiam tenetur aduerſæ parti ad emendationem totius damni, cuius cauſa fuit conſulendo, & aduocando.* Hanc tenent Hoſtien. Antonius, Panor. & alij in d. cap. Calũniam. Angel. in verb. Aduocatus, num. 13. Syluest. & alij in eod. verb. & ante hos S. Thom. 2.2. q. 71. art. 3. quem ibi cõmentatores ſequuntur, S. Antonin. 3. par. tit. 6. cap. 2. §. 5. Nauarrus

loc. cit. & hæc eſt communiſsima DD. ſententia. Ratio eſt euidens. Aduocatus talis aduerſæ parti iniuſtè dat cauſam damni ex ſcientia. Ergo non ſolum peccat cõtra iuſtitiam, ſed etiam tenetur ad reſtitutionem.

Quarta Concluſio. *Aduocatus qui in principio credit bona fide, & adhibita diligentia ſuam partem cauſam bonam fouere, ſtatim quando in proceſſu controuerſiæ cognoſcit contrarium, debet deſiſtere à patrocinio, & ſuæ parti ſuam ſententiam declarare.* Hanc docent S. Thomas 2. 2. in d. art. 3. & cõmentatores ibidem. Sylueſter in verb. Aduocatus. q 12. Sotus lib. 5. de iuſtit. & iure. q. 8. art. 3. Gabr. in 4. d. 15. q. 6. art. 2. concluſ. 9. Nauarrus loco cit. & ita communiter doctores. In hoc tamen caſu S. Thomas tradit Aduocatum non debere prodere aduerſario iniuſtitiam cauſæ ſuæ partis, vel detegere ſecreta. Occaſione horum verborum Sotus in d. art. Gregor. de Valentia, & Petrus de Aragon. & alij in comment. ſuper d. art. 3. S. Thomæ dubitant an etiam aliquando aduocatus poſſit & teneatur prodere iniquitatem cauſæ ſuæ partis. Doctores poſteriores ſecuti Sotum decernunt, quod ſi aduocatus euidenter iniuſtitiam cauſæ perſpiciat, & vertatur periculum capitis, aut ſanguinis negotium ſit, aut alterius rei grauiſsimæ, quæ paulo minoris æſtimetur, quam mors, poſsit & teneatur iniquitatem prodere ad liberandum innocentem, quando aduocatus ſua auctoritate, & oſtenſione

ſione iuſtitiæ ſperaret ſe liberaturum innocẽtem ab iniqua ſententia. Quoniam lex naturæ & charitatis eſt, vt quiſque etiam teneatur in quantum poteſt, innocentem liberare & defendere ab iniuſta oppreſsione. Ergo etiam aduocatus tenetur ad hoc: Maximè cum ſecretum acceptum extra Sacramentalem cõfeſsionem non obliget ad obſeruationem ſui cum detrimento & periculo maximo proximi. Quando autem cauſæ communes, & ciuiles in controuerſia ſunt, nec magnum periculum imminet vniuerſitati, aut alteri priuatæ perſonæ, aduocatus quando ex deductione proceſſus iniuſtitiam ſui clientis animaduertit, tenetur deſiſtere quidem à patrocinio cauſæ, & ſuam partem admonere, non tamen poteſt prodere, & ſuæ partis ſecreta alteri manifeſtare vt D. Thomas, & alij poſt eum tradidere, & ſatis probatur per text. in cap. Si quem pænituerit. §. Præuaricator. 2. q. 3.
Obiectio eſſe poteſt contra prædicta. Medicus poteſt oſtendere ſui ingenij dexteritatem & peritiam, ſuſcipiendo infirmum etiam deſperata valetudine, nec peccat. Ergo etiam aduocatus poteſt ſuum patrocinium impendere in defenſione iniuſtæ & deſperatæ cauſæ, vt ſuæ doctrinę excellentiam declaret, & nomen clarum reddat. Reſpondetur nunc ad hanc obiectionem paucis cum S. Thoma in d. art. 5. ad primum quod medicus accipiens in cura infirmitatem deſperatam, nulli facit iniu-

riam. Aduocatus autem ſuſcipiens cauſam iniuſtam, iniuſtò lædit eum contra quem iniuſtè patrocinium præſtat, & ideo non eſt ſimilis ratio. Quamuis enim laudabilis videatur quantum ad peritiam artis, tamen peccat quantum ad iuſtitiam voluntatis, qua abutitur arte ad malùm. Mouet Petrus de Aragon in d. art. 3. S. Thomæ dubium. An aduocatus, qui firmiter ſtatuit apud ſe defendere quamcunque cauſam iniuſtam vbicunque eam inuenerit, ſi poſtmodum adhibita ſufficienti diligentia putans ſe defendere cauſam juſtam, defendit iniuſtam, teneatur de crimine iniuſtitiæ, & obligetur ad reſtitutionem? Quibuſdam præſuppoſitis dictus auctor reſpondet, quod aduocatus qui adhibita ſufficienti diligentia, putans defendere cauſam iuſtam, defendit iniuſtam, quamuis habuerit voluntatem quaſcunque cauſas iniuſtas ad ſe venientes defendendi, & quamuis quando cognouerit ſe iniuſtam cauſam defendiſſe, lætetur, adhuc in tali defenſione non peccat mortaliter, nec tenetur ad reſtitutionem: quia nec directè, nec indirectè talis defenſio fuit voluntaria. Non enim illa vniuerſalis intentio qua paratus eſt aduocatus acceptare quamcunq; cauſam etiam iniuſtam, inficit in particulari eam defenſionem cauſæ quam debita præmiſſa diligentia putat eſſe iuſtam, vt latius auctor ille declarat. Nunc dubium eſſe poteſt. An aduocato etiam cauſam

ſam dubiam, & ambiguam liceat defendere? Pro reſolutione ſit.

Quinta Concluſio. *Quando cauſa eſt anceps, aut dubia, contineat Iuſtitiam, nec ne, quam diu dubium permanet aduocatus poteſt ſuum patrocinium præſtare.* Hanc docent Gabriel in 4. d. 15. q. 6. art. 2. concluſione 9. Syluester. in verb. Aduocatus. q. 10. Nauarrus in manuali confeſſariorum, cap. 25. numero 28. Gregorius de Valentia in d. art. D. Thomæ & alij quidam recentiores. Ratio eſt, quoniam iuriſperiti munus eſt, dum aut varietas doctorum eſt in aliqua re, aut diuerſus legum intellectus, ſenſum in alterutram partem ſibi conuenientem bona fide applicare. Et etiam experientia didicimus omnes lites fere originem ſumere ex eo quod res aut iure, aut facto in dubio verſatur. Nauarrus tamen poſt Syluestrum exiſtimat aduocatum debere partem ſuam admonere de dubio litis euentu. Quia ſi clientulus admoneretur dubiæ iuſtitiæ forte iniret aliquam honeſtam compoſitionem cum aduerſa parte, & ſic parceret ſumptibus, & expenſis quas facit, & amittit, ſi cauſam amittat.

QVAESTIO XIII.

Ex contractu quali de culpa quis teneatur de damno dato?

PRIMA

PRIMA Concluſio. *Ratione caſus fortuiti in contractibus regulariter nemo tenetur de damno ſubſecuto.* Hæc eſt communis. Probatur in primis ex hoc noſtro cap. ibi: Licet, qui occaſionem dat, damnum dediſſe videatur: ſecus tamen eſt de illo dicendum, qui vt non accideret, de contingentibus, nihil omiſit, & cap. vnico. de commodato. Ei qui commodatum, ait canon, aliquod accepit, caſus fortuitus non debet imputari. Ratio etiam eſt pro concluſione, Ille cui res perit caſu fortuito non eſt cauſa nec per ſe, nec per accidens damni ſubſecuti. Ergo non tenetur ad emendationem damni. Antecedens patet quantum ad primum, quod non ſit cauſa per ſe, cum illud damnum nequaquam ſit intentum nec in ſe, nec in ſua cauſa. Non etiam per accidens, quia ad hoc vt aliquis ſit cauſa per accidens damni dati, requiritur quod debuerit, & potuerit illud impedire. Caſum autem fortuitum nemo poteſt prouidere, nec etiam impedire. Dictum in concluſione (regulariter) Quia in tribus caſibus contingere poteſt, vt aliquis etiam teneatur de caſu fortuito. Hos caſus enumerat Nauarrus in manuali confeſſariorum, capite decimoſeptimo, numero 179. Primus quando culpa præcedit, vt exempli gratia, accõmodaui mercatori equum, vt pergeret Coloniam, ipſe autem eum duxit Aquiſgranum, & ſic incidit in prædones, qui rapuerunt. Secundus quando mora intercedit,

dit, & res aliter perijt, quam apud commodantem. Verbi gratia, aliquis meum equum conduxit ad duos dies, & vtitur eo octo diebus & ſic equus termino præſtito elapſo crus dextrum caſu fortuito frangit, & multo deterior redditur, aut omnino inutilis efficitur: Conductor de damno ſubſecuto etiam ex caſu fortuito obligatur. Tertius caſus quando pactum præcedit; vt ſi res pereat etiam caſu fortuito conductor teneatur d. cap. vnic. de commod. & L. In rebus. ff. eod. tit.

Secunda Concluſio. *Quando contractus ſit ſolum in commodum & vtilitatem alterius contrahentium, ille regulariter tenetur etiam de culpa leuiſsima.* Nauarr. loco cit. Anton. Gomez. tom. 2. cap. 7. §. fin. Petrus de Aragon. in 2. 2. S. Thomæ. q. 62. art. 3. & alij alibi. Probatur ex d. cap. vnico. vbi ſic dicitur. Si gratia ſui quis commodatum accepit, tenetur de culpa etiam leuiſsima & in d. L. In rebus: In rebus, ait lex, commodatis talis diligentia præſtanda eſt, qualem quiſque diligentiſsimus paterfamilias ſuis rebus adhibet. Alter autem non niſi dolo & lata culpa tum tenetur, vt Nauarrus ſignificat.

Tertia Concluſio. *Si contractus ſit in commodum fauoremque vtriuſq; dantis & accipientis, vt ſunt emptio, venditio, locatio & conductio, &c.* Vtraque tantum tenetur de dolo, culpa lata, & leui, & non de leuiſsima: Decius in L. Contractus. ff. de reg. iuris, & alij citati pro ſecunda concluſio.

cluſione. Syluester in verb. Commodatum. Pro hac concluſione text. in L. Si vt certo. §. Nunc videndum. ff. Commodat. & in L. Si diuiſa. C. de locat. & conduct. Occaſione dictorum Petrus de Aragon. notat Dominicū à Soto libro quarto, de iuſtitia & iure. q. 7. art. 2. circa tertiam concluſionem, minus bene locutum in aliquibus. Primo quod nullum diſcrimen conſtituit inter contractum qui ſolum fit in vtilitatem accipientis; quale eſt commodatum, & alium qui fit in vtilitatem vtriuſque, qualis eſt locatio & conductio. De quibus omnibus dicit teneri eum qui accepit de culpa leui, & non leuiſsima. Cum tamen certum ſit, quod in commodato non ſolum ex culpa leui; ſed etiam ex leuiſsima teneatur commodatarius d. cap. vnico. de commodato. & in d. L. in rebus. Secundo dicit Sotus quod tam commodatarius quam conductor, qui ex leui culpa fuit cauſa, vt res commodata aut conducta periret, aut fieret deterior tenetur ad reſtitutionem non quidem in totum, ſed pro ratione culpæ. Quod etiam non eſt verum; cum in iuribus iam citatis abſolutè dicatur ex leuiſsima culpa teneri eum ad reſtitutionem, qui cauſa fuerit, quod commodatum pereat; nec dicat in parte teneri. Vnde ſequitur quod ex leuiſsima culpa tenetur in totum, & à fortiori quando res commodata perierit ex culpa leui.

QVAESTIO XIIII.

An cuſtodes nemorum, ſiue ſyluarum, paſcuorum, aut ferarum, aut vinearũ, &c. qui non manifeſtant damna illata rei, cuius cuſtodiæ deputati ſunt, teneantur ad emendationem damnorum?

ANTE omnia aduertendũm quod quæſtio hęc etiam extendi poteſt ad pœnas, quas tranſgrediens incurrit ex decreto, aut ſtatuto, exempli gratia. Cæſor arboris in ſylua cædendo arborem damnum infert, quia alienam arborem ſecat, & præterea lex communitatis eſſe poteſt, vt ſic cædens ſi deprę-hendatur teneatur ad pœnam quatuor aureorum, itaque etiã quæri poteſt an cuſtos teneatur ad ſolutionẽ pœnæ, ſi non manifeſtet.

Prima Concluſio. *Quando paſcuorum, ferarum, aut lignorum prohibitio eſt iniuſta & Tyrannica; tunc cuſtodes non manifeſtantes, nec pœnas exigentes à tranſgreſſoribus, nec peccant, nec ad vllam reſtitutionẽ tenentur, etiamſi iuramento aſtrinxiſſent ad denunciandum.* Hanc recentiores Theologi cõmuniter docent Ioan. Medina in C. de reſtitut. q. 12. pag. penult. Nauarrus in manuali confeſſariorum, cap. 17. num. 123. & ſeq. Petrus de Aragon in 2. 2. S. Thomæ q. 62. art. 7. Anton. Cordubenſis in ſumma. q. 66. Petr. à Nauar. lib.

lib. 3. de reſtitut. cap. 4. num. 128. & alij alibi, nec poteſt eſſe dubium in ea re. Qui enim iniuſtè & tyrannicè interdicunt vſum prædictorum, iniuſtè agunt, & peccant contra iuſtitiam. Ergò ſimiliter iniuſtè facerent, & peccarent cuſtodes denunciantes, capientes, aut pœnas exigentes: ſiquidem cócurrerent ad iniuſtam executioné, & cooperarentur vt proximus iniuſtè damnum pateretur: Et iuramentum in hoc caſu non eſt obligatorium, quandoquidem non debet eſſe vinculum iniquitatis. arg. cap. In malis promiſsis reſcinde fidem. 22. q. 4. & c. Non eſt obligatorium. de regul. iur. in 6.

Secunda Concluſio. *Cuſtos qui ex officio aſſumpto & pro mercede ſuſcepit cuſtodiam alicuius rei, ſi ex dolo, aut culpa lata, aut ignorantia culpabili, cauſam dat, quod dominus à quo conſtitutus eſt, damnum in re, ſuper qua cuſtos ordinatus, patitur, tenetur ad reſtitutionem damni Concluſio intelligitur quando prohibitio iuſta, & licita eſt.* Hęc concluſio communis eſt DD. Talis enim cuſtos ex officio tenetur inuigilare, & curam impendere ne domino inferatur damnum in re ſua, & per regulam. Qui cauſam damni dat, damnum dediſſe dicitur. Et arg. L. Qui mercedem. ff. Locati, & eorum quæ Gloſſa & DD. ibidem dicunt.

Tertia Concluſio. *Qui cuſtodiam alicuius rei pro mercede in ſe recepit, in foro exteriori tenetur etiam de culpa leuiſsima ad ſatisfaciendũ pro dãno dato.*

Gloſſ.

Gloſſa, Bartol. Paulus Caſtrenſis, & Raphael Fulgoſius in d. L. Qui mercedem. Salycet. in L. In iudicio. C. Locati. Philippus Corneus in conſilio 242. incip. Conſuluit Dominus Matthæus. vol. 1. Lucas de Penna C. de littor. & itinerum cuſtodia. L. 1. in princip. lib. 12. vbi latè proſequitur quam exactè teneantur cuſtodes ſpirituales & temporales. Andreas Alciatus lib. 8. reſpóſor. conſ. 20. num. 4. & alij paſsim. Qui enim mercedem pro cuſtodia recipit ad exactiſsimam cuſtodiam tenetur, vt rectè annotat Gloſſ. in d. L. Qui mercedem. Non autem regulariter hic tenetur de caſu fortuito, vt DD. communiter in d. L. Qui mercedem, & alibi ſentiunt. Vnde ei qui tenetur ad cuſtodiam rei ratione publici aut priuati officij non ſufficit probare interitum rei, niſi etiam probet caſum fortuitum: Qua de cauſa non ſatis ſe excuſat paſtor, aut caprarius ſi portet pelles animalium, quorum cuſtodiam ſuſcepit, quamuis per hoc conſtet de interitu, niſi etiam oſtendat caſum fortuitum fuiſſe Bald. in L. Cum ita. §. Species, ad finem. ff. de legat. 2. Iaſ. in L. Si paſcenda. C. de pactis. Alciat. in d. conſilio 20. Purpuratus in L. Quod te. numero 5. ff. Si certum petatur, & poſt alios Ioſephus Maſcardus de probationibus, volum. 1. concluſ. 265. & concl. 469. numero 1. Hinc cuſtos alicuius rei, cui damnum datum eſt, vt ſe liberet à ſatisfactione & emendatione damni

probare debebit, ſe omnem diligentiam adhibuiſſe, quæ erat neceſſaria rei cuſtoditæ. Alienus enim à culpa eſt, qui impendit diligentiam debitam. L. Si negotia. ff. de negot. geſtis, & L. Si vt certo. §. Nunc videndum. ff. Commodati.

Quarta Concluſio. *Quando cuſtodes iurauerunt denunciare in dictis caſibus tranſgredientes, non poſſunt ſine peccato mortali diſsimulare, ſed tenentur in conſcientia manifeſtare domino.* Hanc tenent Medina, Nauarrus, Petrus à Nauarra & alij. Ratio in promptu eſt, quoniam iuramentum tunc licitum eſt, & poteſt, & debet ſeruari. Nec relaxatur niſi is relaxet, in cuius gratiam factum eſt. Excipiunt tamen DD. vnum caſum videlicet, quando tam magna eſſet neceſsitas tranſgredientis, vt à culpa alienus cenſeretur, & illa cuſtodi nota eſſet, tunc cuſtos poſſet diſsimulare, nec teneretur reuelare: Quia etiam dominus in tali caſu irrationabiliter eſſet inuitus, & iuramentum intelligendum quando aliquis iniuſtè, & cum peccato rem cuſtoditam inuadit. Nec etiam in hoc caſu plus foret accipiendum quam neceſſitas poſtularet. Dubium hic eſſe poteſt, quid cenſendum de cuſtodibus, qui ſe abſcondunt aut diſsimulant, vt alij loca prohibita ingrediantur, ligna cedant, aut gramina ſecent, aut ſimilia damna inferant, in hunc finem, vt ingrediantur, libere damna inferant, & ſic rectius capiantur, apprehẽdantur, & mulctẽtur,

aa

an tales cuſtodes peccent? Sæpè ſolet hic cáſus accidere vt omnibus experientia cōpertiſſimum eſt. Mouent hoc dubiū Doctores Hiſpani: Medina, Anton. Cordub. Petr. à Nauar. Mart. Nauar. loc. cit. & alij alibi. Reſpondent Medina, & alij poſt eum ſic ſe abſcōdētes peccare. Primo contra pręceptum de corrigendo fratre. Non enim minus tenemur fratrem à peccato ſeruare, ne cadat, ſi poſſumus, quam poſtquā ceciderit à peccato eleuáre. Péccant etiam tales cuſtodes contra fidelitatem domino loci debitam, quia tenentur damnum eiuſdem prout poterunt euitare. Peccant tertiò contra charitatem ad proximum habendam, qua tenentur, dum abſque propria iactura poſſunt, illius damnum euitare: modo autem ex pręfata diſsimulatione hæc omnia accidunt: Sic damnificantes in peccatum reale incidunt: dominus loci rebus ſuis iniuſtè ſpoliatur: & ipſi ſpoliantes in pœnam ſtatuti, ſeu legis contra tales inſtitutam ſimiliter incidunt, quæ omnia commodè per cuſtodes potuiſſent; ſi diſsimulare noluiſſent, euitari. Ac proinde non ſunt à culpa immunes: & ſi pœna contra venatores appoſita ſit perſonalis, aut talis, quæ in commoditatem domini loci ſpoliati non cedat, tenebuntur domino de damno ſua diſsimulatione illato: Secus alias; intellige quando pœna in domini vtilitatem conuertitur: tunc enim pœna dam-

num illatum compenſat. Huiuſmodi autem cuſtodes non tenentur de damno ipſis damnificantibus in nemoribus & paſcuis & ſimilibus, quod inciderunt ex tranſgreſsione,& euitaſſent ſi cuſtodes ſe nõ abſcõdiſſent: quia damnificantes, & tranſgredientes ſuo facto meruerunt pœnam, quæ eos damno afficit. Qui autem damnum ſua culpa propria patitur ſibi imputet. Hæc eſt ſententia Medinæ. Nauarrus limitat hanc opinionem in hunc modum intelligendã ſcilicet de cuſtodibus, qui ſe abſcondunt,& permittunt ingredi,quo ſemel depræhenſi iterũ ingredi caueant, nec ſinũt eos inferre damnũ notabile in huiuſmodi locis ꝓhibitis,tunc nõ peccant. Innuit tamẽ Nauarr. aliorũ opinionẽ eſſe cõtra hanc limitationẽ, quorum opinio ipſi dura videtur. Arbitror rariſsimè huiuſmodi cuſtodes ſic diſsimulantes teneri ad reſtitutionem domino, à quo conſtituuntur; niſi inuito & ignorante domino componant cum tranſgredientibus; tum quia dominus ſuæ indemnitati conſulit compellendo damnificantem, quando in damno compræhenditur à cuſtodibus: tum quia vt plurimum tanta pœna ſic depræhenſis imponitur, vt damno abundanter ſatisfiat: Poſtremo quia fere ſemper cuſtodes habent implicitum domini conſenſum in his & ſimilibus verſutijs. Verum hoc adhuc addiderim huiuſmodi cuſtodes eſſe in peſsimo loco, quando ſciunt dominos ſuos eſſe

ſeueros,

ſeueros, & ſine gubernaculo rationis, in exigendis & extorquendis pœnis. Nemini enim dubium eſſe poteſt, poſſe eſſe iniuſtitiam in hoc negotio: Si enim pœna modum culpæ excedat, & pro damni ſatisfactione plus extorqueatur, quam damni illati quantitas ſit, iniuſtitia committitur, & exceſſus reſtituendus eſt. In hoc caſu cuſtodes ſi diſsimularent ſeque abſconderent, vt in damno alios caperent, & ſic domino poteſtas fieret capiendi prædam, & inuadendi alienam ſubſtantiam, ſine dubio grauiſsimè peccarent, & tenerentur ad reſtitutionem exceſſus, ſi principalis ſcilicet dominus non reſtitueret; Quia eſſent cauſa vt proximus rapinam incurreret contra iuſtitiam. Solent enim quidam cuſtodes & nuncij ſe accommodare dominis in omni peruerſitate; quando norunt dominum nihil aliud deſiderare, cogitare ac ſomniare, quam quomodò poſsit venari ſubſtantiam miſerorum, eos excoriare & expilare: ipſi quo fauore domini gaudeant, etiam verſutias excogitant, dolos exquirunt, & adinuentiones ſcrutantur, quibus domino inſatiabili occaſionem & anſam aliquam offerant deprædandi pauperes, & concutiendi ſubditos. Sed de his ſatis, tales enim cuſtodes ſiue nuncij cum ſuis dominis in gehenna inſatiabili infinitis pœnis, punientur ſine miſericordia: cum nullam cum pauperibus ſubditis miſericor-

diam habuerint, imo omnem iuſtitiam in eos exercuerint, argumentum à contrario, in Euangelio, Matth. 5. Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.

Quinta Concluſio. *Etſi cuſtodes teneantur de damno dato domino in re eorum cuſtodia commiſſa, non tamen tenentur ad pœnæ ſolutionem, quam damnificantes ſoluerent domino, ſi accuſati & denunciati fuiſſent.* Prior pars ab omnibus recepta eſt, & ex dictis aperta eſt. Poſteriorem amplectuntur Sylueſt. in verb. Reſtitutio. 3. q. 5. in dicto ſeptimo, ex mente S. Bernardini. Martinus Nauarrus in manuali confeſſariorum, cap. 25. numero 34. & lib. 5. conſil. in tit. de iniurijs, & damno dato, conſ. 1. Anton. Corduben. & Petrus à Nauarra, vbi ſupra. Ratio eſt, quoniam pœna non eſt debita in conſcientia ante ſententiam iuxta Gloſſam ſingularem & communiter receptam in cap. Fraternitas, 12. q. 2. Præterea leges humanæ pœnales maximè eatenus ligant in foro conſcientiæ, quatenus in eo ſunt receptæ, vt Nauarrus in d. conſil. numero 4. & in manuali confeſſariorum, capite vigeſimotertio, numero 40. & 60. cum ſeq. oſtendit. At nullibi receptum eſt quod cuſtodes teneantur ad ſolutionem talis pœnæ ante ſententiam. Si quis obijciat. Huiuſmodi pœna eſt intereſſe domini, cum ſpectet ad intereſſe lucri ceſſantis. Sed in conſcientia aliquis non ſolum tenetur reſtituere damnum illatum, ſed etiam intereſſe lucri ceſſantis.

Reſpondetur, Pœnam huiuſmodi non eſſe intereſſe, ſed quid diuerſum : & ita à diuerſis non fit illatio eadem. arg. L. Papinianus. ff. de minoribus. Deinde illud intelligendum de intereſſe intrinſeco & propinquo, non autem de extrinſeco & remoto, vt eſt pœna huiuſmodi, prout Nauarr. in d. conſ. in fine declarat.

QVAESTIO XV.

An cædentes & aſportantes ligna de alienis ſyluis, aut etiam glandes colligentes in aliorum arboribus? aut pecora paſcentes in alienis paſcuis, teneantur in conſcientia ad reſtitutionem recompenſationemq; talium damnorum?

NOTA in primis de ſimilibus eſſe ſimile iudicium. Martinus Nauarrus vir omnium rectè ſentientium cenſura vitæ ſanctitate & eruditione clariſsimus in commentario cap. Fraternitas. numero 31. 12. q. 2. fatetur per viginti annos, & amplius ſe non potuiſſe rationem formalem inuenire in reſolutione huius materiæ, qua dubietatem animi ſui expelleret. Alphonſus Caſtrenſis ordinis diui Franciſci in Theologia celebris libro primo de poteſtate legis pœnalis, capite decimo, ait, ſe mirari aliquos pro doctis à populo exiſtimatos dicere illos qui ab alienis

ſyluis ligna ſubripiunt, aut ſua pecora in alienis pratis paſcunt, non obligari ad reſtitutionem damnorum, nec peccare propterea, quod ſic facientes ſe exponunt periculo pœnæ à lege, aut ſtatuto contra tranſgredientes decretæ & conſtitutæ, & ſic cóſequenter acerrimè inuehitur contra ſic ſentientes, & reſpondentes, arguens eos imperitiæ & impietatis. Hic doctor latius impugnat ſententiam eorum, qui tam laxè in hac materia loquuntur. Eſt enim vulgus in ea opinione, vt exiſtimet, ex eo quod qui capiuntur ſic in alieno damno, pœna mulctentur, eos qui euadunt, ad nullam reſtitutionem eſſe obligatos. Nunc pro reſolutione ſit.

Prima Concluſio certa. *Etſi pœna in loco lege, aut ſtatuto impoſita ſit pro ſic tranſgredientibus, & damnum inferentibus, non tamen tenentur ad pœnæ ſolutionem ante iudicis condemnatoriam ſententiam.* Hanc tenent Nauarr. loco cit. Dominicus à Soto lib. 4. de iuſtitia & iure. q. 6. artic. 4. concl. 2. Petrus de Aragon in 2. 2. S. Thomæ q. 62. art. 3. non longe à fine, & alij communiter alibi. Quia nemo tenetur ad pœnam ante ſententiam per Gloſſam ab omnibus receptam in d. cap. Fraternitas.

Secunda Concluſio etiam certa & cómuniter recepta. *Si ex antiqua & conſtanti conſuetudine receptum obſeruatumq; ſit, vt domini ſyluarũ, aut paſcuorum, & ſimilium, non petant damni reparationem, ſed ſolum pœnã contra tranſgreſſores ſtatutam, ſic* dam-

damna inferentes non tenentur ad reparationem damni illati. Hanc docent Alphonſus Caſtrenſis & Nauarrus loc. cit. Ioannes Medina in C. de reſtitut. q.12. nec eſt qui diſſentiat. Quia ex ipſa frequentata conſuetudine conuincitur hac intentione legem talem pœnalem contra ſic damnificantes latam, vt per ſolutionem pœnæ ſi deprehendantur, liberentur à damno, quod intulerunt. His accedit quod conſenſu dominorum talis conſuetudo poſſet induci, quæ tranſgredientes ſine dubio liberaret à culpa & reſtitutione.

Tertia Concluſio. *Non eſt dubium, quod & hodie populus qui communes ſyluas, & communia prata ſiue paſcua habet, poſſit lege, aut ſtatuto cauere, vt nullus de illa re communi ſine licentia aliquid capere valeat, ſi tamen contra prohibitionem capiat, non peccet, nec ad aliam damni reparationem teneatur, quam vt pœnam ſtatutam ſoluat, ſi deprehendatur.* Hanc docet Caſtrenſis in d. cap. 10. quæ certiſsima eſt. Quia in poteſtate communitatis & reipublicæ eſt condere ſtatuta pro ſua vtilitate ad commune commodum, quæ obligationem recipiunt à mente ſtatuentium cum ſubditorum cõſenſu. Nemo autem dubitare poteſt, poſſe fieri leges humanas purè pœnales, quæ ad nihil aliud obligent quam ad pœnæ ſolutionem. Si ergo aliqua communitas talem legem, conderet, vt qui deprehenderentur cõtra legem aut ſtatutum damnum inferre rei communi tantum obligarentur ad pœ-

nam, tranſgrediens nō peccaret, nec teneretur ad reſtitutionem damni, ſed tantum ad pœnam ſi deprehenderetur, & condemnaretur. Et inquit Caſtrenſis, forte nunc prout ſunt multorum hominum ingenia ad huiuſmodi res furtim capiendas, expediens eſſet de lignis ſyluarum, & de herbis pratorum communium talem ſtatuere legem, vt multa per illam euitentur peccata quæ homines præſertim agricolæ propter huiuſmodi res paſsim committunt.

Quarta Concluſio. *Qui ligna cadunt aut ſua pecora depaſcunt in ſylua aut loco communi ſuæ communitatis, communiter non tenentur ad reſtitutionem damni illati, licet lex pœnalis ſit pro tranſgreſſoribus conſtituta.* Sotus & Petrus de Aragon loc. cit, Ioſeph. Angles in floribus Theolog. qq. in 4. part. 2. in tract. de reſtitut. in q. de cædentibus ligna, & paſcentibus oues in alienis agris, Gregorius de Valentia in 2.2. S. Thomæ diſput. 5. q. 6. puncto 5. Ratio quia tales non accipiunt alienum. Quod enim commune eſt, ad ſingulos etiam pertinet. Limitant DD, communiter hanc concluſionem, vt intelligatur niſi quis magnam ſtragem in communi ſylua faceret, aut immoderatè damnum communibus paſcuis inferret; tunc enim teneretur ad emendationem damnorum.

Quinta Concluſio. *Qui ligna cadit, aut pecora paſcit in alienis locis, quæ aut alterius communitatis,*

tatis, ſiue oppidi ſunt, cuius ipſe cadens membrum non eſt: aut etiam ad alterius priuati dominium ſpectant, tenetur ad damni illati reparationem, ſi tam notabile detrimetnum ſit, quod dominus rationabiliter in illud non conſentiat. Hanc docent communiter Theologi citati & Alphonſus Caſtrenſis loc. cit. Ratio clara eſt ex hoc cap & alijs in hoc tit, traditis. Qui alterius damni iniuſtè cauſa eſt, proximo nocet contra iuſtitiam. At omnis qui nocet proximo contra iuſtitiam tenetur ad emendationem damni. Ergo cum ſic ligna cædens, aut ſua pecora in alienis pratis paſcens, aut etiam herbas ad paſcendum in proximi pomerijs euellens, proximo contra ſuam voluntatem damnum inferat, tenebitur ad reſtitutionem. Limitatur etiam à quibuſdam DD. vt Soto, Petro de Aragon, & Ioſepho Angles, vt concluſio quantum ad communitatem & oppida, & nemora, aut prata ſint communia, veritatem habeat, niſi oppida ita vicina ſint, vt hinc inde mutuo quaſi interpretatiuo conſenſu incolæ vnius oppidi, quandoque excurrant in alterius ſyluam, aut ſua pecora ducant in vicinorum paſcua, licet puniantur, aut pignora capiantur ſi deprehendantur: In hoc caſu videntur ſibi inuicem damna remittere & condonare. Alia tamen ratio eſt quando nemora & prata propria ſunt, alicuius domini particularis. Dictum in concluſione, (ſi damnum tam notabile ſit,

ſit, quod dominus rationabiliter in illud non conſentiat.) Quia ſi damnum minimum ſit, vtpote pauper graui neceſsitate preſſus, aut quaſi extremè indigens ligna arida, in aliena ſylua colligat, aut non fructifera ſine vllo vix detrimento ſecet, non tenetur ad reſtitutionem, nec mortalis peccati condemnandus: Sicuti pauperes homines ciuitatis Treuirenſis neceſsitate vrgente ſolent excurrere in ſyluam monaſterij D. Matthiæ vicinam vrbi, & ibi ex tacita permiſsione accipere ligna arida, & infructifera ſine damno ſyluæ & monaſterij: Si autem notabile damnum inferant inciſione, aut detruncatione arborum fructiferarum, tunc ſine dubio peccant, & tenentur in conſcientia ad emendationem damni: cum in tali caſu non poſsit præſumi tacita permiſſio, nec rationabilis domini ſyluæ conſenſus. Quod autem in his & ſimilibus damnum notabile, leue, ſiue parum, aut graue & magnum ſit, iudicis arbitrio determinabitur iuxta Alexand. in conſilio 67. incip. Videretur ſtantibus his. vol. 5. Bertol. in Authent. Minoris debitor. C. Qui tutores dare poſſunt. Gloſſ. & Bald. in L. 1. C. Si aduerſus venditionem pignor. Imol. & Barbat. in cap. fin. de donat. & per alia multa quæ more ſuo latiſsimè colligit Andreas Tyraquel. in L. Si vnquam. C. de reuocanda donat. in Gloſſ. Omnia, vel partem aliquam, numero 30. Dominicus Sotus loco cit. aliqua obſeruanda

uanda circa hanc materiam annotat. Primum, licitum eſſe cæſionem ſyluæ vetari in bonum reipublicæ, nempe ne in eius perniciem diſsipetur. Secundum, Domini quibus rex oppida cum nemoribus elargitur, non poſſunt alia ratione illa cuſtodire, quam rex feciſſet. Non enim aliud eis ius concedit, quam habet. Et ideo ſi nemora hoc ferunt, non ſunt oppidanis vetanda ad neceſſarios vſus. Imo ſi nemora propria ſint alicuius domini, non ſunt eo rigore vetanda, vt corporalis infligatur pœna: neque vero grauis pecuniaria. Quandoquidem arbores & ligna quæ abſque cultura terra progenuit, iure gentium communia eſſe deberent. Vita enim humana ſine quotidiano vſu lignorum tranſigi nequit. Atque ob eam cauſam eorum furtum non eſt ea lance æſtimandum, atque ſi quis ex arca, aut domo aliena, nummos aut ſupellectilem furaretur. Quocirca qui ligna cædunt in alienis ſyluis nuſquam gentium infamia latronum, aut furum notantur. Sic Sotus. Reſolutio Nauarri, quam præmiſſa tam moroſa deliberatione adhibuit, non videtur quid rari continere. Ipſe enim ſequentem diſtinctionem præmittit. Sunt enim quædam ſyluæ quas veluti vineas plantant & fodiunt homines priuati vel publici, in terris ſuis priuatis vel publicis, & ſimiliter cenſendum de herbis ſatis & enutritis ſtudio, labore & induſtria hominum, quas quotannis

ſecant

ſecant & recondunt in fœnilibus pro ſuo certo & neceſſario vſu. Aliæ autem ſunt ſyluæ antiquæ in vallibus & montibus natæ & auctæ ſine vllo hominum labore & ſtudio ex terræ ſolum productione : & ſic pari gradu quædam ſunt herbæ & paſcua ſponte naſcentia in terris priuatis, aut publicis. Nunc propius ad rem, in paucis terris eſt conſuetudo, qua liceat, ſoluta pœna, primi generis arbores cædere, & herbas depaſcere: In multis autem, & fere vbique eſt conſuetudo, qua liceat id facere in arboribus & herbis ſecundi generis: Et merito, quia facilius & rationabilius potuit induci conſuetudo hæc, quam illa, eo quod illa ſecundi generis longe magis communia ſunt quam hæc primi generis. Illa enim omnia ſponte naſcentia, ſicuti à principio erant communia, & occupantis fiebant iuxta L. 1. ff. de acquirendis rerum domin. licet poſtea fuerint facta publica certorum populorum, vel priuata certorum particularium quoad dominium & proprietatem, ſic facilius potuerunt remanere communia quantum ad eum vſum, quo liceret vti eis impunè, ſi non deprehenderentur, vel ſoluta pœna, ſi eſſent deprehenſi : Quia in ſymbolizantibus, hoc eſt, ſimiles qualitates habentibus, facilior eſt tranſitus ſecundum philoſophum libro ſecundo de gegeneration. & facile res ad ſuam priſtinam natu-

naturam reuertitur, cap. Ab exordio. 35. d. & L. Si vnus. §. pactus ne peteret. ff. de pact. & ita potuit facilius continuari conſuetudo antiqua, quæ continuata tempore legitimo ſuffecit ad inducendam illam ſeruitutem & ſuſtinendum onus patiendi damnum, de quo agitur. Hæc autem primi generis ſunt multo magis propria, quippe quæ nunquam fuerunt ita communia, vt fierent occupantis neque quoad dominium, neque quoad vſum. Latius hæc Nauarrus oſtendit. Reſolutio autem clara eſt ex concluſionibus. Vera ſunt, quæ hic auctor dicit, ſed non noua, aut inſolita.

QVAESTIO. XVI.

An qui damnum infert alicui per eiecta, vel effuſa, teneatur ad emendationem damni dati, & quomodo?

PRo tituli intelligentia obſeruandum, aliquãdo homines ex ædibus eijcere ſordes, aut effundere aquam ex partibus ſuperioribus domus, & ſic cõtingere poteſt, vt tranſeuntes lædant, & damno afficiant in veſtibus, aut perſona, quæritur ergo an ſi quis ſic damno afficiat aliquem teneatur ſatisfacere de damno illato tam in foro conſcientiæ, quam in iudicio exteriori. De materia huius quæ-

ſtionis

ſtionis tractant Speculator in tit. de iniurijs & damno dato in part. 2. Rubr. Rofredus in ſumma, in Rub. de actione in factum, de his qui eiecerint vel effuderint. DD. in Inſtit. de obligat. quæ ex quaſi delicto naſcuntur. §. Item is. & ſeq. & ff. de his qui deiecerint vel effuderint.

Prima Concluſio. *Qui dolo, aut lata culpâ alicui in rebus, vel perſona damnum intulerit, per eiecta, vel effuſa, in foro conſcientiæ tenetur ad emendationem totius damni dati.* In hac concluſione non eſt dubium, per text. in hoc cap. & regulam vulgatam. Qui cauſam damni dat, damnum dediſſe dicitur. Idem eſt iudicium in foro canonico contentioſo. Semper enim ſic detrimentum inferens tenetur ad damni reparationem.

Secunda Concluſio. *De iure ciuili ſi ex domô alicuius aliquid deÿcitur, aut effunditur in viam publicam, aut etiam locum priuatum, vbi hominum ſolet eſſe tranſitus, maximè interdiu, niſi tranſeuntes fuerint prius moniti: ſi veſtes alicuius hominis, aut res tranſeuntium contaminentur, aut corrumpantur, inhabitator domus tenetur damnificato ad duplam damni reparationem.* Sic Speculator, & Rofred. loc. cit. DD. in d. §. Item is, & in L. 1. ſtatim in princ. ff. de his qui eiecer. vel effud. per text. claros ibidem. Dictum in concluſione (vbi hominum ſolet eſſe tranſitus maximè) Quia ſi quis deijceret, aut effunderet in locum vbi non ſolet eſſe tranſitus, nec aduerteret quicquam

quam non teneretur. Eadem eſſet ratio ſi quis de nocte, quando nemo hominum ſolet tranſire, aquam per feneſtram effunderet, & forte aliquis tranſiret precioſis veſtibus indutus: quæ immunditia inficerentur cum notabili damno, effundens non teneretur, quia de nocte non ſolent homines obambulare in vijs publicis. Non foret tamen idem iudicium ſi etiam de nocte homines iter ſolerent facere per talem locum. Dictum (inhabitator domus) quia is tenetur etiamſi is hoſpites, aut viatores hoſpitio habeat, qui eiecerint, vel effuderint. d. L. 1. §. fin. Poterit tamen paterfamilias iure damnum à ſe ſolutum repetere ab hoſpitibus aut alijs, qui eiecerunt, vel effuderunt, ex d. §. fin. Additum (ad duplam damni reparationem.) Pœnale enim, id eſt, quod ad duplum iudicium detur: alias non tenetur niſi ad emendationem tanti damni, quanti cauſa fuit. Vnde ad duplum nemo tenetur, niſi condemnatus à iudice ad duplici ſolutionem. Ratio autem redditur in d. L. 1. §. Summa huius conſtitutionis. Quia nemo eſt qui neget, publicè vtile eſſe, ſine metu & periculo per itinera commeari.

Tertia Concluſio. *Quando plures in eadem domo pro diuiſo habitant, vtpote vnus in inferiori parte, & alius in ſuperiori, tunc is tenetur ad damni reparationem, ex cuius parte proiectum, aut effuſum eſt id quod damnum dedit.* DD. loc. cit. per text. in L. Si vero in princ. ff. de his q. eiecerint, vel effuderint.

Quarta Concl. *Si plures in eadem domo pro indiuiſo promiſcuè habitent, & aliquid deiectum, vel effuſum ſit, quod damni dati cauſa fuit, ſi conſtet de eo qui deiecit, aut effudit, is ſolum tenetur.* Gloſſ. in L. Cum ſanè. ff. eod. & conſonum eſt illi regulæ. Quod pœna ſuos debeat tenere auctores. L. Sancimus. C. de pœnis. *Si autem non apparet, quis deiecerit aut effuderit, omnes tenentur, & quilibet in ſolidum.* In d. L. 1. §. fin. & duabus legibus ſequentibus, faciunt etiam ad propoſitum ea quæ dicit Innocent. in cap. Sicut dignum, de homicid. & poſt eum alij ibidem. & Alexand. in conſilio 103. incip. Videtur prima conſideratione dicendum ſtantibus his: volum. 1. Si autem vnus ſatisfecerit pro damno, cæteri liberantur. Is tamen qui ſoluit, poteſt repetere partes ab alijs L. Et quidē in ſolidum. Gloſſ. ibidem & L. ſeq.

Quinta Concluſio. *Si quis ſine dolo & malitia, & præter opinionem aliquid eÿciat in locum publicum, & hominem liberum occidat, pœna quinquaginta aureorum mulctabitur.* L. fin. ff. eod. Pro æſtimatione tamen hominis occiſi, nihil ſoluet, cum corpus hominis liberi nullam recipiat æſtimationem, ex dicta L. fin.

Sexta Concluſio. *Si homo ſic per eiecta vulneretur, aut mutiletur, eÿciens & damni occaſionem dans condemnabitur ad arbitrium iudicis, ad expenſas factas in curatione & medicinis, & ad intereſſe, lucrumque ceſſans ex vulneratione, aut mutilatione.* d. L. fin. DD. ibidem, & in Inſtit. loco cit.

De

De hac materia latius actum ſupra capite primo. Quomodo libellus formandus & actio inſtituenda in foro exteriori circa harum cõcluſionũ materiam, videri poterunt Rofred. & Speculat. vbi ſupra.

Septima Concluſio. *Qui habet aliquid poſitum, aut ſuſpenſum, aut affixum in loco, per quem iter homines facere conſueuerunt, & vbi ſi caderet, damnum & nocumentum poſſet inferre, tenetur quoque ex quaſi delicto, actione in factum, ad mulctam decem aureorum.* DD. in Inſtitut. in d. §. Item is. & ſeq. per text. ibidem. & in L. 1. §. Quod ſi. & L. Si plures. §. Prætor ait. ff. de his qui deiec. aut effud. Attendendum ſemper in hoc caſu, an poſitum & ſuſpenſum, ita ſit affixum, vt facile damnum & nocumentum inferre poſſit, & ad caſum periculum immineat. Gloſſ. in Inſtit. loco citat. §. Cui ſimilis, in verb. Quod poteſt, & per text. in d. §. Prætor ait. in verb. Nocere. Si enim aliquid ita appenſum eſſet vt iudicio bonorum virorum, & diſcretorum, debita diligentia adhibita merito præſumeretur ad euitandum caſum, non locus eſſet pœnæ. Vnde Angelus ab Aretio loc. cit. in Inſtitut. notat quod fœminæ non poſſunt ſuper vias publicas, aut priuatas, vbi quotidianus & frequens eſt hominũ tranſitus ad feneſtras tenere viridaria, & herbas in ollis, niſi ita firmiter ſolideque ſint affixa, quod veriſimiliter cadere non poſſint per

Gloſſ. in d. verb. Quod poteſt, & in verb. Nocere. Faber mouet dubiũ. in d. §. Cui ſimilis. Cui applicanda ſit iſta pœna 10. aureorũ. An parti, vel fiſco, Gloſſ. exiſtimat ꝙ medietas parti, & altera fiſco. Faber verius aſſerit parti pœnã applicandã, id eſt ei, qui dãnũ paſſus eſt. Forma libellũ formandi in hoc caſu ſecundũ Speculat. talis eſſe poterit. Pono ꝙ impoſuiſti tale quid ſupra talem locum, vnde vulgo iter fit. Item quod illud de facili cadere poſſet. Item quod cecidit & tale damnum dedit. Item ſi caderet, damnum dare poſſet, & ſic de ſimilibus.

QVAESTIO XVII.

An quando iniuſtè damnum paſſus propter factum alterius, poſſim agere contra talem ad ſatisfactionem damni?

CONCLVSIO affirmatiua. *Damnum paſſus, alterius cauſa, poteſt illud repetere ab eo, ob cuius factum incurrit.* Probatur per text. in L. Nam & Seruius. ff. de negot. geſt. Bartol. ibidem. text. in L. Si vero. §. Cum autem. ff. de his qui deiecerint, vel effuderint, & in L. Si merces. §. Culpæ. & text. in hoc cap. Qui cauſam damni dat, damnum dediſſe dicitur. Pro hac concluſione facit illa doctrina DD. qua concludunt quod innocens apprehen-

ſus, & exactus ratione repræſaliarum, poteſt repetere damnum, ab eo, qui cauſam repræſalijs dedit. Bartol. in tractatione repræſaliar. & in d. L. Nam & Seruius. Baldus & Albericus in d. L. Si vero. §. Cum autem. Alexand. in conſilio 290. incip. Ponderatis his, de quibus in themate fit mentio, numero 14. vol. 2. Panormitanus in conſilio. 21. incip. Saluatoris noſtri, volum. 2. & alij alibi, vt latius deduximus in capite præcedenti, quæſtione quarta, concluſione vndecima. His conuenit & ſententia Bartoli, in L. Cotem ferro. §. Qui maximos. ff. de publ. quem allegat, & approbat Panormitanus in d. cóſ. dum ſentit, quod ſi emens pedagium à ciuitate paſſus ſit maximum damnum propter guerram, quam ciuitas alteri intulit, poteſt agere contra ciuitatem ad intereſſe, quia ex facto, ſeu odio ipſius damnum paſſus eſt. Confirmat etiam hanc Concluſionem, quod traditum in proxima quæſtione concluſione ſecunda, inhabitatorem domus teneri, ſi hoſpites aut viatores eiecerint, vel effuderint in viam publicam aliquid, vnde tranſiens detrimento affectus ſit, poſſe tamen damnum perſolutum, ab hoſpitibus, & alijs qui eiecerint, repetere.

QVAESTIO XVIII.

An mulier quæ ignorante marito proprio concepit filium ex adulterio, qui

cum legitimis & naturalibus filijs ſuccedet in hæreditate & ſic veri hæredes maximum damnum ſentient, teneatur crimen ſuum prodere etiã cum periculo diſpendioq́; propriæ famæ, aut vitæ ad euitandum damnum legitimorum hæredum, & ne conceptus ex adulterio, cum iniuſtitia fruatur alienis bonis?

QVAEſtio hæc ſolemnis eſt apud Theologię & iuris doctres, & eam varij in diuerſis locis attingunt, ac ideo vt certior clariorque reſolutio habeatur, hîc pro concluſione ſtatui eam plenè per concluſiones declarare, nec non plurimorum auctorum ſententias in vnum faſciculum colligere.

Ante omnia huius quæſtionis memoriam faciunt, & etiam ex parte tractant ex Theologis S. Antoninus 2. parte. tit. 1. cap. 18. §. 8. & latius in ead. par. tit. 2. cap. 7. §. 4. Scot. in 4. d. 15. q. 2. in reſponſ. ad arg. non longe à fine. Richard. in ead. d. q. 4. art. 5. Paludan. in d. 27. q. 2. Gab. in d. 15. q. 2. art. 2. concl. 2. Ioan. Maior in ead. d. q. 17. Adrian. in 4. de reſtit. non longe poſt princip. in §. Difficultas igitur eſt principaliter. & ſeq. Cardin. Caietanus tom. prim. opuſc. tract. 31. reſponſ. 14. Angelus, Syluester, & alij in verb. Adulterium. Dominicus Sotus lib. 4. de iuſtitia & iure. q. 7. art. 2. ad 2. Alphonſ. à Caſtro lib. 2. de poteſtate legis pœnalis, cap. 11. Ioannes à Medi-

Medina in C. de reſtitut. q. 3. cauſa 4. Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. cap. 1. à num. 151. latè Petrus de Aragon. in 2. 2. S. Thomæ, q. 62. art. 6. circa vltimum arg. & alij alibi, & ex iuris doctoribus. Innocent. Hoſtienſis. Panormit. Anton. Cardinalis, & alij communiter in cap. Officij, de pœnitent. & remiſs. Petrus Ancharan. in reg. Peccatum, oppoſit. 4. & in reg. Fruſtra. q. 2. in 6. Martinus Nauarrus in manuali confeſſariorum, cap. 16. à numero 43. Didacus Couarruuias in relect. cap. Peccatum, de regul. iuris. part. 1. num. 8. Nunc pro reſolutione ſit.

Prima Concluſio. *Adultera, quando habet tantum in proprijs bonis, vt poſsit emendare damnum legitimis hæredibus, aut alijs læſis, tenetur de damno dato ſatisfacere.* Hæc eſt cõmunis opinio Theologorum & canoniſtarum loc. cit. Concluſio ſatis probatur. Qui cauſam dedit damno tenetur ad eius emendationem, ſi id fieri poteſt ſine detrimento maiorum bonorum, & habeat vnde ſatisfaciat. At hoc in caſu fieri poteſt, vt præſupponitur. Ergo.

Secunda Concluſio. *Quando mulier adultera ſine vllo periculo & detrimento poteſt reuelare, & ſequitur aliqua vtilitas, tenetur detegere.* Hanc etiam communiter puto receptam. Ratio, quia cum fuerit efficax cauſa damni, tenetur lege iuſtitiæ, quantum in ſe eſt ceſſantibus grauioribus damnis, procurare & efficere, ne alij damnum iniuſtè patiantur & defraudētur in

hæreditate. Quod fieri hoc modo poſſe creditur.

Tertia Concluſio. *Si adultera moraliter cognoſcat manifeſtationem fore inutilem, & nihil profuturam, vtpote quia fides ei non habebitur, nec in effectu vlla damni recompenſatio ſequetur, non obligatur crimen ſuum propalare.* Hanc etiam tenent communiter DD. exceptis Adriano & Paludano, quem Adrian. allegat, qui ſentiunt matrem obligatam ad occultam manifeſtationem filio faciendam, etiamſi ſciat filium non adhibiturum fidem, ſed horum ſententia communiter reijcitur. Probatur nunc concluſio. Huiuſmodi reuelatio eſſet inutilis temeraria, & famæ prodiga diſsipatio, Ergo non admittenda. Deinde in tali caſu manifeſtatio criminis neceſſaria cenſetur ad hoc vt damnum læſis reſarciatur. Ergo quando nulla ſpes moralis ſupereſt ad conſecutionem illius finis, minimè manifeſtare tenetur. Paludan. ad fundandam ſuam intentionem vtitur hoc argumento. Prædicator tenetur impio prædicare veritatem, etiamſi ille non ſemper acquieſcat: alioquin ſanguinem eius requiret DOMINVS de manu eius. Adrianus aliud dat ſimile: Quemadmodum is qui cum pluribus alijs infamauit innoxium tenetur retractando quantum poteſt laborare ad famæ reparationem; quanquam alijs in ſua ſententia perſiſtentibus nouerit ſibi minimè habendam ſidem. Alphonſus à Caſtro & poſt cum

cum alij recẽtiores ſoluunt hæc argumenta & oſtendunt diſsimilitudinem quantum ad propoſitum. Ad primum. Paludani de prædicatore eſt diſsimilis ratio, quia auditor prędicatoris veritatem prędicantis tenetur ei credere, & ita prædicator obligatur ad prędicandum. Quod ſi alius non crediderit, nullum ex tali prædicatione ſequitur damnum prædicatori. Filius autem ſpurius non obligatur credere matri, & mater ex reuelatione magnum patitur damnum, ſcilicet infamiam. Aliter Petrus de Aragon diluit: Prædicator non ſolũ tenetur dicere veritatem, vt credentibus ꝓficiat, ſed vt etiam veritas in iudicio coram Deo habeat contra peccatores ſuum debitum teſtimoniũ, magiſq; iuſtificetur cauſa diuina, non ſolũ tenetur loqui quando eſt ſpes emendationis, ſed etiam quando ſcit non profuturum. Adultera autem pro nullo alio fine tenetur ſuum crimẽ manifeſtare, niſi vt damnum per reſtitutionem emendetur. Quando ergo ceſſat hic finis, obligatio detegendi crimen etiam locum non habet. Ad aliud autem Adriani idẽ auctor paucis reſpondet falſum eſſe q̃ is qui cum alijs infamauit, teneatur retractare ſententiam, quando nulla eſt ſpes proficiendi. Secus autem eſſet, ſi ſperaret abſtergere totaliter, vel in parte infamiam. Alphonſ. aliam adhibet ſolutionem oſtendẽdo maximam diſsimilitudinem. Is qui ſe infamat reuocando dictum ſuum vt alteri fa-

cap. Officij de pœnitentijs & remiſsion. Vbi ſic Innocent. III. ſcribit: Significaſti quandam mulierem in pœnitentia tibi fuiſſe confeſſam, quod timens ne viri poſſeſsio deuolueretur ad alios quarundam herbarũ ſuccũ potauit: & ſic venter eius intumuit, & inde grauidam ſe oſtendens ſibi partum ſuppoſuit alienum: timensque maritum non vult facinus ipſi detegere: qui prolem credit ſine dubitatione qualibet eſſe ſuam. Quoniam igitur poſtulas edoceri vtrum ei hac fraude durante ſit pœnitentia iniungenda: reſpõdemus quod ſicut mulieri quæ ignorante marito de adulterio prolem ſuſcepit: quamuis id viro ſuo timeat confiteri, non eſt pœnitentia deneganda: ita nec illi debet pœnitentia denegari, &c. ſed competens ſatisfactio per diſcretum ſacerdotem ei debet iniungi. Hæc ibi. Accedit ratio. Ex duobus malis minus eſt eligendum cap. Nerui, & cap. Duo mala. 13. diſt. Sed minus malum eſt, quod non fiat reſtitutio temporalium bonorum, quam quod hominis vita, quæ rebus omnibus exterioribus præferenda eſt, in diſcrimen adducatur. Ergo. Dominicus tamen Sotus vbi ſupra docet, quod adultera teneretur cum periculo vitæ in grauiſsimo caſu reuelare, vtpote ſi regnum transferendum foret in ſpurium. Quæ ſententia non diſplicet Couarruu. & Petro de Aragon. Mihi autem videtur hoc falſum, & ſic cum communi tenendũ.

Quinta

Quinta Concluſio. *Communiter adultera etiam non tenetur crimen ſuum reuelare, vt reſtitutionem procuret, cum diſpendio ſui honoris & famæ.* Hanc tenet Scotus, Gabriel, Caietanus, S. Antoninus, & alij communiter. A quibus tamen diſsentit. Ioannes Maior in 4. d. 15. q. 17. & in 3. d. 37. q. 34. ſentiens adulteram viduam iam, vel liberatam à periculo mortis obligatam eſſe adulterium detegere etiam grauiſsima famæ iactura. Huius ſententiæ etiam eſt Adrian. Ratio pro noſtra concluſione à DD. aſsignatur: Quia nemo tenetur reſtituere cum damno maiorum bonorum. At maius eſt detrimentum famæ, quam bonorum temporalium, cum melius & maius ſit nomen bonum, quam diuitiæ multæ. Prouerbiorum 22. Argumenta quæ contra hanc, & ſuperiorem concluſionem pro affirmante parte fiunt maximè ab Adriano ad longum diſſoluuntur confutanturque à Ioanne Medina, & Alphonſo Caſtrenſi. Dixi in concluſione, (communiter etiam adultera nõ tenetur crimen ſuum, &c.) Quia non improbabile videtur id quod ſentijt in primis Sotus & poſt eum Couarruuias, Petrus de Aragon, & quidam alij recentiores, quin caſus accidere poſſet, quod adultera teneretur etiam cum ſuæ famæ damno crimen prodere, vtpote ſi tam ingens & amplum eſſet mariti patrimonium quo verus hæres priuaretur, & ſpurius gauderet niſi mater reuelaret adulterium, vt arbi-

arbitrio viri prudentis & diſcretiſsimi multo maius eſſet diſpendium rerum temporalium, quam damnum famæ mulieris, tunc enim in conſcientia teneretur ſuum crimen manifeſtare, ſi aliunde non haberet, vt damnum reſarciret, nec etiam aliud incommodum, aut periculum vitæ ſequeretur, niſi ſolum famæ læſio, quam in hoc caſu ſuperare valorem rerum temporalium præſupponimus: Communiter autem locum habet concluſio.

Sexta Concluſio. *Si mulier iam de adulterio eſſet infamata, nec probabiliter inſtaret periculum corporis, aut animæ, ſi reuelaret, & ſciret quod ſibi fides adhiberetur à patre & filio, tenetur reuelare.* Hæc eſt communis concluſio Innocentij & aliorum in d. cap. Officij, vt etiam atteſtatur Nauarrus in manuali confeſſariorum capite 16. numero 46. Ratio concluſionis, quia iam fama eſſet læſa, & ſic non patitur eius detrimentum, nec etiam imminet periculum vitæ. Ergo nihil impedimenti eſt quo minus teneatur reuelare, vt quantum poteſt caueatur damnum.

Septima Concluſio. *Quando huiuſmodi mulier nec poteſt, nec obligatur prodere ſuum crimen, nec etiam habet, vnde reſarciat damnum eis qui læduntur, remedium optimum eſt, vt inducat filium ſpurium ad ingrediendum religionem aliquam, quæ non ſit capax hæreditatis: aut vt fiat clericus ſecularis, acquirat beneficium, & inde viuat, & renunciet alijs fratribus portionem ſui patrimonij.* Hanc docuit Scotus, &

poſt eum S. Antonin. Gabriel. Angelus. Sylueſt. Hoſtienſis. Cardin. Panormit. & alij in d. cap. Officij, & communiter recentiores, Theologi. Dictum in concluſione (ad ingrediendum religionem aliquã, quæ non ſit capax hæreditatis.) Quia ſi ingrederetur aliquam, quæ eſſet capax hæreditatis, non prodeſſet ad finem intentum ingreſſus religionis, cum monaſterium poſſit ſuccedere, cap. In præſentia, cum ibi annotatis, de probationibus, & Auctent. Ingreſsi & Auctent. Si qua mulier. C. de ſacroſanct. Eccleſijs, & ſic legitimus hæres non liberaretur à damno.

Octaua Concluſio. *Quando adultera nec poteſt ſine periculo animæ, vitæ & famæ, detegere crimen, nec alias pro damno ſatisfacere, non obligatur vlterius niſi ad contritionem pœnitentiamq́; de peccato, & ad concipiendum propoſitum ſatisfaciendi quando potuerit.* Scotus, Gabriel, S. Antonin. Nauarrus & alij: & communiter DD. in d. cap. Officij per text. ibidem. Andreas Alciatus lib. 9. parergon iuris, cap. 12. prope finem teſtatur ſe meminiſſe cum Aueninone profiteretur fuiſſe quandam mulierem quæ ſubtilius cogitauerit quam pontificij noſtri doctores potuerint inuenire. Fuit enim mulier illa vidua hac cautela vſa. Cum iam in extremis eſſet, accerſiuit ad ſe tres quos habebat filios, in lecto moribunda iacens, & ait illis: Filij mei, priuſquam hac ex vita migrem, ne animæ meæ iacturam patiar, ſum vobis quid-

dam

dam relatura. Vnus veſtrum eſt mihi non ex marito conceptus, qui rem mariti iniuſtè poſsidet: Eum vobis nuncupabo, niſi vos nolueritis. Tum filij, cum quilibet de ſe metueret, Quin, inquiunt, mater ab hoc onere nos te abſoluimus, & mutuo nos liberamus. Et ſic mater liberta eſt à conſcientiæ & reſtitutionis onere, & filij etiam contenti fuerunt. Idem etiam Alciatus huius caſus facit mentionem regula tertia præſumptionum. 37. præſumpt. numero 4. & dicit matrem illam tutam eſſe redditam apud DEVM. Hanc ingenio mulieris inuentam cautelam improbant Didacus in d. parte prima numero 8. verſus finem. verſic. Nec mihi placet cautela, & poſt eum Menochius de arbitrarijs iudic. qq. libro ſecundo caſ. 89. numero 29. Ex his motiuis, quia per eam minime tollitur damnum illatum ex adulterio, nec fit liberatio ſufficiens, cum mutua hæc abſolutio ſpontanea non ſit, ſed coacta ex metu potius quam propria voluntate, vtpote quia vnuſquiſque fratrum timebat, ne mater eum illegitimè natum manifeſtaret. Et Gabriel in 4. d. 15. q. 2. art. 2. concl. 2. ſub lit. G. ante prædictos auctores ſimilem cautelam reiecit, dum ait de matre adultera: Neque debet reuelare pueris in genere, dicendo quod vnus eorum non ſit filius legitimus, non tamen manifeſtando ſpurium quis ſit, vt ſic ſponte cõſentirent, vt ſpurius cum eis

recipe-

reciperet hæreditaté: quia ſic iterum ſe diffamaret, & eſſet periculum magnæ diſcordiæ inter fratres,&c. Sic Gabriel quemadmodum etiam paucis huius cautelæ mentionem fecit Ioann. Maior in 4. ead. d. q. 17. Dubium circa hanc materiam mouet Alphonſ. Caſtrenſ. *Si maritus vxoris adulteræ nullum habeat filium, cui facienda ſit reſtitutio pro hæreditate mariti, quam retinet filius ſpurius?* Si dicas hæredibus eſſe dandum, cum nullus niſi filius, aut in recta linea illi ſuccedens ſit hæres neceſſarius, ſed ex ſola voluntate teſtatoris pendeat, quis ſit futurus illius hæres, deficientibus filijs, non poteſt cognoſci quem ille relicturus eſſet hæredem, ſi ſciret illum non eſſe filium. Forte non reliquiſſet conſanguineis, ſed totum patrimonium in pauperes, aut in pia opera erogaſſet. Tunc ergo, ſi vxor ꝓ hæreditate à filio ſpurio retenta, cóſanguineis mariti ab inteſtato ſuccedentibus reſtituat acceptũ, conſtat illam lædere pauperes aut locum pium. Huic dubitationi Alphonſ. reſpondet, & dicit quod huic damno non alio modo mederi poſsit quam hoc pacto. Si forte maritus putans illum eſſe filium ſuum, fecit pro illo pupillarem ſubſtitutionem, tunc manifeſtum eſt adulteram debere reſtituere illi quẽ maritus pro filio ſubſtituit. Quia maritus talẽ pupillarẽ ſubſtitutionẽ faciens apertiſsimè declarauit ſe fuiſſe relicturum hæredem quem pro filio ſubſtituit, ſi ſciret alium non eſſe filium ſuum. Sed

quia

quia hæc pupillaris ſubſtitutio non fit niſi in teſtamento, quod multi vſq; ad horam mortis differre conſueuerunt, ideo adultera ſemper ſolicita eſſe debet, vt à marito, dum ſanus eſt, diſcat quem relicturus foret hæredem, ſi filium non haberet. Et cum hoc certo didicerit ab illo, id quod filius ſpurius retinet, reſtituet illi, quem maritus reliquiſſet hæredem, ſi ſciret ſe filium non habere, & non conſanguineis ſuccedentibus ab inteſtato. Quia etſi ille inteſtatus deceſsit, fuit propter dolum qui illum à conſtitutione teſtamenti impediuit. Et penes illam mulierem adulteram quæ optimè nouit ſui mariti voluntatem, illa voluntas tam apertè & ſine vlla fictione declarata ſatis eſt pro teſtamento. Et ita non poſſum aliud ſentire niſi quod mulier illa non debet alteri reſtituere niſi illi, quem certo ſcit maritum ſuum fuiſſe relicturum hæredem, ſi ille ſciuiſſet, ſe nullum habere filiũ. Hæc ille doctor. Sed nunc ad pleniorem huius quæſtionis explanationẽ quæri poteſt: An filius teneatur credere matri aſſerenti illum natum non ex legitimo thoro? Pro reſponſione ſit.

Nona Concluſio. *Regulariter in foro etiam conſcientiæ filius non tenetur credere matri aſſerenti eum illegitimè ex adulterio natum.* Hanc tenent Angelus, Syluester & alij in verb. Adulterium. S. Antonin. loc. cit. Gabriel vbi ſupra. Alphonſus Caſtrenſis loco citat. & alij

Aaa com-

communiter. Panormitanus in cap. Per tuas, de probationibus. Gloſſ. in d. cap. Officij, & alij alibi. Dictum (regulariter) Quia ſi ita caſus eſſet, quod mater vehementer & quaſi euidenter filio perſuaderet, vt intus in animo conuinceretur credere, vtpote ſi pater tempore conceptionis longo tempore abfuiſſet, aut tanto tempore infirma valetudine fuiſſet detentus, quod ſatis appareret non cócubuiſſe cum vxore, tunc enim in conſcientia teneretur fidem adhibere. Vt Sotus, Petrus de Aragon. Ioſephus Angles & alij quidam ſentiunt.

Decima Concluſio. *Per accidens etiam accidere poteſt quod filius teneatur credere matri, & hæreditatem aditam relinquere. Vtpote ſi filius propria conſcientia extimuletur ad credendum, & firmiter ſibi perſuadeat matrem veritatem dicere.* In hac re non eſt dubium & concluſionem docent, Panormitanus in d. cap. Officij, Antonius & quidam alij ibidem.

Vndecima Concluſio. *In foro exteriori filius minime tenetur fidem adhibere matri aſſerenti eum natum ex adulterio.* Hæc eſt communis Theologorum & iuriſperitorum. Theologorum loc. cit. Canoniſtarum Panormitani in d. cap. Per tuas. Antonij, Ioan. Imolen. & aliorum ibidem. Panorm. & Anton. in d. c. Officij. Legiſtarum in L. Si vicinis. C. de nuptijs. & in L. Filium. ff. de ijs qui ſunt ſui vel alieni iuris, & fundatur concluſio in d. cap. Per tuas. & in

LL.

LL. Si vicinis. & L. filium. & in L. ſin. iuncta Gloſſ. ff. de probat. Hinc communiter iuriſperiti reprehendunt vt ſtolidum & ſtultum regem quendam, qui matri ſuæ reginæ iam declināti ad mortem, & ei ad partem dicenti eum non eſſe filium regis licet tempore matrimonij natus fuiſſet, ſed cuiuſdam militis, fidem ſtatim dedit, & ob id regno renunciauit, non enim credere debuit, ſed ſuam conſcientiam iūri & legibus conformare. Sic Cynus in d. L. Si vicinis. C. de nuptijs, & poſt eum Angelus, Salycet. Alberic. & alij quidam ibidem. Bartol. & Alber. in d. L. Si filium. Panormitanus in d. cap. Per tuas. numero 4. Baldus in conſilio 74. incip. Verba D. Cyni. lib. 1. Philip. Corn. in conſil. 293. incip. In hac conſultatione videtur. in fine lib. 4. Barbat. in conſ. 58. incip. Sapienter dixit Pſalmiſta. col. 2. lib. 2. & alij alibi. Ratio cōcluſionis, quoniam iuris præſumptio eſt pro filio arg. d. L. Si vicinis, & L. Filium, & eorū quæ DD. ibidem cōmuniter cōmentantur, & ideo niſi legitimæ probationes ſint in contrarium, matri fides non adhibetur. Accedit ꝙ alleganti ſuā turpitudinē non creditur. arg. cap. Nō ſolum. 23. q. 3. & L. 2. ff. de condit. ob turpē cauſam. Quando filius natus eſt cohabitantibus viro & vxore præſumitur eum filium eſſe legitimum, niſi conſtet tanto tempore virum impotentem, aut infirmum fuiſſe, quod impoſsibile & improbabile foret, ei partum

denunciet, nec etiam tum ei tenetur credere vt plerique DD. tradunt: Quia non omnis moriens eſt ſanctus Ioannes Baptiſta vel Euangeliſta vt quidam iuriſperiti loquuntur. Bald. in tract. de pace Conſtantiæ. §. Extra quæro. num. 66. qui tractatus habetur in 3. vol. Oceani iuris. Iaſon. in L. 1. ff. Per quem factum erit, num. 16. Grammatic. in deciſ. 42. num. 9. Hippolit. Marſil. in pract. crimin. §. Reſtat. nũ. 12. Menoch. in d. caſ. nũ. 30. Ioan. Nicol. Arelatin. in annot. ad Andr. Alciat. reg. 3. præſumpt. 4. præſumpt. Maſcard. de probat. vol. 2. concl. 1078. nũ. 2. & ſic morientes non ſemper pręſumũtur dicere verũ. Gloſſ. in cap. Literas, ſuper verb. Tam graue. Bald. ibid. col. 4. Oldrad. in conſ. 192. incip. Viſo diligenter proceſſu, numero 2. Iaſ. in repet. L. Admonendi, numero 105. ff. de iureiurand. Marſilius loco cit. & certe quando huiuſmodi morientis confeſsio in articulo mortis eſt in præiudicium tertij, vbi ius iam quæſitum eſt, vt in noſtro propoſito, non præiudicat tertio, per text. & Bartol. in L. Si quis in graui. §. 1. ff. ad Syllan. Menoch. in conſ. 39. numero 44. vol. 1. vt eum allegat, & ſequitur Maſcard. in d. concl. prope finem, & Ioannes Nicolaus in d. præſumpt. 4. Atque ſic patet, quod præſumptio, qua moriens non præſumitur immemor ſalutis ęternæ non ſemper ſit efficax, per dicta latius à Doctore prædicto in præſumpt. 4. Ex dictis ſatis aper-

tum eſt, rectè docere Bartholomęum à Medina in ſua inſtructione confeſſorum Hiſpano ſermone conſcripta, quamuis Petrus de Aragon ab eo recedat, dum affirmat filium illum valde ſtultè facturum, ſi poſtquam natus eſt in domo patris ſui, velit aſſenſum matri præbere, ſiquidem ſtatim vt illud crediderit, tenetur in conſcientia alijs filijs legitimis hæreditatem relinquere. Et ſic cóſequenter dicit confeſſarios debere tali filio conſulere, ne matri aſſentiatur. (Quæ ſane intelligenda, quando filius euidentia probationum nó habet conſcientiá lęſam & conuictam) Quam diu autem dubitauerit de dicto matris poſt ſemel aditam hęreditatem, nihil tenebitur reſtituere, quia in dubijs melior eſt conditio poſsidentis. Sic Medina.

Duodecima Concluſio. *Filius illegitimus ſi matris perſuaſione inductus, aut probationibus legitimis conuictus cognoſcit, & ſentit ſe non eſſe legitimum hæredem, tenetur hæreditatem relinquere legitimis hæredibus.* Hæc S. Antonini, Gabr. Angeli, Syluestri, Ioannis Medinæ, Soti, & communiter aliorum in locis cit. Ratio aperta eſt. Quia tunc cognoſcit ſe iniuſtè poſsidere alienum, & eſt malæ fidei poſſeſſor. Ergo tenetur relinquere & reſtituere legitimo & vero hæredi tanquam domino arg. cap. Si res. 14. q. 6. In hac re non eſt dubium. De præceptis autem & conſumptis bona fide durante ad nihil tenetur, vt S. Antonin. Angel. Syluester &

alij

alij tradidere, quamuis Raymund. allegatus à Syluestro in verb. Adulterium. q. 2. in fine conſulat vt reſtituat, vel componat, licet non ſit cogendus, quia poſſeſſor erat bonæ fidei. *Dubium hic eſſe poteſt: An talis filius etiam teneatur expenſas alimentorum reſtituere patri putatiuo & alteri: & an alter poſsit eas repetere ab eo quem aluit tanquam filiũ ſuum?* Pro reſponſione, aut loquimur in foro conſcientiæ: aut in iudicio exteriori de iure ciuili. Bartol. in L. 1. §. Cõpetit. ff. Si mulier ventris nomine, teſtatur caſum in facto ſuo tempore accidiſſe in foro conſcientiæ, & fratres iudicaſſe, quod poſsint alimẽta repeti à tali filio, & quod conſequenter teneatur recõpenſare. Bartol. de iure ciuili exiſtimat patrem qui alimenta præſtitit filio, quẽ credidit ſuum, nõ poſſe repetere. Bartolo videntur conſẽtire Paulus Caſtren. in L. Alimenta. num. 4. & ibid. Alexand. num. 3. C. de negotijs geſtis. Bartoli opinio cõfirmatur per eũ ex d. §. Cõpetit. quo oſtẽditur alimẽta prꝙſtita mulieri, quæ ventris nomine ſine calũmnia in poſſeſsionem miſſa eſt, non repeti: Ergo & prꝙſtita ei, quem falſo quis exiſtimauit filiũ, nõ repetuntur. Hanc Bartoli ſententiã tam de iure ciuili quã etiã in iudicio animę amplectitur Anton. Corduba in L. Si quis à liberis. ff. de liberis agnoſcend. §. Si vel parens. num. 40. quicquid in conſulto monachi dixerint, vt eius verbis vtar; aduerſus quos ſententia Bartoli iure Regio approbata eſt L. 36. tit. 14.

partequinta. Sic ille doctor. Et certe quantum ad forum conſcientiæ etiam obtinet: Si enim ſecundum receptiſsimam DD. ſententiam, vt viſum eſt, non tenetur filius talis de receptis & bona fide conſumptis, certe non tenebitur de alimentis. Contra Bartoli ſententiam ex iure hoc argumentum difficultatem facit. Quia alimenta dedit, falsò & cum errore exiſtimauit ſe filio ſuo dare, cum tamen in rei veritate non eſſet. Ergo repetere poterit: Quia ſecundum iuris regulas, qui per errorem dat, repetere poteſt. L. Error. C. ad leg. Falcid. L. regula. §. fin. ff. de iuris & facti ignorat. L. Cuius per errorem. ff. de reg. iuris. Nec obſtat. §. Competit. à Bartolo allegatus, quia in illa ſpecie, vt alimenta non repetantur, ſatis eſt, quod mulier ſine calumnia in poſſeſsionem miſſa ſit ventris nomine, propterea, quia æquius eſt vel fruſtra impendia fieri, quam denegare aliquando alimenta ei, qui dominus bonorum aliquo caſu futurus eſt. L. 1. §. Sed & incertum. ff. de ventre in poſſeſsion. mittend. quæ ratio ceſſat in propoſito caſu, in quo is qui alimenta percipit ab eo qui filium ſuum eſſe putabat, non erat futurus dominus. Corduba ad hæc reſpondet, quod quamuis iure optimo procedant, non tamen opinionem Bartoli improbent, & refellant; Cum locum non habeant in ijs quę pietatis intuitu fiunt, quę ſi quis per errorem dederit, repetere non poteſt. §.
fin.

fin. Inſtitut. quæ ex quaſi contractu naſcuntur. L. Cum ijs. §. mulier. ff. de cōdit. indeb. vnde alimenta quæ quiſpiam alicui dederit exiſtimans falſo filium ſuum eſſe, non repetet ab eo. Nunc dubitari quæriue poteſt. *ad quid teneatur adulter, qui verus pater filij putatiui eſt?* Pro reſolutione ſit.

Decimatertia Concluſio. *Quam diu adulter non credit, nec credere tenetur, quod filius ex adulterio natus, ſit ſua proles, ad nullam reſtitutionem, aut damnorum reparationem obligatur.* S. Antonin. in 2. par. tit. 2. cap. 7. prope finem. Gabr. vbi ſupra. Sylueſt. in verb. Adulterium. q. 5. Aurea Armilla in eod. verb. num. 7. Nauarrus in d. cap. 16. num. 49. Sotus lib. 4. de iuſtitia & iure. q. 7. art. 2. non longius à fine. Petrus de Aragon in d. art. 6. S. Thomæ. & teſtatur hanc communiter ſequi Doctores. Quia in re dubia melior eſt cōditio poſsidentis, & dum res dubia eſt, certa & abſoluta non eſt proferenda ſententia, cap. Habuiſſe. 33. d. Hinc quando mater eſt leuis, & ſolita etiā cum alijs quandoque conſuetudinem habere, aut mater dubitat quoque cuius ſit filius mariti, an adulteri, aut ſunt aliqua indicia, quæ ſignificent matrem forte detegere filium eſſe adulteri ad inducendam aliquam obligationem cum eo, non debet facile fidem habere ei, in filiatione aſſerenda. Vt enim ſupra ſatis declaratum eſt, præſumptio in dubio fortior eſt quod filius ſit legitimus.

Decimaquarta Concluſio. *Quando adulter credit, aut rationabiliter credere tenetur, filium illegitimum eſſe ſuum, obligatur in conſcientia ad reparationem damnorum, quæ veris hæredibus, aut patri putatiuo ex natiuitate talis filij prouenjunt.* Caſus huius concluſionis vt melius res intelligatur, eſſe poteſt huiuſmodi aut ſimilis. Tempore conceptionis maritus alicuius vxoris abfuit, & etiã mulier ſemper fuit honeſtiſsima in propria conſcientia & hominum recta opinione, adulter vero callidus minis, vi, aut aliquo dolo eam circumuenit, & ad adulterium induxit, nec veriſimile eſt quod cum alio quoq; deinceps conſuetudinem habuerit, ac tam multæ concurrunt coniecturæ, quarum licet ſingulæ fidem non facerent, omnes tamen collectæ conuincunt, adulterum ad credendum ſuum eſſe filium, an hic adulter teneatur reſtituere damna. Nunc concluſio eſt S. Antonini, Gabr. Syluestri, Aureæ Armillæ, Caietan. Nauarri, Petri Aragon loc. cit. Ioſephi Angles in floribus Theolog. qq. in 4. 2. part. de reſtit. in q. Quis à reſtitutione ſit, liber. 5. difficult. Petri à Nauarra lib. 3. de reſtitut. capite primo numero 157. & communis hæc eſt concluſio. Ratio eſt. Quoniam adulter dedit cauſam ſua culpa damno. Ergo tenetur illud reſtituere, ex hoc cap. fin. Qui cauſam damni dat, damnum dediſſe dicitur, & iterum ibid. Si culpa tua datum eſt damnum, iure ſuper hoc ſatisfacere te oportet.

tet. Non obſtanti hac communi concluſione Dominicus Sot. vbi ſupra exiſtimat quod adulter ex iuſtitia ad nullam reſtitutionem teneatur, licet ex decentia & honeſtate. Ratio fundamentalis Soti, quoniam adulter in hoc caſu non eſt proxima, ſed remota cauſa damni ſubſecuti. Ipſa enim mater ſuppoſuit filium proprio marito, & ſponte fuit adultera. Hæc Soti opinio à Nauarro, Petro de Aragon. Petr. à Nauar. & alijs recẽtioribus reijcitur his rationib. I. Non eſt magis cauſa ꝓpinqua mulier quã vir, cum vterq; ſimul ſuo actu concurrant ad actionem, quam ſequitur damnum. Cum igitur etiam ipſo Soto teſte vxor teneatur ad reſtitutionem, adulter quoque tenebitur ob paritatem rationis. Secunda. Adulterium ſuapte natura ordinatum eſt ad generationem, & eſt mediũ ad illud damnum & eſt res illicita, quam ſequitur damnum vt effectus. Ergo nocet adultero, cum præcauere debuiſſet. arg. cap. fin. de homicid. in 6. Ad fundamentum Soti reſpondetur, quod adulter eſt cauſa ſatis propinqua licet non ſit proxima & immediata dammi. Sufficit enim quod ſit propinqua aut etiam remota modo ex natura actionis illicitæ damnum ſequatur, arg. d. cap. fin. de homic. & cap. Si egreſſus, ſupra, & huius cap. Ex his infero primo cum Petro de Aragon, quod ſi adultera reſtituerit totum damnũ ex proprijs bonis, adulter tunc tenebitur eidem medietatem recompenſare, cum.

cum particeps fuerit iniuſtitiæ. Secundo colligo cum communi adulterum obligatum fore reſtituere patri putatiuo expenſas, quas fecit alendo filium illegitimum. Hæc illatio contra Bartolum in L. 1. §. Competit. ff. Si mulier ventr. nom. & alios ei adhærentes quos allegauimus in concl. 12. eſſe videtur, dum ſentiunt quod non repetentur alimenta à patre filij, quæ adminiſtrauit putatiuus pater, & ſic expreſsè Antonius Corduba in d. §. Si vel parens, numero 40. vult quod in animæ iudicio pater ſpurij non teneatur reſtituere quicquid in conſulto monachi ſiue fratres, de quibus mentionem Bartol. facit, in d. §. Competit, dixerint. Non tamen, cenſura Cordubæ reiecta quæ fragili quantum ad propoſitum innititur fundamento, præfatorum fratrum reſponſio quantum ad forum conſcientiæ inconſulta fuit, ſed communi Theologorum ſententiæ cõformis, ſi reſtringatur eorum reſolutio ad caſum huius illationis. His additur cum alijs, quod ſi filius illegitimus adhuc infans expoſitus fuit alicui loco pio, & hoſpitali, & nutritus tanquam pauper, tam adulter, quam adultera tenebuntur in conſcientia pro alimentis ſatisfacere loco pio, niſi paupertas eos excuſet, cum naturali iure obligentur parentes filijs alimenta præſtare, cap. Cum haberet. De eo qui duxit in vxorem, &c. & communis ibidem, & hoſpitalia inſtituta ſint ad alendos pauperes, cap.

De

De Xenodochijs, de religioſis domibus. Si autem alter parentum non poſsit, neque velit reſtituere: alter qui potens eſt obligatur damnum reſarcire. Hæc de iniurijs & damno dato, quæ omnia infallibili ſacroſanctæ matris Eccleſiæ cenſuræ ſubiecta eſſe volumus.

✠ ✠

✠

Laus DEO, Beatiſsimæque Virgini MARIAE & omnibus SANCTIS.

FINIS.

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM IN HOC LIbro contentarum.

A.

Actio iniuriarum ciuilis & criminalis quando tollitur: & quando non fol. 10. & 11.
Tollitur quandoq́ue, vt ei non ſit locus. 22.
Quæ ſit temporalis. 26.
Semel remiſſa non poteſt amplius intentari 207.
Ad reclamationem eſt ciuilis. 216.
In dubijs quis cenſetur incepiſſe. 230.
Actionem iniuriarum non tenetur remittere. 200.
Actione iniuriarum condemnatus efficitur infamis. 16.
Tenetur verum crimen obijciens, 174. & 167.
Actiones de iniurijs & damno dato ſunt diſtincta. 2.
Aduocatus tenetur ſcire quæ ad officium pertinent. 690.
Si ſit in cauſa quod cliens iuſtam cauſam perdat tenetur ad reſtitutionem. 691.
Non licet ei cauſas iniuſtas defendere. 695.
Inueniens cauſam iniuſtam quam prius iuſtam arbitrabatur tenetur deſiſtere. 694.
In dubia cauſa poteſt ſe patronum præſtare. 697.
Adulator quando tenetur ad reſtitutionem. 625.
Adultera ſpurium habens quomodo emendabit hæreditatis damnum alijs filijs datis. 725.
Regulariter non tenetur ſe prodere. 728. & 730.
In caſu tenetur ſe reuelare. 731.
Appellatio ab Eccleſiaſtico quando ad ſecularem deferri poſſit. 319.

Appellatio

Appellans ab Officiali Epiſcopi ad iudicem ſecularem non eſt admittenda. 36.

B.

Bannum quid & vnde dictum. 344.
Bellare ex ſua natura non eſt malum. 511.
Chriſtiano contra Chriſtianum licet. 513.
Contra Turcas licet. 515.
Bellum ad iuſtitiam tria requirit. 517.
Iuſtum ſine recta intentione non obligat ad reſtitutionem. 218.
Indicendi poteſtas penes quem ſit. 519.
Mouendi quis examinabit cauſas. 521. & 523.
Indicendi cauſa non eſt ſola infidelitas. 537.
Incendij cauſa iuſta qua. 531. & ſequent:
Quando poteſt ſine damno ruſticorum geri debet. (562.
Iniuſtum gerens tenetur ad reſtitutionem. 574.
Bello inchoato non tenetur princeps ſatisfactionem acceptare. 527.
Moleſtare infideles quando licet. 538.
In bello quando poteſt fieri compoſitio ſine voluntate ſubditorum. 575.
In bello iuſto licet vti ſimulatione. 541.
Occidens hoſtem ad nil tenetur. 543.
Nunquam licet directe occidere innocentes. 544.
Non licet pueros & fœminas occidere. 545.
Indirecte quando licet innocentes occidere. 546.
Parta victoria quam diu licet occidere nocentes 547. & 549.

Capti

Capti non ſunt ſerui. 550.
Capti poſſunt fugere. 552.
Capti ſi iurauerint pecuniam dare tenentur. 555.
Immobilia bona ſunt Principis. 536.
Mobilia quando ſunt militum. 560.
Non licet concutere iniuſtè. 564.
Licet vti opera infidelium quando. 528.
Ad bellũ iniuſtũ Vaſalli non poſſunt ſequi principẽ. 525.
In bello iuſto communiter non licet ciuitatem in prædam dare. 563.
Bonorum genera ſunt tria. 146.
Bos cornupeta quis ſit. 254.

C.

Caſus fortuitus quis dicatur. 312.
Caſus, qui ſequitur ex opere per ſe & neceſſario, quando imputatur operanti, etiã non præcogitanti. 325.
Clerici & res eorũ ſunt exempti à iudice ſeculari. 277.
Ciuitas poteſt condere ſtatuta ſine authoritate ſuperioris. 508.
Crimen falſum ſibi imponens quando tenetur retractare. 240.
Crimen verum alteri obijciens in iudicio, nil ad cauſam pertinens, tenetur actione iniuriarum. 174.
Columbas ſylueſtres capientes ſint ipſorum. 307.
Collecta à clericis accepta ſunt reſtituenda. 396.
Collectandi Eccleſiaſticos ius nõ poteſt acquirere ſecularis. 404.
Compenſatio in iniurijs verbalibus quando locum habet. (224.

Compenſatio eſt duplex. 24.
In omni cõpenſatione neceſſaria eſt æqualitas. 22.
Conductor non tenetur ad incendium caſu factum. (327.
Neque etiam factum ex culpa leuiſſima. 334.
Per culpam latam factum tenetur etiam pro vicinis ædibus recompenſare. 335.
Concubina clerici non eſt exempta à iudice ſeculari. (460.
Concubinas clericorum non poteſt iudex ſecularis ex domibus Eccleſiaſticorum expellere. 453.
Ob cõcubinatum non poteſt iudex ſecularis mulctare Eccleſiaſticum. 452.
Conſentiens in damnum quomodo peccat. 615.
Conſulentis damnum peccatum. 608.
Conſulentis damnum pœna, 609.
Conſulens damnum quomodo prouidebit ante factum. 610.
Conſulere minus malũ vt euitetur maius quando licet. (612.
Contumelia quid. 138.
Quomodo differt à detractione. 142.
Illata poteſt repelli. 194.
Contractus ratione, quis & quomodo teneatur homo ad reſtitutionem. 699.
Conuitium quid. 138.
Cucurbita nomen iniurioſum quid ſignificet. 156.
Culpa quid ſit. 36.
Quotuplex. 37.
Cuſtodiam alicuius rei aſſumens pro mercede, quando tenetur ad reſtitutionem. 702.

Cuſto-

Cuſtodes iurati non poſſunt diſsimulare. 704.
Cuſtodes ſyluarum quando tenentur. 701.
Cuſtodi caprarum non ſufficit pellem oſtendere niſi probet caſum fortuitum. 703.

D.

Damnum duplex infertur & datur. 30.
Damnum inferens tenetur ad reſtitutionem. 32. & 675.
Damnum dat qui fert opem. 598.
Ad damnum quot modis quis poteſt cooperari. 600.
Damnum dans cooperando tenetur. 603.
Damnum dans mandando quando tenetur. 604.
Damnum datum in fructibus nondum maturis quomodo taxandum. 277. & 279.
Damnum inferens per eiecta vel effuſa. 717.
Damnum paſſus iniuſte propter alterius factum tenetur ad ſatisfactionem. 723.
Defenſio cum moderamine inculpatæ tutelæ quæ dicatur, & quæ requirantur. 81. & 83.
Defendere ſe cum moderamine inculpatæ tutelâ contra quemcunque inuaſorem etiam ſuperiorê licet, nõ tamen obligatur. 93. & 95.
Taliter alterum occidere permittitur. 635.
Fit irregularis occidens. 636.
Illo modo licet bona proximi iniuſte inuaſa conſeruare. 637.
Talem allegans defenſionem & non probans poteſt condemnari. 97.
Quomodo rectè probat quis huiuſmodi defenſionem,

nem. 99.
In huiuſmodi excedens tenetur ad exceſſum. 10.
Defendi proximus ab iniuria poteſt. 633.
Imo in caſu debet. 639.
Cum proprio detrimento non obligat. 643.
Omittens non tenetur ad reſtitutionem niſi ſit publica poteſtas. 645. & 647.
Deflorans virginem ad quis tenetur. 125.
Detractio quid ſit. 141.
Quomodo differt à contumelia. 142.
Depredatus allegans damnum debet probare contra dominum territorij teſtibus. 660.
Dominus territorij leuans vectigalia tenetur damno affectis ad reſtitutionem. 657.
Augens cenſum debet comprimi. 662.
Poteſt in caſu fraudari faudo. 668.
Domus Eccleſiaſticorum prope Eccleſiam ſunt immunes. 472.
Domus vicini quando poſsit deijci propter incendium. 336.
Quis tenetur ad reparationem damni. 339.

E.

Eccleſiaſtici non debent grauari collectis. 387.
Dantes collectas quando incidant in pœnam. 409.
Qui dicantur conſentire. 392.
Eccleſiaſtici imponentes grauamina ſunt excommunicati. 387.
Varijs in locis imponuntur ijs collecta. 415.
Eccleſiaſticos collectandi ius non acquiritur ſecula- 404.

Eccleſiaſticæ libertatis violatio maxima diſpoſitio ad hæreſin. 400.
Eccleſiæ immunitatem violans committit crimen læſæ maieſtatis diuinæ. 501.
Pœna illius. 501.
Epiſcopus grauans collectis quando incidit in cenſuras. (418.
Epiſcopus poteſt charitatiuum ſubſidium ſuis imponere clericis. 422. & 423.
Epiſcopus poteſt iniuriam ſibi illatam remittere. 504.
Epiſcopus ſine capitulo ſuo non poteſt iniuriam Eccleſiæ illatam remittere. 506.
Exemptio Eccleſiaſticorum non eſt iuris diuini. 383.
Non debet infringi. 387.
Eximere clericos poteſt ſummus Pontifex. 384.

F.

Fama quid ſit. 144.
Præferenda bonis corporis. 145.
Famoſi libelli qui dicantur. 244.
Famoſus libellus grauem infert iniuriam. 245.
Pœna quæ ſit. 251.
Feræ quomodo iure gentium communes. 286.
Fera ab vno vulnerata ab alio capta cuius. 501.
Feras capientes mulctare morte peccatum. 304.
Freybeuteri vnde dicti. 559.
Tenentur reſtituere. 516.
Fiſcus tenetur ad damna per homicidam facta. 74. (& 81.

H.

Homicida non tenetur aliquid temporale reſtituere. 52.
Pia ſuffragia curabit. 56.
Expenſas in Medicos ſoluet. 57.
Tenetur ad operas amiſſas. 58.
Tenetur amicis occiſi quibus & quibus non. 61.
Tenetur ad alia quam ad pœnam talionis. 67.
Tenetur ad damnum ſi bona relinquat. 73.
Non poteſt ex templo abduci. 484.
Quando ſit irregularis. 101.

I.

Immunitas in exceptis. 479.
Immunitate gaudet qui rapit carceres quis. 494.
Non gaudet damnatus. 497. & 500.
Excipitur qui fugit ad ſacerdotem portantem V. S. 499.
Improperium quid. 136.
Incendium poteſt tribus modis committi. 309.
Caſu & fortuito factū non imputatur. 311. & 325.
Dolo commiſſum tenetur ad omnia damna. 315.
Culpa inhabitantium factum præſumitur niſi contrarium probetur. 327. 328. & 332.
De incendio nullus tenetur ſi plures ſint in eadem domo & ignoratur à quo proceſſerit. 333.
Incendij dans cauſam ſoluet ædes vicini deiectas. (335.
Incendiarij qui excommunicati. 315.
Pœna in foro fori. 317.

Infama-

Infamari quis poſsit per verum crimen. 171.
Infamia quando quis ſibi infert. 232. & ſeq.
Iniuria quid ſignificet. 3.
Tripliciter infertur. 4. & 20.
Atrox & leuis quæ, 5. & 7.
Verbalis quæ. 137.
Varijs verbis irrogatur. 155.
Verborum quid requirat. 148.
Verbalis non excuſatur per calorem iracundiæ. 179.
Per calorem iracundiæ minus punitur. 183.
Per ſcripta eſt verbalis. 187.
De iniuria poteſt agi ciuiliter. 9.
Iniuriam mandans conſulens eſt infamis. 20.
Iniuriarum tenetur obijciens poſt Principis reſtitutionem. 173.
Iniuriam inferens non excommunicatur. 189.
Paſſus tenetur remittere. 196.
Poteſt petere recantationem. 213.
Iniurias ſuſtinere laudabile. 192.
Iniuria ſcriptis committitur. 241.
Quæ pœna. 242.
Iniuriam filio factam poteſt pater remittere inuitis alijs fratribus. 63.
Iniurioſa nomina quæ. 155. & 156.
Iniurioſa verba quando vnum, quando plura. 176.
Iniurioſa verba contra Principem dicere non eſt crimen læſæ maieſtatis. 187.
Irriſio quid ſit. 139.
Inſtigator reus eſt criminis. 258.
Iumentum alienum inuentum in prato meo quando poſſem

ſem includere. 275.

Iudex Eccleſiaſticus poteſt clericos in carcerē conijcere. 375.

A iudice Eccleſiaſtico ad ſecularem ordinarie non poteſt fieri appellatio. 357.

Iudex ſecularis contra Eccleſiaſticum non poteſt ferre ſententiam. 444.

Poteſt in expenſas condemnarj. 448.

Ob concubinatū non poteſt Eccleſiaſticos mulctare. 453.

Non poteſt concubinas ex domibus Eccleſiaſticorum expellere. 453.

Ius dominij habet homo ſuper animalia. 281.

Ius paſcendi poteſt acquiri iure ſeruitutis. 275.

L.

Laici ſuperintendentes Eccleſiaſticorum eſſe nō debent. 403.

Lex Aquilia ex parte pœnalis. 34.

Lex vetus triplex. 48.

Legis veteris præcepta quando poſſunt ſeruari inter Iudæos. 45.

Læſio corporalis multis fit modis. 49.

Libertatis Eccleſiaſticæ violatio diſpoſitio ad hæreſim. 400.

Ligna cadentes in ſyluis alienis tenentur ad damna. 404.

Locis ſacris quomodo violentia infertur. 465.

Locorum ſacrorum immunitas. 466.

Mala-

M.

Maledictio quid. 139.
Mandatarius quando tenetur ad culpam & pœnam. 705.
Mandatarius quando tenetur ad exceſſum. 607.
Mediator inter rixantes quando tenetur ſi alterum læſerit. 47.
Medicus ſua imperitia damnum inferens peccat & tenetur ad reſtitutionem. 682.
Dans ægroto medicinam de qua dubitat. 685.
Negligens infirmum tenetur. 686.
Extendens curam propter lucrum peccat. 687.
Milites ſceleratos habere non licet. 529.
Milites Heluetij laudandi. 567.
Militum Chriſtianorum inſolentia. 568.
Milites, ruſticos concutientes non excuſat quod ſtipendia non accipiant. 593.

O.

Occidens ad defenſionem propriæ vitæ non peccat. 77.
Occidens ex intentione non excuſatur etiamſi faciat ad defenſionem vitæ ſuæ. 85.
Ad vitandam mutilationem. 91.
Occidens cum moderamine inculpatæ tutelæ pro defenſione rerum licet. 103.
Honoris licet. 104. & 113.
Recuperatione rerum. 109.
Caſtitatis. 123.

Occidens in ludo licito quando peccatum. 125.
Opem ferens ad damnum quando tenetur. 620.
Ante factum ad quid obligatur. 622. & 624.

P.

Paſcentes pecora in alienis pratis quando tenentur. 709.
Paſtori ouium non ſufficit pellem oſtendere niſi probet caſum fortuitum. 703.
Paupertas quæ dicatur. 255.
Placitum ſecularis non eſt neceſſarium in executione iuriſdictionis Epiſcopi. 363.
Placiti introductio infringit Eccleſiaſticam iuriſdictionem. 369.
Sine placito poteſt Epiſcopus viſitare. 372.
Poteſtas duplex. 346.
Eccleſiaſtica dignior. 347.
Poteſtas Eccleſiaſtica non debet inuadere iura imperialia: nec imperatoria Eccleſiaſtica. 355.
Principes tenentur terram ſuam purgare. 653.
Prouocatio in delictis regulariter non excuſat. 160.
Prouocatus verbis an poſſit ſe gladio & armis defendere 160.
Pudicitiam alterius attentans iniuriam facit. 127.

R.

Raptor virginum quando gaudet immunitate Eccleſiæ. 491.
Ratum habens damnum peccat mortaliter. 617.

Ratum habens delictum alterius extraordinarie punitur. 619.
Receptator furum tenetur ad reſtitutionem. 625.
Semel recipiens punitur. 631.
Niſi patrem matrem receperit. 632.
Reconciliationis quæ ſunt ſigna. 208.
Remiſſa iniuria poteſt quis petere damna. 204.
Reſtituere ſtatim tenetur qui famam læſit. 222.
Qui poma, pyra, &c. 261. 268.
Qui multi ſimul ingrediuntur vineam. 264.
Qui per pecus ſuum iumentũ alterius occiderit. 271.
Repræſaliæ quæ dicantur. 580.
Aliquando licitæ. 582.
Quæ conditiones neceſſariæ. 585.
Iura conceduntur ob cauſas. 587.
Executio quando facienda. 588.
Non dantur contra ſtudioſos mulieres, &c. 593.
Repræſaliarum cauſa ſolutum poteſt repeti. 594.
Reus criminis fugiens ad templum quando gaudet immunitate. 454.
Alimenta non poſſunt illi prohiberi. 476.

S.

Satisfactio eſt in præcepto non modus. 219.
Ad ſatisfactionem tenetur qui verbis læſit. 211.
Hæc eſt facienda ad arbitrium boni viri. 212.
Ad ſatisfactionem vt quis tenetur debet culpa intercedere. 597.
Subſidium charitatiuum quid. 423.
Debet exigi cum conſenſu Capituli. 426.

Quomodo iuſtificetur. 427.
Quantum eſſe debet. 433.
Quoties poſsit peti. 436.
An poſsit cumulari. 440.
Stuprum quotuplex. 126. & 129.
Statuta quibus interdicitur emptio euectio, &c. non ligant Eccleſiaſticos. 407.
Suſurratio quotuplex. 139.

V.

Veniam petere nemo tenetur ex præcepto. 210.
Ad id poteſt quis damnari. 221.
Venatio iuſte prohibetur à Principibus. 289.
A dominis ſuperiorem agnoſcentibus. 294.
Cauſæ propter quas, 391.
Venatores alentes canes qui dilacerant porcos tenentur. 256.
Conculcantes ſegetes tenentur. 299.
Venandi ius eſt cum natura inditum. 283.
Venandi libertas fundata in iure gentium eſt & naturali. 285.
Virginem deflorans ad quid tenetur. 125.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE